ACTA ET DOCUMENTA CONCILIO OECUMENICO VATICANO II APPARANDO

SERIES I
(ANTEPRAEPARATORIA)

VOLUMEN IV

STUDIA ET VOTA
UNIVERSITATUM ET FACULTATUM
ECCLESIASTICARUM ET CATHOLICARUM

PARS I

UNIVERSITATES ET FACULTATES IN URBE

1

(SUB SECRETO)

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXI

DOCUMENTA

DOCUMENTA

I

Pontificiae Commissioni Antepraeparatoriae pro Concilio Oecumenico a Summo Pontifice Ioanne XXIII concreditum quoque est Universitatum et Facultatum Ecclesiasticarum et Catholicarum vota et studia pro futuro Concilio colligere.

Eapropter die 3 mensis iulii a. 1959 Em.mus P. D. Dominicus S. R. E. Card. Tardini, Praeses Commissionis Antepraeparatoriae, in Aedes Vaticanas coegit Rectores Magnificos Universitatum et Athenaeorum Ecclesiasticorum, quae Romae sunt. « Convocati con lettera del Segretario sono convenuti alle ore 10, negli appartamenti di Sua Eminenza il Card. Domenico Tardini, che presiede l'adunanza, i Rettori Magnifici delle Università e degli Atenei Ecclesiastici di Roma, e cioè il P. Paolo Muñoz Vega S. I., della Pontificia Università Gregoriana; Mons. Antonio Piolanti, della Pontificia Università del Laterano; Mons. Salvatore Garofalo, del Pont. Ateneo Urbaniano " de Propaganda Fide "; P. Ludovico Gillon O. P., del Pont. Ateneo " Angelicum "; Don Agostino Mayer O. S. B., del Pont. Ateneo di S. Anselmo; P. Ferdinando Antonelli O. F. M., del Pont. Ateneo " Antonianum "; Don M. Alfonso Stickler, del Pontificio Ateneo Salesiano.

È presente anche Mons. Pericle Felici, Segretario della Commissione.

Recitate le preghiere d'uso, l'Em.mo e Rev.mo Sig. Card. Tardini ringrazia gli intervenuti e spiega il motivo della convocazione. Li ha convocati per dire che il Santo Padre attende molto dalla opera loro e da quella dei professori: per manifestare l'affidamento che la Commissione Antipreparatoria pone nella loro collaborazione; finalmente per dare il primo avvio al lavoro di preparazione. Sua Eminenza invierà ai singoli Rettori una lettera circolare: ma intanto ha desiderato incontrarli, perchè il parlare risparmia tempo, porta chiarezza, permette discussione.

Accennando al carattere del futuro Concilio, Sua Eminenza afferma che un punto è certo: il Concilio è un fatto interno in *bonum Ecclesiae*. Non ha per scopo diretto il ritorno dei dissidenti.

Sua Eminenza passa poi a parlare delle materie su cui le Università e gli Atenei potranno portare il loro studio: sono molte e varie: dommatiche e bibliche, liturgiche, filosofiche, disciplinari (nei riguardi del

clero e del popolo), morali, pastorali, sociali. Si potrà trattare dei Seminari, delle scuole, dell'Azione Cattolica, dell'apostolato dei laici ecc. Saranno quindi impegnate le Facoltà teologiche, filosofiche, giuridiche, storiche, sociali, pastorali ecc.

È opportuno fin d'ora interessare i professori, i quali, durante il periodo delle vacanze, potranno prendere contatti, sentire pareri, raccogliere desideri, e quindi prepararsi a quel lavoro d'esecuzione che potrà svolgersi con maggiore ampiezza alla ripresa dell'anno scolastico.

Sua Eminenza finalmente accenna alla forma con cui i voti e gli studi dovranno essere redatti. Non si aspetta dalle Università un elenco di questioni da trattare, ma una serie di studi, non lunghi, chiari e precisi però: nè su tutte le materie e su tutti gli argomenti, ma su quelli che ai Rettori Magnifici ed ai Professori risultassero di maggiore importanza ed attualità. Negli studi, anche se si riferiscono a questioni pratiche, si abbia un chiaro richiamo dei principi, si traggano buone conclusioni: si facciano proposte concrete per contenuto e per forma... ».[1]

Sequenti vero die 17 mensis iulii 1959, idem Em.mus Cardinalis Praeses coegit in Aedes Vaticanas Praesides Facultatum Theologicarum Urbis. « Presiede Sua Eminenza Rev.ma il Sig. Card. Domenico Tardini, Presidente della Commissione. Sono presenti il P. Lorenzo Di Fonzo O. F. M. Conv., Preside della Facoltà Teologica " S. Bonaventura "; il P. Filippo della Ss.ma Trinità, Preside della Facoltà Teologica del Collegio Internazionale dei Carmelitani Scalzi; il P. Gabriele Roschini, Preside della Facoltà Teologica " Marianum " dei Servi di Maria.

Segretario: il Segretario della Commissione, Mons. Pericle Felici.

Dette le preci d'uso, Sua Eminenza comunica che proprio due giorni prima il Santo Padre gli aveva comunicato che il prossimo Concilio Ecumenico si chiamerà *Vaticano secondo*. Ringrazia quindi i presenti e chiarisce loro lo scopo dell'adunanza, ripetendo le osservazioni, gli inviti, i suggerimenti già fatti ai Rettori Magnifici. Il termine della presentazione dei voti, degli studi ecc. è fissato per la Pasqua del prossimo 1960... ».[2]

---

[1] *Verbali delle Adunanze della Pontificia Commissione Antipreparatoria per il Concilio Ecumenico,* pp. 19-22.

[2] *Ibid.,* pp. 26-27.

II

PONTIFICIA COMMISSIO ANTEPRAEPARATORIA
PRO CONCILIO OECUMENICO

Prot. N. 2 C/59 E Civitate Vaticana, die 18 iulii 1959

Litterae, quibus Rectores Universitatum et Praesides Facultatum Ecclesiasticarum et Catholicarum rogantur communicare studia et vota circa res et argumenta quae in futuro Concilio Oecumenico tractari poterunt.

Reverendissime Domine,

Probe compertum est Magnificentiae Tuae Rev.mae Summum Pontificem Ioannem XXIII fel. regn., die 17 maii 1959, in Festo Pentecostes, instituisse Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico celebrando: cui Commissioni praeesse infrascripto honorificum est.

De rebus et argumentis, quae ad Ecclesiae utilitatem et animarum bonum maxime hodie pertinent, desiderat in primis Summus Pontifex cognoscere mentem et animum eorum qui ex iure futuri Concilii Patres erunt. At magnum quoque Sanctitas Sua tribuit momentum sententiis et votis necnon studiis et scientificis investigationibus Universitatum et Athenaeorum Ecclesiasticorum et Catholicorum, cum futuri Concilii Patribus haec lumini esse queant et adiumento.

Rogo igitur Magnificentiam Tuam ut, collatis consiliis atque consociatis studiis cum Facultatum a Te dependentium Magistris, exponas huic Commissioni quid videatur opportunius Concilii Patribus olim proponendum, quave scientifica ratione id possit expendi et enucleari, quibusve practicis modis ad exsecutionem perduci.

Materiae, in quas studium feratur, variae esse possunt: dogmaticae in primis, biblicae, liturgicae, philosophicae, morales et iuridicae, pastorales, sociales etc. Agi quoque potest de disciplina cleri et populi christiani: de seminariis, de scholis, de actione catholica: de aliisque rebus quae Tibi videantur Ecclesiae animarumque bono profuturae. Attamen, ut evidens est, non omnes materiae neque omnia argumenta ab omnibus examini et studio subicientur: verum inter multa, ea seliget Magnificentia Tua quae cum maxime Ecclesiae prodesse existimantur tum etiam a Magistris Facultatum a Te dependentium melius et enucleatius tractari poterunt.

Studia et vota desiderantur brevia, clara, praecisa, conclusionem practicam demonstrantia et ad res exsequendas accommodata. Exarentur lingua latina et mittantur ad hanc Pontificiam Commissionem (Città del Vaticano) non ultra mensem aprilem sequentis anni 1960.

Interim impensos animi sensus ex corde profiteor Magnificentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Magnificentiae Tuae Rev.mae
add.mus

D. Card. Tardini

III

PONTIFICIA COMMISSIO ANTEPRAEPARATORIA
PRO CONCILIO OECUMENICO

Litterae, quibus Rev.mus Secretarius Pontificiae Commissionis Antepraeparatoriae gratias agit Rectoribus Universitatum et Praesidibus Facultatum Ecclesiasticarum et Catholicarum ob datas responsiones.

Reverendissime Domine,

Ad hanc Pontificiam Commissionem studia et vota de rebus et argumentis in futuro Concilio pertractandis, ab ista Catholica Universitate exarata, rite pervenerunt.

Honori mihi duco, nomine Eminentissimi Cardinalis Praesidis ac totius Commissionis Antepraeparatoriae, plurimas Tibi clarissimisque Magistris gratias referre.

Impensos animi sensus ex corde profiteor Magnificentiae Tuae, cui fausta quaeque a Domino adprecor.

Magnificentiae Tuae Rev.mae
add.mus

Pericles Felici
Secretarius

PONTIFICIA UNIVERSITAS
GREGORIANA

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

IL RETTORE

Romae, die 7 aprilis 1960

Eminentissime Domine,

Ut voluntati Summi Pontificis, quam in litteris diei 18 iulii 1959 Universitatibus atque Athenaeis Ecclesiasticis et Catholicis significasti, qua fieri posset meliori ratione obsequeremur, parata sunt a Professoribus Pontificiae Universitatis Gregorianae vota quaedam et studia, Commissioni Antepraeparatoriae proponenda, quae pro Concilio Oecumenico celebrando est instituta. Pergratum mihi nunc est, Eminentissime ac Reverendissime Domine et eiusdem Praeses dignissime, ea Tibi mittere.

Qua ratione haec studia et vota fuerint exarata et quo sensu communem exprimant Facultatum sententiam, in addita nota introductoria explicatur. In eis enucleandis conati sumus, pro viribus et concessi temporis brevitate, eas servare normas, quas Tu, Eminentissime ac Reverendissime Domine, in praefatis litteris assignabas.

Velis igitur hoc qualecumque nostrorum studiorum obsequium Beatissimo Patri offerre una cum enixis precibus, quas Omnipotenti Deo fundimus ut Sanctitati Suae concedat et de celebratione tanti incepti et de uberrimis eius fructibus in Ecclesiae animarumque bonum plenissime laetari.

Interim qua par est reverentia Tibi, Eminentissime ac Reverendissime Domine, me profiteor

servum in Christo addictissimum

P. Muñoz Vega, S. I.
Rect.

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

IL RETTORE

Roma, 6 aprile 1960

Eminenza Reverendissima,

Insieme col lavoro composto nella nostra Università per la Commissione Antipreparatoria del Concilio Ecumenico, ho l'onore di inviare a Vostra Eminenza i « Voti » che ho ricevuto da parecchie Facoltà interne della Compagnia di Gesù, le quali hanno affidato a me questo gradito incarico.

Esse sono: 1) la Facoltà Teologica di Oña (Spagna); 2) la Facoltà Teologica di Chieri (Italia); 3) la Sezione S. Alberto della Facoltà Teologica di Lovanio (Belgio); 4) la Facoltà Teologica di Zikawei (attualmente in Baguio, Filippine); 5) la Facoltà Teologica di Dublino (Irlanda).[1]

Invio anche uno studio sui Voti « De Matrimonio » della Facoltà Teologica di questa Università, redatto dal P. Francesco Hürth, che per essere stato formulato in una misura più lunga e completa, ho creduto opportuno presentarlo separatamente.

Nella speranza che tutto possa utilmente contribuire agli scopi prefissi, mi dichiaro sempre a disposizione di Vostra Eminenza, mentre prostrato al bacio della Sacra Porpora, mi confermo

di Vostra Eminenza Reverendissima
umilissimo e devotissimo servo

PAOLO MUÑOZ VEGA, S. I.
Rettore

---

[1] Successivis temporibus missa sunt vota ceterarum facultatum theologicarum internarum Societatis Iesu, nempe: die 11 aprilis, Heythrop (*Anglia*) et Maastricht (*Hollandia*); die 3 maii, Weston, Mass. (*U.S.A.*), Frankfurt (*Germania*), Lyon (*Gallia*); die 4 maii, St. Mary's, Kansas (*U.S.A.*); die 16 maii, Los Gatos (*U.S.A.*) et Granada (*Hispania*); die 20 iunii, Chantilly (*Gallia*); die 22 iunii, West Baden (*U.S.A.*).

NOTA INTRODUCTORIA

Ineunte anno academico, Rector Universitatis Professores omnes invitavit ut sua postulata exprimerent de materiis Commissioni pro Concilio Oecumenico communicandis, in quas studium ferri posset.

Propositiones a Professoribus conceptas collegerunt Decani Facultatum easque ordinaverunt in distincta collectione pro unaquaque Facultate. Commissum tunc est quibusdam Professoribus ut argumenta expenderent et in formam aptam redigerent.

Dein collectiones postulatorum, pro materia, remissae sunt ordinariis Facultatum Professoribus, ut unusquisque, per modum suffragii, iudicium ferre posset de singulis propositionibus a collegis suae Facultatis propositis.

Denique, absoluta consultatione, retentae sunt propositiones quas maior Professorum ordinariorum pars probaverat.

Interdum votis proprie dictis additae sunt aliquae elucidationes completivae, quae, etsi suffragio collectivo propositae non sunt, ansam praebuerunt Professoribus, quorum nomina adscripta sunt, explicandi significationem technicam aut doctrinalem quarundam propositionum. Sententiae in appendicibus et elucidationibus expresse, non nomine Facultatum, sed nomine Professorum qui eisdem subscribunt, proponuntur.

FACULTAS THEOLOGICA

DE REVELATIONE

De hermeneutica biblica

1

Ex una parte ratio interpretandi Sacras Litteras apud quosdam catholicos est nimis naturalis, quae insufficientem curam ostendit analogiae fidei, exegesis traditionalis, doctrinae magisterii Ecclesiae, necnon mysterii inspirationis. His quodammodo neglectis, lucem unilaterali modo quaerunt ex praesenti progressu scientiarum mere humanarum et extrabiblicarum, orientalium praecipue, et aliquando nimis vestigia premunt exegeseos acatholicae.

Ex altera parte accidit ut catholici quidam, etiam aliquando theologi et exegetae, non satis attendentes ad arduas quaestiones ortas ex novis documentis aut ex novis investigationibus, nimiam auctoritatem tribuant opinionibus praeteritis et falsam securitatem quaerant in immobilitate, quam etiam aliis imponere vellent.

Quae cum ita sint, petitur ut Concilium sua auctoritate sanciat praecipua capita doctrinae Encyclicarum biblicarum de hermeneutica, maxime Encyclicae *Divino afflante Spiritu,* quae viam simul securam et apertam exegesi catholicae proponunt. Novae normae enim non videntur proponendae, sed iam propositae auctoritate Concilii inculcandae.

Praesertim autem quodam modo renovandae videntur declarationes sequentes:

a) *Providentissimus Deus*: « In ceteris analogia fidei sequenda est, et doctrina catholica, qualis ex auctoritate Ecclesiae accepta, tanquam summa norma est adhibenda ... Ex quo apparet, eam interpretationem ut ineptam et falsam reiciendam, quae vel inspiratos auctores inter se quodammodo pugnantes faciat vel doctrinae Ecclesiae adversetur ...

Iamvero sanctorum Patrum, quibus « post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, aedificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit », summa auctoritas est, quotiescumque testimonium aliquod biblicum, ut ad fidei pertinens morumve doctrinam uno eodemque modo explicant omnes ...

Ceterorum interpretum catholicorum est minor quidem auctoritas; attamen, quoniam Bibliorum studia continuum quemdam progressum in

Ecclesia habuerunt, istorum pariter commentariis suus tribuendus est honor, ex quibus multa opportune peti liceat ad refellenda contraria, ad difficiliora enodanda. At vero id nimium dedecet, ut quis, egregiis operibus, quae nostri abunde reliquerunt, ignoratis aut despectis, heterodoxorum libros praeoptet ab eisque cum praesenti sanae doctrinae periculo et non raro cum detrimento fidei explicationem locorum quaerat, in quibus catholici ingenia et labores suos iamdum optimeque collocarint ... ».

b) *Iusiurandum contra errores modernismi*: « Reprobo pariter eam Scripturae sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia fidei et Apostolicae Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticem textus velut unicam supremamque regulam haud minus licenter quam temere amplectitur » .

c) *Divino afflante Spiritu*: « Singulari vero studio id agant, ut non tantum — id quod in quibusdam commentariis fieri dolemus — eas res exponant, quae ad historiam, archaeologiam, philologiam, ad aliasque huiusmodi disciplinas spectent; sed, illis quidem opportune allatis, quantum ad exegesin conferre possint, ostendant potissimum, quae sit singulorum librorum vel textuum theologica doctrina de rebus fidei et morum, ita ut haec eorum explanatio non modo theologos doctores adiuvet ad fidei dogmata proponenda confirmandaque, sed sacerdotibus etiam adiumento sit ad doctrinam christianam coram populo enucleandam, ac fidelibus denique omnibus ad vitam sanctam homineque christiano dignam agendam adserviat ».

d) *Divino afflante Spiritu*: « Quapropter catholicus exegeta, ut hodiernis rei biblicae necessitatibus rite satisfaciat, in exponenda et comprobanda, eo quoque prudenter subsidio utatur, ut perquirat, quid dicendi forma seu litterarum genus, ab hagiographo adhibitum, ad veram et genuinam conferat interpretationem: ac sibi persuadeat hanc officii sui partem sine magno catholicae exegeseos detrimento neglegi non posse ».

2

Petitur etiam ut Concilium sua auctoritate sanciat praeclaram interpretationem decreti Concilii Tridentini de authentia Vulgatae quam proposuit Encyclica *Divino afflante Spiritu*: « Haec igitur praecellens Vulgatae auctoritas seu, ut aiunt, *authentia*, non ob criticas praesertim rationes a Concilio statuta est, sed ob illius potius legitimum in Ecclesiis usum per tot saeculorum decursum habitum; quo quidem usu de-

monstratur eamdem, prout intellexit et intellegit Ecclesia, in rebus fidei ac morum ab omni prorsus esse errore immunem; ita ut, ipsa Ecclesia testante et confirmante, in disputationibus, lectionibus concionibusque tuto ac sine errandi periculo proferri possit; atque adeo eiusmodi *authentia* non primario nomine *critica,* sed *iuridica* potius vocatur. Quapropter haec Vulgatae in rebus doctrinae auctoritas minime vetat — immo id hodie fere postulat —, quominus eadem haec doctrina ex primigeniis etiam textibus comprobetur et confirmetur, atque etiam quominus passim in auxilium iidem textus vocentur, quibus recta Sacrarum Litterarum significatio ubique magis in dies patefiat atque explanetur ».

De declaranda indole revelationis

3

Petitur ut declaretur notio revelationis christianae. Illa revelatione Deus proprie locutus est per ministros suos Veteris et Novi Testamenti, maximeque per Filium suum (*Hebr.,* I, 1 s.), sermone quo petivit fidem propter seipsum testem veracem, quemque ore traditum ac etiam scriptum commisit Ecclesiae fideliter transmittendum et interpretandum.

Iesus Christus, in sua vita mortali fuit utique praecipuus nuntius revelationis divinae, plenitudinem eius docens homines. Praeterea ipse in vita sua tum terrestri visibilique, tum caelesti (ut caput invisibile Ecclesiae), est obiectum revelatum in quo Deus salutaris nobis maxime innotescit. Sed factus est obiectum illud ope suae aliorumque praedicationis, qua mysterium eius hominibus declaratum est atque propositum ut a Deo attestatum.

Igitur fides catholica non constituitur primum actu mysterioso percipiendi in propria eius realitate mysterium Christi, et consequenter actu vertendi in conceptus, cum auxilio praedicationis, illam perceptionem superiorem. Quin potius fides catholica est assensus veritatibus oeconomiae salutis quales significantur praedicatione divinorum legatorum et Ecclesiae. Illo assensu homo a Patre attractus (*Ioh.,* VI, 44) agnoscit eum firmissime in Filio et in tota salutis oeconomia propter solum Deum, testem veridicum.

Neque fingendum sibi est enuntiationes authenticas nostrae fidei indigere coniunctione cum immediata quadam perceptione mysterii Christi, ut ea mediante sensum simpliciter verum consequantur; qui-

nimmo simpliciter verae sunt, sensu ab Ecclesia intento, quem ex sese communicare natae sunt.

Hoc votum proponitur quia sententiae similes illis quae in eo reprobantur, hodie proferuntur a theologis protestantibus magni nominis et intraverunt in theologiam quorumdam catholicorum. Adversantur autem doctrinae traditionali et relativismi semina continent.

Concilium Vaticanum iam docuit: « Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem a Sancta Tridentina Synodo declaratam continetur *in libris scriptis et sine scripto traditionibus,* quae ipsius Christi *ore* ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritus Sancto *dictante quasi per manus traditae* ad nos usque pervenerunt » (*Denz.,* 1787). « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae *in verbo Dei scripto vel tradito* continentur et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur » (*Denz.,* 1792). « Fidei doctrina, quam Deus revelavit, tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita [est], fideliter custodienda et infallibiliter declaranda » (*Denz.,* 1800). « Sacrorum dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, *quem semel declaravit* sancta mater Ecclesia » (*Denz.,* 1800). Hi textus, quibus alii facile addi possunt, monstrant votum petere tantum expressiorem declarationem, hodie vere opportunam, eorum quae iam continentur in doctrina Magisterii.

DE IMMUTABILITATE VERITATIS REVELATAE ET PROGRESSU DOGMATICO

4

Petitur ut principia quaedam fundamentalia de immutabilitate veritatis revelatae et de eius coniunctione cum progressu dogmatico a Concilio declarentur.

Ex una parte Concilium haec fere doceat. Humanus intellectus suis notionibus debite accommodatis (per viam negationis et excellentiae) sibi repraesentare potest quaedam, eaque determinata, de Deo divinisque mysteriis quae sint simpliciter vera, quaeque proinde neque indigeant ulteriore semper correctione, nec post praefatam accommodationem adhuc assumenda sint ut approximationes partim concordes cum divinis obiectis partimque contradicentes eis.

Insuper veritas revelata, utpote mysteria altissima continens, indiget saepe, cum novae quaestiones aut novi errores de ea oriuntur, ut rursus ulteriusque declaretur notionibus docte elaboratis ac perpolitis, quales philosophi adhibent. Huiusmodi notiones, etsi veritatem revela-

tam minime consortem faciunt systematum philosophicorum labilium, nihilominus sensum distinctiores praebent quam notiones usus cogitationisque communis. « Liquet [enim] Ecclesiam non cuilibet systemati philosophico, breviter temporis spatio vigenti, devinciri posse: sed ea quae communi consensu a catholicis doctoribus composita per plura saecula fuere ad aliquam dogmatis intelligentiam attingendam, tam caduco fundamento procul dubio non nituntur ». Immo ad ea deducenda « veritas divinitus revelata, quasi stella, per Ecclesiam illuxit. Quare mirum non est aliquas huiusmodi notiones a Conciliis Oecumenicis non solum adhibitas, sed etiam sancitas esse, ita ut ab eis discedere nefas sit » (Pius XII, Encycl. *Humani generis, A.A.S.,* 42, 1950, p. 566 s.).

Ex altera autem parte Concilium declaret haberi in Ecclesia progressum veritatis revelatae. Primo enim complura, quae in revelationis deposito — apostolica Traditione et Scriptura — latebant implicita, per saecula magis magisque explicite docentur a vivo Magisterio Ecclesiae, quod suum munus custodis et interpretis totius veritatis revelatae exercet, Spiritu Sancto Ecclesiam dirigente in plenam illius veritatis possessionem. Praeterea varia quae in revelato deposito nonnisi per repraesentationes expressionesque quadantenus confusas significabantur, postea ab eodem vivo Magisterio distinctius credenda proposita sunt.

Rationes voti sunt sequentes:

Non desunt theologi qui negent aut propensos se praebeant ad negandum quaedam, quae in prima parte voti exponuntur; quod non fit sine detrimento puritatis doctrinae fidei.

Quae dicuntur in secunda parte videntur indicanda, ne doctrina incompleta et unilateralis, ut aiunt, remaneat, atque ita ansam det interpretantionibus vel rigidioribus, vel largioribus.

Notio progressus, quo implicite revelata fiunt explicita, iam habetur in Encyclica *Humani generis* (*A.A.S.*, vol. cit., p. 568); potest prudenter etiam a Concilii auctoritate sanciri.

DE ECCLESIA

5

Votum exprimitur, ut in Concilio perficiatur illa tractatio de Ecclesia Christi, quae in Concilio Vaticano incepta, non autem ad finem deducta est, contra voluntatem ipsius Concilii.

Inter has quaestiones specialiter commendantur examini Concilii sequentes:

6

Declaratio magis explicita sive extensionis, sive limitationis infallibilitatis Romani Pontificis. Quamquam enim probati auctores hanc doctrinam bene soleant exponere, authentica tamen explanatio utilis erit.

7

Expositio plenior ecclesiastici valoris infallibilitatis Romani Pontificis. Oporteret scilicet ostendere, quo modo Romanus Pontifex, cum quaestionem de fide vel moribus definit, quamvis absolute ex sese, id est, ex propria auctoritate agat, nec valor eius definitionis ab ullo consensu vel ratificatione pendeat, nihilominus agat, ut caput Ecclesiae, doctrinae Ecclesiae rationem habens, in bonum Ecclesiae, propter Ecclesiam, a Sancto Spiritu assistentia donatus, et ut in ipsa Ecclesia infallibilitas servetur.

8

Expositio de munere Episcoporum cooperandi cum Summo Pontifice in determinandis regulis fidei et disciplinae ecclesiasticae. Cum enim ex una parte in Concilio Vaticano clare doceatur Romanum Pontificem habere potestatem iurisdictionis vere episcopalem et immediatam in totius Ecclesiae pastores et fideles, tam seorsim singulos quam simul omnes, ex altera constet Episcopos a Spiritus Sancto positos esse regere Ecclesiam Dei, expediverit clare definire, qualem partem Episcopi Collegiumque Episcopale habeant in totius Ecclesiae magisterio et gubernio.

9

Speciatim in lucem ponenda connexio inter infallibilitatem Romani Pontificis et infallibilitatem totius Ecclesiae hierarchicae, tum in exercitio magisterii ordinarii, tum in definitionibus conciliaribus vel papalibus. Immo, videtur utile etiam agere de connexione inter infallibilitatem Ecclesiae hierarchicae et infallibilitatem Ecclesiae credentis, ut exponantur omnia elementa, sese invicem complentia, doctrinae de infallibilitate Ecclesiae.

10

Ut tractatio de Ecclesia sit completa, agendum est etiam de laicis in Ecclesia. In Mystico Corpore locum habent etiam simplices fideles, et singuli quique habent, in loco ubi a Deo positi sunt, propriam responsabilitatem. Hac in re multae habentur confusiones. Quare utilia essent:

a) quaedam clare dicta de sacerdotio universali, quod non unice laicos spectat sed omnia membra Corporis Mystici;

b) quaedam clare dicta de oppositione quae erronee creatur inter charismaticos et hierarchicos;

c) quaedam clare dicta de obligatione laicorum procurandi bonum totius Ecclesiae, precibus, mortificationibus, exemplis;

d) quaedam clare dicta de formanda opinione publica in Ecclesia et de publica censura eorum quae ab Auctoritatibus Ecclesiasticis dicta vel facta sunt.

e) quaestio concreta est de indole et de formis Actionis Catholicae, quae quidem quaestio etiam Ius Canonicum spectat.

11

Forsitan utile sit etiam clare docere haereticos et schismaticos, ipso facto haereseos vel schismatis iam non esse actu membra Ecclesiae, attamen, si sunt bonae fidei, non solum eos esse membra in voto, sed aliquatenus etiam gaudere communione sanctorum.

Utilia essent clara verba, quibus explicetur, quo modo intellegendum sit adagium, « extra Ecclesiam nulla salus », ad mentem epistulae S. Officii ad episcopum Bostoniensem, 8 augusti 1949.

DE UNIONE OMNIUM CHRISTIANORUM

12

Petendum videtur, ut futurum Concilium rem oecumenicam unum ex principalibus argumentis tractandis esse reputet, eamque fidelium curae commendet. Conamina ad unionem efficiendam inter omnes christianos tunc etiam continuanda essent, cum secundum prudentiam mere naturalem nulla esset spes unionis; talis enim labor ab ipso Christo exigitur. Nostris vero temporibus, peculiaribus rationibus unitas quaerenda esse apparet, tum quia atheismus ubique propagatus collaborationem magis strictam omnium christifidelium exigit, tum quia desideria in cordibus plurimorum etiam dissidentium a Spiritu Sancto excitata, ostendunt opportunitatem providentialem huius apostolatus.

13

Desiderandum esse videtur, ut Concilium edoceat omnes, quo sensu Ecclesia nunc iam una sit, et tamen omnium christianorum unionem quaerat, quo modo iam catholica sit, et tamen semper maiorem splendorem catholicitatis quaerat. Quibus distinctionibus fiet ut ex una parte vitetur modus loquendi incautus, ac si communitates dissidentium et Ecclesia catholica aequo modo careant unitate et catholicitate, et debeant aequo modo aliquid cedere, ut vera Ecclesiae unitas instauretur; alia ex parte vitabitur nimia rigiditas, quae tantum de necessitate conversionis dissidentium cogitans, non percipit etiam Ecclesiam catholicam obligari ut ex institutis et consuetudinibus suis fortiter eradicet quidquid homines nostrae aetatis, maxime vero communitates christianas dissidentes, inutiliter offendit.

14

Unio christianorum dissidentium vix promoveri poterit, dum haeretici et schismatici, non percipiant se ad unitatem Ecclesiae advocatos, « non in alienam, sed in communem paternamque domum invitari » (*A.A.S.* 35, 1943, 243; ib. 51, 1959, 515). Ratio vero, cur dissidentes catholicam Ecclesiam « alienam domum » esse percipiant, saepe non est tantum differentia doctrinalis re vera exsistens, sed nonnumquam etiam modus vivendi Ecclesiae catholicae; nam ipsi, praeiudiciis imbuti, mani-

festationibus quibusdam per se indifferentibus vitae christianae in Ecclesia catholica vigentibus vehementer repelluntur, et immo scandalizantur. Caritatis christianae est, in huiusmodi manifestationibus vitae, secundum praeceptum S. Pauli, ita parcere sensibilitati dissidentium, ne modus agendi fidelium, « offendiculum fiat infirmis » (*1 Cor.*, 8, 9-13). Adaptatio in formis per se indifferentibus, est exercitium catholicitatis Ecclesiae, quae exigit ut Ecclesia continuo se ita rationi temporum et locorum aptet, ut ipsa facilius omnes homines amplecti possit. Ut ipsa adaptatio facilius fiat, prae oculis habendum est multos dissidentes hodiernos bona fide in propria secta persistere, eorumque errorem saepe practice invincibilem esse.

15

Christiani dissidentes facilius in Ecclesia catholica signum elevatum inter nationes recognoscent, si etiam in posterum diffundetur et augebitur inter catholicos familiaritas cum S. Scriptura (motus Biblicus), si liturgia magis magisque vitam fidelium illustrabit atque informabit (motus liturgicus), si fideles magis sentient se responsabiles esse de unione omnium christianorum promovenda (motus oecumenicus).

16

Adaptatio indulgens manifestari poterit etiam in ipsa praedicatione fidei. Quando recta fides ab erroribus primum distinguenda erat, Concilium Tridentinum illas veritates maxime enuntiare debuit, quae erroribus haereticorum negabantur. Nunc vero, veritate catholica iam definita, cavendum est, ne ita veritates ab acatholicis negatas extollamus, ut veritates quasdam fidei ad vitam christianam maxime necessarias quasi silentio praeterire videamur, ideo tantum, quia a nullo christiano negentur. Immo saepe convenit insistere praecise in veritatibus quae dissidentibus sunt carae, ut videant dissidentes se nullo vero et bono privari, ad unitatem catholicam revertendo.

17

Ecclesia indoli christianorum separatorum se adaptare poterit, rationem habendo indolis specialis populorum non latinorum in ritibus disciplinaque Ecclesiae, eorum mentalitati cedendo, non tantum tolerando, sed etiam promovendo diversitatem, qua fit, ut unitas Ecclesiae sit unitas in pluralitate. Addere licet, quod hodiernis temporibus facilitas iti-

nerum atque velocitas in ideis communicandis unitati corporis ecclesiastici favet, et ideo ad hanc unitatem tuendam non videtur necessarium ut uniformitas rigide iuridica omnibus imponatur. Quae omnia facilius obtineri poterunt, si Concilium permittet ut quaedam negotia, quae hucusque ad Dicasteria Romana revocabantur, in ipsis ecclesiis localibus absolvantur; si promovebit ut in ipsa suprema dicasteria et officia Ecclesiae viri ex variis terris orti saepius et intensius introducantur; si demum statuet ut ordinarii variarum ecclesiarum frequentius in rebus communibus et publicis dirimendis consulantur et collaborent.

DE THEOLOGIA DOGMATICA

18

In theologia dogmatica (si ecclesiologiam excipimus) non videtur petendum esse ut quaestiones disputatae theoreticae dirimantur, vel veritates in documentis Magisterii Ecclesiastici nondum contentae definiantur. Peropportuna autem esse videtur sollemnis professio fidei de iis veritatibus, quae ad vitam christianam recte ducendam magnam efficaciam habent, ita ut brevis et organica talium veritatum expositio, praedicationis oralis et scriptae regula dirigens sit atque norma. In qua expositione etiam veritates tendentiis hodiernis contrariae inserendae esse videntur, ut pastores animarum in praedicatione ordinaria, multam fiduciam habentes in Christo Iesu imperandi quod ad rem pertinet (*Philem.* 8), cum aequali libertate apostolica totum evangelium annuntiare audeant. Magnae videtur esse utilitatis, si Concilium ne illas quidem doctrinas praetereat, de quibus inter catholicos disputationes vigent, non quidem ut ipsas disputationes dirimat, sed potius ut fundamenta illa determinet, quae ab omnibus catholicis in dubiis diverse opinantibus omnium consensu sunt tenenda et populo christiano annuntianda.

19

Explicandae esse videntur veritates quae faciunt ut christiani *recte de Deo sentiant*: una ex parte, *transcendentia Dei,* qui mundum, nihilo indigens, propter seipsum fecit, scilicet propter suam bonitatem communicandam, et qui gratuito dona sua distribuit singulis sicut vult, singulis demum praemium collaturus quod omnem potentiam et exigentiam hominis superat; alia ex parte, *praesentia Dei,* qua se quaerendum ho-

minibus offert, et iis qui suam voluntatem faciunt, seipsum manifestat in iisque habitat, ita ut si quis talem unionem cum Deo non quaerat et reiiciat, ne vitam quidem homine dignam vivere possit.

20

Similiter insistendum esse videtur in *veritate vitae, doctrinae, humanitatis et divinitatis D. N. Iesu Christi,* ut fideles recte intellegant Evangelium ante omnia certe normam vitae religiosae esse, sed ideo esse normam validam, quia veritates historicas de Verbo Incarnato infante, docente, passo et exaltato annuntiat; et si illa magnalia Dei historice vera non essent, tunc vana esset nostra religio. Hac petitione minime intenditur ut excludatur « critica historica » Evangeliorum vel insistentia in « interioritate » religionis Christianae; id tantum quaeritur ut progressus cognitionis mysterii christiani nullam veritatem complementarem obscuret.

21

Annuntiandus esse videtur *valor necessarius redemptionis*; et cum theologi variis modis explicent nos sanguine pretioso Christi redemptos esse (*1 Pet.* 1, 19), peculiari modo necessarium est ut factum, quocumque modo explicandum, annuntietur, et omnibus credendum proponatur nos Deo per mortem Filii Sui esse reconciliatos (*Rom.* 5, 10).

Opportunum quoque est docere, quomodo passionibus nostris possimus implere quae desunt passioni Christi, maxime contra tendentias falsas ubique sparsas parvi faciendi abnegationes et mortificationes, libere susceptas.

22

Cum valor et necessitas beneficii mortis Christi a S. Paulo per doctrinam *peccati originalis* explicetur (*Rom.* 5, 12-21), talis veritas viva in conscientia Ecclesiae remaneat oportet; et cum ex sola enarratione genesiaca primi peccati fortasse non satis clare constaret, quid ad veritatem fidei tenendam et quid ad formam litterariam pertineat, valde utile esse videtur repetere, dogma peccati originalis maxime in illo parallelismo inniti, qui inter primum et secundum Adam a S. Paulo revelatur, doctrinamque Concilii Tridentini docentis peccatum unius hominis mortem animae in omne genus humanum transfudisse (D. 789), et hoc peccatum propagatione non imitatione transfusum omnibus insitum esse unicuique proprium (D. 790), ad fidem catholicam pertinere, sine qua impossibile est placere Deo (D. 787).

23

Dogma peccati originalis et necessitatis redemptionis omni tempore et per necessitatem *baptismi infantium* populo christiano intelligibile redditum est. Perplexitas quaedam in modo procedendi relate ad baptismum infantium, cui favent « nonnullae sententiae solido quidem fundamento carentes de sorte aeterna infantium sine baptismo decedentium » (*A.A.S.* 50, 1958, 114) veritatem supra dictam in conscientia fidelium nostris temporibus minus clare patere ostendit. Hinc repetendum esse videtur, non tantum omnes infantes in statu peccati originalis defunctos a visione Dei excludi, sed etiam, de lege ordinaria Dei non exsistere medium quo infans, rationis usu carens et baptismo privatus, a peccati originalis labe liberari possit. Talis declaratio ideo maxime desideranda esse videtur, quia iam nunc silentium magisterii ecclesiastici ita explicatur ac si eo ipso positive tolerandae essent opiniones contrariae, in revelatione et traditione minime fundatae.

24

Generosa missionariorum actio ab Ecclesia tantopere laudata et commendata vix iustificari vel etiam existere posset, si populus christianus non esset omnino persuasus, annuntiationem Evangelii, admissionem ad sacramenta et ad sacrificium Ecclesiae, plenamque communionem sanctorum tam magna esse beneficia, quae nullo valore humano comparari possint; et de facto, etsi de nullius salute desperare debemus, tamen fatendum est, omnino aliam situationem habere relate ad salutem aeternam, illos qui audierint evangelium et in baptismo regenerati sint, et illos qui hoc beneficio privati sint. Clare igitur exponendum esse videtur, variis explicationibus, quibus salus adulti, in evangelio non instructi, possibilis esse laudabiliter monstratur, *valorem transcendentem unionis etiam externae cum Ecclesia* non esse obfuscandam.

25

Alia ex parte, valor mediorum, quibus Ecclesia fideles sanctificat, saepe perperam in praxi saltem, intelligitur, quasi media illa sine bono suscipientium motu, gratiam conferant, quod nunquam Ecclesia docuit nec sensit (D. 898). Adhortandi sunt ergo fideles, ut ita fiduciam habeant in *efficacia obiectiva sacramentorum,* ut subiectivam seu personalem pietatem minime omittant (*A.A.S.* 39, 1947, 533), scientes gratiam in

sacramentis recipi secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem (D. 799). Maxime vero in sacramento *paenitentiae* insistendum esse videtur, requiri in paenitente animi dolorem et detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero; ubi autem talis motus resipiscentiae desit, ritum sacramentalem hominem Deo nequaquam reconciliare (D. 897). Quoad vero sacramentum *eucharistiae,* fidei qua credimus ex hoc pane manducantes vivere in aeternum, (*Ioh.* 6, 52), neque illa cura adversatur, qua homo seipsum probat ne iudicium sibi manducet (*1 Cor.* 11, 28-29), nec illa pietas, qua fideles Christum in sancto Eucharistiae sacramento adorant (D. 880), ac piis et etiam cotidianis salutationibus ac crebris visitationibus ad divina tabernacula congregantur (*A.A.S.* 39, 1947, 569).

26

Quo magis attentio hominum ad evolutionem immanentem valorum terrestrium vertitur, eo magis praedicatio Ecclesiae *novissima hominis* ante oculos fidelium ponere debet. Valde enim mutaretur ratio vivendi evangelica, si fideles in aestimatione et appretiatione valorum terrestrium non iam recordarentur figuram huius mundi praeterire (*1 Cor.* 7, 31), novumque caelum et novam terram promissa esse illis in quibus iustitia habitat (*2 Pet.* 3, 13). Nec illud tacendum esse videtur, quosdam secundum praedictionem Salvatoris a regno caelorum exclusum iri, ita ut non recte de novissimis hominis loquatur qui *nullum omnino hominem damnari censeat.* Si enim omnes omnino salventur, iam nullum periculum salutis, iam non cum metu et tremore salutem propriam quisque operare debet (*Phil.* 2, 12), nec in vasis fictilibus thesarum suum viator portat (*2 Cor.* 4, 7). Hinc ipsa ratio vivendi christiana supponit *iustitiam vindicativam Dei,* neque sine tali veritate plenus sensus christianus satisfactionis Christi et satisfactionis a nobis praestandae haberi potest.

DE THEOLOGIA MORALI

De principiis

27

Optandum videtur, ut in Concilio Oecumenico inculcetur *plenior aestimatio christianae vocationis vitae humanae.* Christifideles enim non decet cogitare mere de integre coram Deo implendis mandatis Divinis, ecclesiasticis et civilibus. Sed potius et profundius, ut monet Apostolus, vere sciant oportet se esse vocatos ad continuandam vitam et opus Christi, Dei-hominis: per vitam integram, ad altiora semper tendentem, secundum exemplar Christi et in virtute Spiritus Eius qui est in nobis, atque pro gradu quo Spiritus Christi unumquemque movet. Qui enim Baptismo et Confirmatione renovati et in Eucharistia iterum iterumque Christo uniti sunt, non solum sacramentaliter consecrati et corpori Christi incorporati, sed et deputati sunt ad ipsum Christum sequendum et imitandum per totam vitam terrestrem, atque ita ad aedificandum illud corpus, cuius Christus est caput.

Similis monitio Concilii de vero et pleno sensu vitae christianae agnoscendo et exsequendo maxime cohaeret cum christifidelium conscientia dignitatis christianae hisce ultimis decenniis quodammodo renovata, non sine efficaci influxu magnarum Encyclicarum *Mystici Corporis* et *Mediator Dei.* Quod hae Encyclicae fundarunt, mediante monitione Concilii Oecumenici ad fervorem et profunditatem vitae christifidelium ducere posse videtur.

28

Simul tamen monendum videtur, *ne verus conceptus vocationis vitae christianae unilaterali quodam supernaturalismo deformetur.* Obliviscendum enim non est, Christum, qui est exemplar omnium, non solummodo Filium Dei, sed et verum hominem esse. Consequenter in homine christiano natura humana vere legem moralem hominis fundat, quae ad totum legis et vocationis christianae pertinet. Natura enim hominis nec elevatione supernaturali nec lapsu Adami nec redemptione Christi deleta est; ut elevata tamen et redempta legem naturalem fundat, cuius sensus et functio vocatione christiana penetrantur. — Unde et addendum videtur: ad *Ecclesiam* Christi, cuius est proponere et declarare legem Christi, pertinere etiam proponere et declarare totam

legem in natura humana fundatam; agitur enim de lege quae illis, qui sunt in Christo, est via ad salutem, quaeque ideo praecise, quoad maiora saltem principia, in Revelatione continetur. Quae veritas proponenda eo maioris momenti est, quod in praesenti generis humani condicione ratio humana sine Revelatione, ab Ecclesia proponenda et explicanda, vix totam legem naturalem expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognoscere potest; sub luce autem Revelationis et doctrinae Ecclesiae, ratio ipsa facilius legem naturae, sive principia eius generalia sive applicationes magis concretas, cognoscere et percipere potest.

Talis monitio arcet errorem eorum multorum, qui momentum legis naturalis, maxime propter vocationem hominis supernaturalem, parvipendunt, cum magno doctrinae moralis et socialis detrimento. Explicatio autem positionis legis naturalis in ordine supernaturali et concessio debilitatis hominis lapsi in cognoscenda naturaliter lege naturali, tollunt fundamentum scepticismi multorum catholicorum et protestantium contra doctrinam catholicam de lege naturali. Simul functio magisterii Ecclesiae affirmatur et explicatur. Totum hoc est, in nucleo, doctrina Concilii Vaticani (*Denz.* 1785 et 1786, cum declaratione relatoris Exc.mi Gasser, *Coll. Lac.* 7, 133), magis formaliter explicata in Encyclicis *Casti connubii* (*A.A.S.* 22, 1930, 579 s) et *Humani generis* (*A.A.S.* 42, 1950, 561 s.; 571 s.).

29

Ob tendentias erroneas hinc inde sparsas opportunum pariter videtur, ut Concilium insistat *in valore absoluto ordinis moralis,* qui in ipso Esse hominis christiani, cum naturali tum supernaturali, fundatur; ita ut sit impossibile ei detrahere ob particulares quascumque condiciones in concreta « situatione », vel ei cognito superordinare aliquod iudicium subiectivum. Deus enim creatione, elevatione et redemptione, cum correspondenti Revelatione, voluntatem suam definitive manifestavit; unde quacumque instantia huic voluntati contraria in perpetuum exclusa est. Veritas ergo moralis concreta fundatur in Esse hominis christiani sub particularibus condicionibus existentis. — Consequenter reiicienda videtur opinio tam late sparsa, quae negare vult *obligationem ad verum heroismum* in observanda illa lege morali, quae in Esse hominis christiani, quod a Deo fundatum est, radicatur. De admittenda tali obligatione nemo miratur, qui recogitat condiciones humani generis post peccatum Adae et sacrificium redemptivum Christi. Opportunum autem videtur simul hortari, quod heroismus mora-

liter possibilis non est, nisi fideles verae et sincerae voluntati iungant vitam profunde religiosam ac humilem et instantem petitionem gratiae Christi.

Talis monitio refutat tendentias perniciosas alicuius « ethicae situationis », quae sive theoretice sive — et magis — practice etiam inter catholicos sparguntur; itque simul explicationes et remedia indicat.

De matrimonio

30

Videtur opportunum esse, ut futurum Concilium exponat doctrinam catholicam de matrimonio, eamque conferat cum hodiernis de matrimonio opinionibus, ut patefiat, quid in iis admitti possit, quid a doctrina catholica alienum sit. Necesse est enim, ut fideles imbuantur doctrina catholica de matrimonio, ne habeant matrimonium ut rem saecularem et profanam, sed rem sacram, ut haec doctrina sit eis lux et munimen. Vix enim est alius aspectus vitae christianae, qui tam graves exigentias, usque ad heroismum attingentes, fidelibus imponat; valor vero absolutus et vis obligatoria harum exigentiarum a pluribus difficillime intelliguntur, et ab acatholicis saepe deridentur.

Pluries Summi Pontifices nostrorum temporum de matrimonio christiano egerunt: Leo XIII in Litteris Encyclicis *Arcanum divinae sapientiae,* Pius XI in Enc. *Casti connubii,* Pius XII in pluribus allocutionibus. Opportunum tamen esse videtur, ut tota materia denuo a Concilio ipso exponatur et ad fidem pertinere doceatur.

Capita autem doctrinae tractanda videntur sequentia: *a*) matrimonii origo; *b*) matrimonii finis; *c*) matrimonii natura et essentiales proprietates; *d*) matrimonii usus legitimus et non legitimus; *e*) matrimonii celebratio mere naturalis, ecclesiastica et civica; *f*) matrimonii dissolutio ex toto vel ex parte; g) matrimonia mixta.[1]

---

[1] Cf. Appendix R. P. Hürth, pp. 90-119.

DE VITA SPIRITUALI

De vita spirituali cleri fovenda

32

Ut pluries Pontifices recentiores commendarunt, quam maxime curanda est vita spiritualis sacerdotum, ut non solum ipsi ambulent digne vocatione qua vocati sunt, sed etiam populum christianum docere possint non tantum doctrina, sed exemplo, non tantum in iis quae ad salutem animae absolute sunt necessaria, sed etiam in iis quae ad perfectionem christianam pertinent. Constat autem problema magnum poni, quo modo ex una parte possint haberi sacerdotes optimi, et ex alia parte, qua ratione possint hi eo numero esse, qui requiratur ad curam pastoralem rite et sufficienter obeundam. Curandum est, ut candidati ad sacerdotium ita seligantur atque in Seminariis formentur, ut non tantum numerus, sed, magis etiam, qualitas cleri ante oculos habeatur. Propterea praescriptiones hac de re iam exsistentes a Concilio colligendae atque inculcandae esse videntur.

33

Ea quae valent de Clero dioecesano relate ad materiam numeri praecedentis, videntur applicanda esse, mutatis mutandis, etiam ad selectionem et formationem cleri regularis. Si vero in quadam familia religiosa personae ad iuvenes formandos aptae non inveniantur, videndum est, quo modo defectus collaboratione vel etiam unione variarum familiarum religiosarum reparari possit.

34

Curandum est, ut sacerdotes tum diocesani tum religiosi in vinea Domini iam laborantes, habeant media necessaria ad vitam spiritualem intense fovendam. Forma enim vitae sacerdotalis, praesertim ab Ecclesia Latina sacerdotibus praescripta (caelibatus), nostris temporibus tam magnas difficultates implicat, ut, sine intensa spiritualitate et convenientibus mediis, vix haberi possit; et licet Deus suppleat per suam gratiam ubi media ordinaria ad vitam spiritualem fovendam dari non possunt, tamen, Ecclesia pro viribus eiusmodi media suppeditare debet. Inter haec media commemoranda sunt sapiens directio spiritualis,

copia librorum ad vitam spiritualem fovendam aptorum, frequentes conventus sacerdotum ad agendum de rebus spiritualibus et pastoralibus etc., vita denique communis, ubi convenit.

35

Videat Concilium, num aliquid fieri possit ad sublevandam miseriam spiritualem sacerdotum, qui ab Ecclesia defecerunt, et, quamvis re vera exoptent obligationibus a legislatione ecclesiastica actuali impositis satisfacere, id praestare difficillime valent.

DE LITURGIA

36

Petitur ut Concilium Oecumenicum, viam mediam commendans inter « conservatismum » exaggeratum et nimium « progressismum », sequentes quaestiones considerare velit:

1. An in liturgia romana, quod ad suam formam hodiernam attinet, ut magis perfecte cultus sit « in veritate et in spiritu », providendum sit, ne exsistat periculum rubricismi exaggerati, adsint caeremoniae parum intelligibiles, aliquis archaeologismus, periculum quoddam alienationis ab hodiernis circumstantiis, necnon et inefficacitatis pastoralis.
2. An propter maiorem participationem fidelium in liturgia, non obstante necessaria unitate totius legislationis liturgicae, permittenda sit maior quaedam multiformitas, ita ut episcopi (vel singuli, vel plures secundum provincias aut nationes uniti) congruentius et efficacius necessitatibus localibus, quae tam diversae sunt, occurrere possint.

37

Opportunum esse videtur ut Concilium agat de relatione inter exercitia pietatis tempore imminutae vitae liturgicae orta et hodiernam eius instaurationem, ut ex una parte necessaria pietas privata salvetur, et ex altera removeatur quod nunc minus conveniens factum est vel infructuosum.

Exercitia pietatis debita prudentia propaganda sunt, ne apud fideles oriatur confusio inter substantialia et accidentalia. Praesertim in missionibus observandum est, utrum pietatis exercitia quae ad mentem et cultum occidentalium accommodata sunt, pariter etiam in missionibus conveniant necne.

38

Considerationi Patrum proponenda videtur etiam quaestio de lingua latina et vernacula in cultu liturgico adhibenda. Considerandae enim sunt circumstantiae gentium tam diversarum in solutione gravis huius problematis, cum non singulis populis idem conveniat. Ideo perpendere oportet utrum possit hoc problema solvi pro Ecclesia universali, an solutiones forsan quaerendae sint secundum divisiones locales Ecclesiae.

39

Quod ad legislationem in re liturgica attinet, Patres providere velint ne ordinationes pro Ecclesia universali latae, nimis indolem occidentalem particularemque habeant; ita ut ubicumque observari possint quin, nimia frequentia, privilegia necessaria sint.

40

De ritibus sacramentorum plura notanda referuntur.

In *ritibus pontificalibus missarum* notabilis simplificatio desideranda esse videtur, ut fideles talibus functionibus pontificalibus actuose adesse possint.

Relate *ad ritum baptismi et confirmationis,* opportune ageretur: de restauratione catechumenatus adultorum eiusque adaptatione ad circumstantias hodiernas; de connexione baptismatis adultorum et celebrationis eucharisticae; de connexione inter baptismum infantium, confirmationem, primam communionem et intructionem catecheticam (a. v. de « catechumenatu » infantium post baptismum).

Ritus matrimonii quo melius a nostrae aetatis hominibus intelligantur et aestimentur, reformandi videntur, sicut iam factum est aliquomodo in nonnullis ritualibus localibus. Praesertim in missionibus optatur adaptatio ad honestas gentium consuetudines sicut olim factum est in Occidente.

Quod attinet ad Diaconatum et Ordines Minores, videatur utrum et quomodo munera illorum Ordinum restaurare conveniat. Examinetur, an sint necessariae sanae ad praesentia tempora accommodationes, sicut factum est in primis saeculis. Fortasse etiam de diaconatu perpetuo restaurando cogitari posset.

Dolendum est usum sacramenti unctionis infirmorum, quae non recte sub designatione « extremae » a multis fidelibus intelligitur, in quibusdam regionibus negligi.

Etiam liturgia morientium recognoscenda videtur, ut menti hominum hodiernorum melius respondeat.

41

Liturgia defunctorum res pretiosas continet, quae tamen multis additionibus obscuratae sunt. Fides enim in resurrectione, in gloria aeterna cum Christo magis efferenda est, quam mors, purgatorium.

In coemeteriis restauranda est genuina ars christiana et removenda mundanitas cum suis falsis expressionibus.

42

De *officio divino,* haec problemata inter se connexa, indicare liceat.

Quid praevaleat oportet: tempus determinatum orationis an divisio orationis per diem, ut tota dies sanctificetur?

Estne breviarium monasticum, cuiusmodi hodiernum breviarium romanum magna ex parte est, satis adaptatum in clero, animarum curae deputato?

Nonne forte praestat, ut horae seligantur secundum horarium reale cleri in cura animarum?

Ad problema breviarii, bene solvendum, etiam considerandae sunt aliae obligationes orationis, quae pertinent ad clerum, nam aliquando oppositio inter utramque formam existit.

Quid dicendum de publica celebratione Officii Divini? Suntne etiam nunc templa, quantum fieri potest, per totam diem « ecclesiae orantes »?

Si spiritus orationis apud clerum deficit, quaeri potest, an forte hoc proveniat partim etiam propter difficultatem conciliandi recitationem breviarii cum aliis orationibus clero praescriptis.

43

Kalendarium Liturgicum: optandum est ut dies Dominica in suo splendore restauretur, nam est dies Domini, dies Paschatis, memoria redemptionis, scilicet passionis, mortis, resurrectionis Domini.

Festa Mariana substantialia (v. g. Purificatio, Annuntiatio) maiore cura observanda sunt, accidentalia autem diminui possunt. Tempore Nativitatis D. N. I. C. maxime desideratur festum sollemne Matris Dei (vide ritus orientales).

Quadragesima iterum fieri deberet sollemne tempus orationis, paenitentiae ac praeparationis ad festa paschalia. Propterea hoc tempore pleraque festa prohibenda esse videntur, praesertim si secum ferant sol-

lemnitates exteriores. Ne textus liturgici contradicant praxi quotidianae, ieiunium reale restaurandum esse videtur secundum hodiernas circumstantias ac possibilitates.

Ex kalendario universali liturgiae romanae opportune removeri posse videntur, quae tamquam obiectum habent apparitiones, devotiones, res omnino locales, exceptis illis quae cum mysteriis fidei intime cohaerent et a magisterio Ecclesiae qua tales laudata sunt.

Quod ad Sanctos attinet, curandum esse videtur ut opportune ea removeantur quae secundum communem peritorum sententiam veritati historicae non respondent.

Patres considerent num opportunum sit tempus Dominicae Paschatis stabili modo determinare, ut unoquoque anno kalendarium liturgicum ordinatius evolvatur (hebdomada stabilis non videtur opportuna a parte liturgiae).

DE ACTIONE PASTORALI

De instructione religiosa

44

Hucusque instructio religiosa, sive forma elementari catechismi, sive minus elementari, ut in scholis mediis et superioribus tradi solet, fidem facere poterat de morali condicione tum familiae tum societatis, quod merito « catechumenatus socialis » appellabatur. Hodie hoc iam fere haberi nequit. Saepe enim familia vel non est christiana vel non vivit christiano modo, et societas cum sua multiplici ratione formandae publicae opinionis (prelum, cinematographia, radio, televisio) facta est obstaculum ad conservationem fidei.

Ideo non sufficit doctrinam tradere, sed simul necesse est ita penetret instructio religiosa in animas fidelium, ut christiano modo vivere queant, etsi obstet ratio vivendi pagana plurimorum.

45

Ad hunc scopum attingendum necesse videtur ut praedicatio generaliter sumpta, non immorans in eis quae in christianismo sunt secundaria et marginalia, Evangelium annuntiare conetur in sua essentia, quae est vocatio hominis ad participandam vitam divinam in Christo Redemptore vivente in Ecclesia. Consequenter praedicatio essentialiter

christocentrica, biblica et liturgica sit, sicut ipsa historia salutis, cuius est via.

46

Eadem exigentia debet extendi ad catechesim et ad instructionem religiosam in scholis. Catechismus, prout hodie docetur in quibusdam dioecesibus, est compendium theologiae, formulis constans exactis sed difficilibus intellectu, sine unitate et connexione cum toto complexu vitae christianae, cum Scriptura et Liturgia. Plures ex his formulis quaestiones polemicas confessionales ultimorum saeculorum redolent et saepe incomprehensibiles evadunt. Desideratur recognitio accurata textus catechismi pro dioecesibus in quibus nondum facta est, sub luce novarum inquisitionum tum theologiae pastoralis, tum psychologiae et paedagogiae. Ita catechismus non erit tantum vehiculum doctrinae communicandae, sed etiam instrumentum quo introducantur fideles — pueri vel adulti — in vitam christianam complexive sumptam.

47

Cum hodie fragilitas humana illorum qui in Ecclesia vivunt durius diiudicetur quam cum fides generalis erat, attenti sint oportet praedicatores et praeceptores religionis, ne sine ulla distinctione ea quae non sunt christiana condemnent. Cavendum est simul ne mysterium Ecclesiae annuntietur praepostere, exclusive scilicet affirmando Ecclesiam esse unicum fontem progressus culturalis, et ordinis socialis. Ostendatur potius valor Ecclesiae ad homines sanctificandos, insistendo in sua vera natura institutionis divinae, eamque efferendo non principaliter propter eius beneficia culturalia et socialia, sed ut miraculum morale positum a Deo in mundo in testimonium suae voluntatis salvificae universalis.

48

Stante momento instructionis religiosae, ipsa continuari debet etiam post primam Communionem et in adulta aetate. Hoc fieri posset, potius quam in formam catechismi, in formam « conferentiae » religiosae, in qua tractentur quaestiones principaliores doctrinae et moralis christianae, cum applicatione ad problemata vitae individualis et socialis fidelium. In his conferentiis non negligatur amor erga Scripturam Sacram et liturgiam nostrorum coaevorum. Si fieri potest invitentur ad has conferentias tenendas peritiores professores religionis, necnon theologi.

Hoc tribuet tali instructioni maiorem aestimationem et adiuvet in illam collaborationem inter pastores et professores, quae hodie valde exoptanda est. Contactus inter pastores animarum et professores religionis vel theologiae, utilis erit ad elaborationem illius theologiae pastoralis, seu scientiae pastoralis, quae hodie maxime desideratur.

49

Ut desiderata renovatio locum habeat, studiis theologicis absolutis per annum iuveni clero cursus theologiae praedicationis fiant, ut futuri sacerdotes et catechistae sciant, non solum empirice, quid sit praedicatio et in quo differat ab illis formis communicationis. Ipsi theologi rogari possunt ut ad hoc problema frequentius propriam attentionem vertant.

FACULTAS IURIS CANONICI

DE NORMIS GENERALIBUS

De principio subsidiaritatis in vita Ecclesiae et in legislatione canonica applicando [1]

1

Principium subsidiaritatis a Pio XI enuntiatum et a Pio XII explicite ad Ecclesiam relatum est. Unde Concilii considerationi proponitur utrum sequentia opportune urgeat:

Ecclesiae est fideles instituere ad vitam supernaturalem personali responsabilitate et libertate agendam, reducendo ad necessarium prohibitiones, e. gr. librorum, et poenas, praesertim latae sententiae.

2

Fideles iure desiderant habere partem activam in evolvenda vita ecclesiastica. Hinc eorum industriae et institutioni per se committendum est exercitium operum caritatis in variis eius formis, instructionis iuventutis, operum socialium etc.; nec omnia reducantur ad instituta stricto sensu ecclesiastica.

3

Favendum est vitae propriae communitatum et personarum moralium in Ecclesia propria responsabilitate et industria (infra ambitum legis) gerendae; sicut in rebus spiritualibus, ita in temporalibus, ne illis (e. gr. paroeciis) tollatur debita libertas disponendi de propriis bonis temporalibus.

---

[1] Cf. Appendix 1, pp. 50-54.

DE CLERICIS

DE QUIBUSDAM INSTITUTIONIBUS EXIGENTIIS HODIERNIS ADAPTANDIS

4

Iuris canonici et administrationis ecclesiasticae quaedam inertia a plurimis percipitur. Id ex eo oriri videtur, quod post annos fere quinquaginta a promulgato Codice Iuris Canonici, vita publica et condiciones sociales valde sint immutatae, quod et ipsa vita Ecclesiae persentit.

Haec autem mutatio maiorem activitatem internationalem spectat, ita ut communes necessitates religiosae operam exigant assiduae mobilitatis et communicationem mediorum et personarum intra ipsas institutiones ecclesiasticas.

In ambitu interdioecesano videtur huic mobilitati se opponere rigida adscriptio clericorum dioecesi in qua sunt incardinati. Aptior distributio cleri et mediorum inter diversas dioeceses reformationem instituti *incardinationis* postulare videtur, qua facilior et generalior reddatur constitutio institutorum interdioecesanorum, ut sunt tribunalia ecclesiastica, Seminaria, opera apostolatus, commissiones technicae, missiones, etc.

5

Facile intelligitur EE. Episcopos optare ut Sacerdotes, etiam religiosi, unius Pastoris auctoritati in sua propria dioecesi magis magisque subsint. At huiusmodi dioecesanismus immobilitatem cleri in dioecesi secum fert, cum consequenti inaequali distributione cleri in diversis partibus eiusdem nationis et praesertim totius orbis. Res videtur gravis. Nisi enim clerus catholicus a formis nimis localibus expediatur, vix possibile erit eum liberare a gravi malo nationalismi, etiam politici. Inter mala autem quae hodiernam societatem affligunt, gravius apparet malum nationalismi politici, quod certe est impedimentum actionis universalis regiminis ecclesiastici.

6

Liceat quoque votum facere pro maiore supra-nationalitate regiminis centralis ecclesiastici. Ecclesia ex propria vocatione talem supranationalitatem colit. Ut autem haec actio per organa adaequata regatur

necessaria videtur quaedam nova institutionum ordinatio in dimensione mundi. Partes quidem necessariae in regimine ecclesiastico sunt dioeceses cum suis Episcopis. At ecclesiae singulares maiorem habebunt auctoritatem quo melius interne personis aptis et idoneis ordinabuntur, quae si in propria dioecesi non existunt, ab aliis mutuari poterunt ex clero sive saeculari sive regulari.

7

Unde difficilis aequilibratio potestatum tum quae apud Romanum Pontificem ex eius plenitudine exercentur, tum quae apud Episcopos in ecclesiis singularibus habentur, requirere videtur amplitudinem quamdam, seu communem spiritum maioris flexibilitatis. Ceteroquin actio centralis Ecclesiae catholicae in dies supplere contendit quae desunt in efficacia regiminis localis. Non sine fructu universalis Ecclesiae Concilium Oecumenicum prospicere poterit reformationem structurae ecclesiasticae per institutiones territoriales apte ordinatas etiam formarum historicarum (ut sunt patriarchatus, primatus, metropolita) et per novas institutiones indolis personalis, quae necessitates ecclesiasticas in dimensione mundi prospiciant.

DE COELIBATU CLERICORUM [1]

8

Cum de opportunitate coelibatus plura dubia moveantur, Concilii Patribus proponitur convenientia declarandi:

Finem coelibatus esse virginitatem, quam sacerdotium ut statum summe sibi convenientem natura sua exigit. Forte convenit hunc finem positivum, qui in can. 132 tantum modo negativo indicatur, etiam modo positivo indicare. Inde non expedire admittere clerum lege coelibatus non adstrictum, ne ob urgentem quidem penuriam sacerdotum.

9

Id saltem aeque valere de admittendis diaconis perpetuis sine onere coelibatus.

---

[1] Cf. Appendix 2, pp. 54-56.

10

Candidatos ad sacros ordines ita esse educandos et instruendos, ut, magnum bonum matrimonii christiani agnoscentes et intelligentes, maius bonum virginitatis scienter et libere amplectantur.

11

Iuvenes catholicos et ipsos alumnos Seminariorum ita esse instruendos de viribus sexualibus et de momento alterius sexus, prout principia sanae psychologiae exigunt, ut vitetur aversio a statu coelibatus, a defectu sanae institutionis proveniens.

12

Debitam aestimationem coelibatus clericorum requirere, ut conveniens sit conditio socialis cleri, tum quoad formationem scientificam, quam curandum omnino est ut sit par formationi scientificae advocati, medici etc., tum etiam quoad conditionem oeconomicam.

De officiis ecclesiasticis

13

Ius canonicum constitutivum magis ac magis characterem beneficialem classicum derelinquat necesse est, ut aptiore dispositione ecclesiasticorum officiorum seu munerum innitatur. Ad quem finem pars generalis de officiis ecclesiasticis magis evolvenda videtur iuxta momentum, quod officium sacrum in institutionibus ecclesiasticis habet. Pars beneficialis seu ius ad reditus consideranda est tamquam habens secundarium momentum. Personalitas iuridica officiis ipsis tribuenda est.

14

Officia ecclesiastica maiora quae ratione territorii constituuntur, sive nova officia, quorum necessitatem hodierna conditio celerrimae communicationis aut gentium migrationes suadent, instituenda cum potestate quasi-episcopali in personas immediata, uniformitatem quamdam iuridicam postulant tum inter se tum relate ad necessarias intersectiones in exercitio iurisdictionis.

15

Ideo pars generalis de officiis ecclesiasticis magis evolvatur oportet. In iis legislatio potius in doctrina personalitatis iuridicae, quam in antiquata consideratione officii beneficialis vel non-beneficalis niti debere videtur, ut flexibilior, celerior, accommodatior administratio ecclesiastica habeatur.

16

Pars beneficialis, qualis hodie in Codice Iuris Canonici describitur, paroeciis potissimum applicatur. Nemo non videt quantum regimen paroeciale complexum fiat et immobile quantisque difficultatibus scateat ex parte ipsius dotis beneficialis seu ex administratione bonorum paroecialium. Ut paroecia hodiernis necessitatibus accommodetur sive in sua constitutione sive in regimine spirituali sive in administratione temporali, officium parochi stabile quidem esse oportet, magis tamen exsolutum antiquis vinculis, quae ex conditione beneficiali institutionis paroecialis oriuntur.

De Hierarchia in Missionibus

17

Proponitur considerationi Patrum ut in Codice Iuris Canonici loco capitis *De Vicariis et Praefectis Apostolicis,* aliud caput inseratur *De Ordinariis qui subsunt Sacrae Congregationi de Propaganda Fide,* cum iam maior pars territoriorum, quae illi Congregationi subsunt, sint dioeceses.

De Episcopis

18

Nostri temporis adiuncta postulare videntur ut, omnino retenta auctoritate quae Episcopis competit in proprium gregem, ex una parte aptis statutis promoveatur maior cooperatio inter Episcopos eiusdem regionis; ex alia vero curetur ut singuli Episcopi consilio proprii Cleri, immo et Laicorum, magis adiuventur. Ratio enim hodierni apostolatus omnino exigit ut viribus unitis procedatur; nec iam fieri potest ut Episcopus solus plenam rerum cognitionem habeat, quae ad foecundum apostolatum hodie exercendum requiritur.

De Parochorum amovibilitate [1]

19

Proponitur ut can. 454 §§ 2-3 Codicis Iuris Canonicis ita mutetur, ut omnes paroeciae fiant amovibiles ad normam canonum 2157-2161.

De adiuvandis dioecesibus penuria sacerdotum laborantibus

20

Cum multae dioeceses, immo integrae provinciae ecclesiasticae, adeo, summa penuria sacerdotum laborent, ut fideles gravibus periculis spiritualibus, etiam ipsius fidei amittendae, expositi sint, opportunum videtur ut Patres — memores officii Episcopatus Evangelium ubique terrarum propagandi et conservandi — deliberent, qua ratione his dioecesibus subveniri possit, fovendo sive vocationes singulorum clericorum qui in illis operam suam praestare desiderent, sive maxime vocationes ad instituta religiosa vel saecularia (« Seminaria »), quae sibi hunc finem proponunt.

DE RELIGIOSIS

De conservando instituto exemptionis

21

Promovenda est sincera et actuosa Religiosorum cooperatio in auxilium Episcoporum et Parochorum ad munera apostolica, quae cum cura animarum connectuntur. Attamen exemptio, quam Codex Iuris Canonici confirmavit et intra iustos limites ordinavit, integra permanere debet.

---

[1] Cf. Appendix 3, pp. 57-58.

DE LAICIS

De iuribus et officiis Laicorum in genere in iure canonico exprimendis [1]

22

Proponitur ut in Codice Iuris Canonici in tertia parte libri secundi *De Laicis,* quidam canones inserantur, qui contineant quinam in iure veniant nomine Laicorum, quaenam sint in genere iura et officia canonica ipsis propria, et qualem autonomiam et dependentiam ab Hierarchia varii gradus in sua activitate habeant.

DE SACRAMENTIS

De determinandis iis quae in materia et forma ad valorem sacramentorum requirantur

23

Sicut Pius XII Const. Apost. *Sacramentum Ordinis* determinavit traditionem instrumentorum non requiri, saltem posthac, ad valorem Ordinationis, ita videtur fieri posse in aliis, quae certo constat pendere a voluntate Ecclesiae, dubitatur tamen utrum ad valorem sacramenti requirantur; sic de materia remota sacramentorum Confirmationis et Extremae Unctionis.

Optandum videtur ut quam pauciores conditiones exigantur ad valorem, ne forte aliquando sacramentum administrari nequeat ex carentia materiae, quae, seclusa prohibitione Ecclesiae, facile haberi potuisset. Talis casus occurrere potest si specialis benedictio Olei ita reservatur Episcopis et Presbyteris privilegiatis, ut ne in casu quidem necessitatis alius sacerdos illud benedicere valeat (can. 945).

De disciplina circa Missas Vespertinas statuenda

24

Optanda videtur disciplina uniformis, clara et simplex, non obnoxia dubiis, aptata necessitatibus omnium locorum. Talis norma alia vix esse posse videtur quam permittere celebrationem Missae, in commodum

[1] Cf. Appendix 4, pp. 58-59.

fidelium, per totum diem, sine ulla limitatione horarum ex iure communi, ita ut Ordinariis locorum, sive singulis sive Conciliis (seu « Conferentiis ») relinquatur ut, pro rerum adiunctis, discretionaliter tempus Missarum in commodum fidelium celebrandarum determinent.

De statuenda disciplina de iurisdictione sacramentali concedenda [1]

25

Systema Codicis Iuris Canonici de iurisdictione confessariis concedenda magnas creat difficultates practicas, maxime iis sacerdotibus qui versantur extra dioecesim ubi iurisdictionem receperunt. Quare opportunum videtur considerare, an possibile sit creare systema, quod:

1) caveat sufficienter ne sacerdotes inepti confessiones excipiant;

2) salvet auctoritatem Ordinariorum locorum in proprio territorio;

3) foveat usum sacramenti nec incommoda inutilia sacerdotibus imponat, et in specie evitet, quominus sacerdotes nimis frequenter curias adire debeant ad postulandam iurisdictionem.

De augendo numero Ministrorum Sacramenti Confirmationis [2]

26

Cum hodierna disciplina de Ministris Sacramenti Confirmationis plura aeque gravia incommoda secumferat ob numerum insufficientem Ministrorum, optandum videtur ut vel concedatur Ordinariis locorum facultas deputandi sacerdotes ad hoc munus; vel adnectetur alicui vel aliquibus officiis dioecesanis, ut officio Parochi, facultas ordinaria et delegabilis confirmandi, salvo iure Ordinarii loci sibi reservandi ministerium confirmandi in singulis locis; vel ut canon 741 accommodetur etiam ad Sacramentum Confirmationis.

De matrimonio

Quamvis legislatio matrimonii in Ecclesia catholica indubiam quamdam perfectionem attigerit, quaedam adhuc suggeri posse videntur.

---

[1] Cf. Appendix 5, pp. 59-60.
[2] Cf. Appendix 6, pp. 60-63.

27

Canones praeliminares *C.I.C.* (cc. 1012-1018) viderentur paulo magis enucleandi, praesertim quod attinet ad sacramentalitatem matrimonii baptizatorum, ad fines matrimonii, ut excludantur modernae theoriae quae illos pervertere conantur, ad proprietates essentiales, quae apud plerosque, etiam catholicos, ignorari finguntur, sin minus earum consequentiae minus legitimae aestimantur.

28

Inculcari etiam oportet fideles, antequam contrahant, debita sint praeparatione instructi.

29

Expedire videtur ut impedimenta dirimentia, quae hodie vigent, quamdam ulteriorem reductionem habeant. Ad hunc finem impedimenta dirimentia gradus minoris (cf. can. 1042 § 2) ad categoriam impedimentorum impedientium reduci possent.

30

Sensus verborum « cum iam omnia sunt parata ad nuptias » (can. 1045) melius determinetur oportet, et cum potestate can. 81 aptius componatur.

31

Ordinariis locorum concedatur amplior facultas dispensandi in impedimentis matrimonialibus

32

De efficacia erroris in consensum matrimonialem imprimis abolere oporteret errorem circa conditionem servilem (can. 1083 § 2, n. 2). Introducendus autem videretur error dirimens matrimonium, quando ex dolo aut fraude tacetur comparti innocenti morbus venereus quo altera pars ante matrimonium laborabat, dummodo coniux innocens nullomodo contraxisset, si morbum alterius partis cognovisset.

33

Celebratio matrimonii per procuratorem ne permittatur nisi *gravis causa* adsit et constet mulierem contrahentem posse regionem viri petere et vitam communem cito instaurare.

34

Denuo examinetur an matrimonium admittat condicionem sive veram et propriam id est suspensivam et licitam, sive de praeterito aut de praesenti. Item an quaevis condicio contractui matrimoniali apposita pro adiecta sit habenda.

35

Circa canonem 1098, seu de forma extraordinaria matrimonium celebrandi. Limitem quemdam eidem poni oportere videtur in modum sequentem: Matrimonium extra mortis periculum coram solis testibus celebratum, ubi recursus, qui possibilis sit, ad Ordinarium vel saltem parochum praetermissus fuerit, aut contra eius praescriptum, esse nullum.

36

Facultates delegatae generales ad assistendum matrimoniis faciliores reddi posse videretur. Excludatur autem applicatio can. 209 assistentiae matrimonii ex parte sacerdotis non qualificati qui delegatione omnino careat.

37

Ad coercendas causas matrimoniales ex capite vis et metus, considerandum est utrum restaurari possit disciplina Iuris Decretalium in ea saltem forma quae legitur in Instructione S. Officii diei 20 iunii 1883 (cf. *Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide,* II, n. 1587, § 36).

38

Ius accusandi matrimonium ob simulationem consensus, sive totalem sive partialem, quibusdam maioribus limitationibus et cautelis sit subiectum. Ideoque post congruum tempus i. e. post annum vel annum cum dimidio, accusatio a tribunalibus non recipiatur nisi habita prius sit licentia S. Congregationis de Sacramentis.

DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO

De prohibitione librorum

39

Cum constet passim non observari neque amplius urgeri normas Codicis Iuris Canonici de prohibitione librorum, maxime quod attinet ad licentias petendas, quae revera difficultates practicas nimis graves pariunt; cum ex alia parte maximi momenti sit ut fideles a nocivis publicationibus legendis efficaciter avertantur; cum praeterea eadem prorsus valeant de aliis modis publicationis seu divulgationis, hodie forte vel maioris momenti ac libri; optandum videtur, ut in universa hac re normae statuantur, quibus fideles, in quantum fieri potest, efficaciter a gravibus periculis defendantur.

DE PROCESSIBUS

De procedura imprimis administrativa moderanda

40

In Const. Apost. *Sapienti Concilio* fulcrum regiminis ecclesiastici videbatur in eo positum, ut apte distingueretur ordo administrativus et ordo iudicialis. Uti notum est, ordo iudicialis magis ac magis ad causas matrimoniales reducitur; contra ceterae causae administrativo modo in SS. Congregationibus solvuntur. Iam vero optandum est ut aliqua procedura summaria sed fixa et determinata in hac administratione iustitiae habeatur, etiam pro causis quae in SS. Congregationibus agitantur. Codex Iuris Canonici (post decretum *Maxima Cura*) quosdam apparavit processus speciales in causis de amovendis parochis vel de quibusdam sanctionibus clericis applicandis. Item habentur Regulae in processibus administrativis circa matrimonium ratum et non consummatum et circa S. Ordinationem. At forma quaedam generalis procedendi administrativo modo cum opportunis recursibus, deest.

41

Insuper, maior publicitas in causis cuiusvis generis ecclesiastici desideratur. Ex quo omnia in secreto paene absoluto SS. Congregationum

concluduntur, iustitia Ecclesiae gentibus patere dici non potest. Habetur etiam aliud non leve: quod iurisprudentia canonica in re administrativa a quibusdam decenniis silet, quod non sine detrimento sive praxis sive scientiae iuris canonici accidit, et, quod maius est, incertitudinem parit, quae fiduciam non bene sibi conciliat inter gentes.

Ut administratio iustitiae ecclesiasticae fiat celerior, aequior, et non nimis arbitraria, atque in aestimatione communi elevatior appareat, necessarium videtur ut non ita abscondita maneat, ut hodie in maxima parte negotiorum ecclesiasticorum fit.

42

Hinc aliud detrimentum consequitur: quod iudices ecclesiastici, praesertim in tribunalibus et curiis dioecesanis, neque scientia neque experientia praecellant, ideoque intructiones causarum et decisiones genetim non aestimentur.

Ad satisfaciendum votis tot Episcoporum, qui maiorem autonomiam sibi volunt in negotiis expediendis, necessarium reputatur ut magistratura ecclesiastica in genere sit magis selecta atque ordinata cum maiore responsabilitate propria. Ad hoc autem remedia non desunt, quae tamen in ordinando novo Codice Iuris Canonici facilius explicabuntur, si Concilium Oecumenicum necessitatem eorum statuerit.

DE DELICTIS ET POENIS

De quibusdam normis iuris poenalis canonici retractandi [1]

43

Cum adaptatio ad adiuncta moderna iuris poenalis canonici haud leves mutationes exigere videatur, proponitur ut Patres quasdam normas generales statuant quae his mutationibus praesse debeant.

44

In specie proponitur, ut monitum Concilii Tridentini, in canone 2214 receptum, ut finis omnis mutationis statuatur.

---

[1] Cf. Appendix 7, pp. 63-67.

45

Ad quod conducere videtur, ut plenior, immo forte absoluta separatio introducatur inter forum externum et forum internum.

46

Ut retractetur institutum reservationis casuum ita ut, ubi retinendum videatur, reapse proprium huius instituti propositum attingat.

47

Ut minuatur numerus poenarum latae sententiae.

48

Ut dispositiones canonicae, a confessariis in foro sacramentali servandae, sint paucae, simplices, non obnoxiae dubitationibus.

49

Ut statuantur quaedam normae de gravioribus peccatis in foro sacramentali tractandis.

DE IURE PUBLICO ECCLESIASTICO

De maioribus quibusdam principiis enuntiandis

50

Quae iam pro Concilio Vaticano I parata erant schemata circa habitudinem inter Ecclesiam et Status, ob notas Concilii vicissitudines in discussionem tunc non venerunt. At necessitas doctrinam de iure publico ecclesiastico proclamandi, in notis Encyclicis RR. PP., qui inde Supremum Pontificatum obtinuerunt, vigorose expressam et vindicatam esse novimus. Tamen inopportunum non videtur praecipua, ea de re, principia in proximo Concilio enuntiari ac suprema Ecclesiae auctoritate muniri; eo vel magis quod Codex Iuris Canonici quaedam tantum proposuit, quarum usus immediatus in canones traducebatur.

Praecipua illa principia circa haec enuntianda videntur.

1. Ecclesia est societas vere iuridica, perfecta, spiritualis, et ordinis omnino supernaturalis.

2. Iurisdictio, qua Ecclesiae magistratus pollent, est ordinis supernaturalis potestas, independens ac libera a quacumque potestate civili, eaque secundum divinam ordinationem exercenda.

3. Romanus Pontifex a nemine iudicatur.

4. Ecclesiae et eius Supremo Magistratui personalitas internationalis ab omnibus est recognoscenda, cum ex ipso iure divino constitutionis derivet; quod historia decursu saeculorum luculentissime demonstravit.

5. Ecclesia Catholica et Sedes Apostolica personae moralis rationem ex ipsa ordinatione divina habent; ac proinde cuilibet civili potestati officium inest eam recognoscendi, non autem concedendi.

6. Aliae personae morales in Ecclesia a legitima auctoritate constitutae pariter sunt a Statu recognoscendae cum iuribus et officiis, quae in ordinatione canonica obtinent.

7. Episcopi iurisdictionem ac potestatem in Ecclesiis singularibus habentes, pariter independentes a potestate civili sunt, dum propriam potestatem legislativam, administrativam, executivam et iudicialem exercent.

8. Ecclesia ius proprium et exclusivum habet instituendi et educandi eos, qui ad sacrum ministerium destinantur.

9. Ecclesiae pariter est ius providendi religiosae institutioni et educationi iuventutis catholicae in quolibet gradu humanae institutionis. Proinde ius illi est scholas cuiusvis disciplinae non solum elementarias, sed etiam medias et superiores condendi.

10. Constituere status perfectionis christianae per professionem perfectionis evangelicae iuxta formas ab auctoritate ecclesiastica approbatas, est ius nativum Ecclesiae, quod Status recognoscere debet. Neque hic personalitatem iuridicam, quam ex ordinatione canonica adquirunt, illis associationibus denegare aut limitare potest.

11. Associationes fidelium ad religionem aut caritatem provehendam ab Ecclesia constitui possunt, neque ius est Statui id impediendi, aut earum activitatem limitandi, quatenus suos proprios fines prosequuntur.

12. Matrimonium baptizatorum sub exclusiva iurisdictione Ecclesiae positum est, salva potestate Status quoad effectus mere civiles, quos tamen matrimonio iuxta Ecclesiae leges celebrato denegare non potest.

13. Causae matrimoniales inter baptizatos iure proprio et exclusivo

ad iudicem ecclesiasticum spectant. Causae de effectibus mere civilibus, si principaliter agantur, pertinent ad civilem magistratum.

14. Ecclesia habet ius in propria personalitate iuridica insitum acquirendi, retinendi, administrandi bona temporalia cuiuslibet generis ad fines suos prosequendos.

15. Fideles habent ius libere de suis bonis disponendi ad pias causas; quod ius a iure naturali et ecclesiastico unice regitur.

APPENDICES

1

De principio subsidiaritatis in vita Ecclesiae et in legislatione canonica applicando

« Sicut quae a singularibus hominibus proprio marte et propria industria possunt perfici, nefas est eisdem eripere et communitati demandare, ita quae a minoribus et inferioribus communitatibus effici praestarique possunt, ea ad maiorem et altiorem societatem avocare iniuria est simulque grave damnum ac recti ordinis perturbatio; cum socialis quaevis opera vi naturaque sua subsidium afferre membris corporis socialis debeat, numquam vero eadem destruere et absorbere » (ita Pius VI in Litt. Enc. *Quadragesimo Anno, A.A.S.*, XXIII, 203).

Pius XII haec — efferendo eorum fundamentum in natura vitae socialis — explicite retulit « ad vitam socialem in omnibus eius gradibus et etiam ad vitam Ecclesiae, sine praeiudicio structurae eius hierarchicae » (*A.A.S.*, XXXVIII, 1946, 144 s.). Vere character supernaturalis Ecclesiae — structura hierarchica indicat characterem supernaturalem vitae Ecclesiae — in omni eius activitate servandus est: attamen Ecclesia tamquam societas vere humana — consequenter ad institutione divinam — vitam vere socialem vivit. Quo magis igitur vita Ecclesiae est vita genuine socialis, eo magis efficit « aedificationem Corporis Christi » (*Eph.* 4, 16), « quod est Ecclesia » (*Col.* 1, 18), quia vita socialis Ecclesiae fontem et finem habet vitam supernaturalem, vitam Christi; vita socialis Ecclesiae est revelatio et medium activitatis Spiritus Sancti, animae Corporis Christi.

Proinde vita socialis Ecclesiae videtur debere « vi naturaque sua subsidium afferre membris corporis socialis (Ecclesiae), numquam vero eadem destruere et absorbere ».

1. Ideo Ecclesiae est fideles instruere et formare ad vitam supernaturalem personali responsabilitate gerendam, etiam in conditionibus vitae publicae hodiernae saepissime spiritu antichristiano imbutae; et ad vitam supernaturalem libertate personali accommodandam exigentiis vitae ecclesiasticae, reducendo ad necessarium prohibitiones, e. g. li-

brorum, et poenas, praesertim latae sententiae, quae hodie saepe potius creant anxietates in fidelibus bonae voluntatis quam quod delicta impediunt eorum, qui religionem practice non colunt.

« Ecclesia est societas eorum, qui, sub influxu supernaturali gratiae, perficiunt propriam dignitatem personalem tamquam filii Dei, qui explicant harmonice omnes inclinationes et vires humanas, atque ita aedificant convictum humanum » (Pius XII, *A.A.S.*, XXXVIII, 1946, 149). Ipsi fideles « debent semper clarius persuasum habere se non tantum pertinere ad Ecclesiam, sed etiam constituere Ecclesiam, id est societatem fidelium in terra sub directione Capitis communis, Romani Pontificis, et Episcoporum in communicatione cum ipso. Ipsi constituunt Ecclesiam; ea de causa, inde a primis eius historiae temporibus fideles associationes particulares inierunt relate ad diversissimas vitae manifestationes. Et Sancta Sedes semper ipsas approbavit et laudavit » (Ibidem). Iure igitur fideles actuose partem habere cupiunt in evolvenda vita ecclesiastica. Quare eorum industriis et inceptis de se committenda sunt e. g. exercitia operum caritatis in variis eius formis, instructio et institutio iuventutis, opera socialia, etc., nec omnia reducenda sunt ad moderationem stricto sensu ecclesiasticam. In variis regionibus tempus liberum a negotiis, pro cuiusque officio, munere etc. cum crescenti rationalizatione et automatione semper magis extenditur, ita ut iam habeatur verum problema, quomodo hoc tempus liberum sit insumendum. Ideo fideles edocendi et formandi sunt, ut propriam eruditionem etiam religiosam augeant, tempus liberum non tantum impendant in oblectamentis, sed magis attendendo cultui divino, institutioni aliorum, iuvando alios in variis institutionibus provehendis et sustinendis.

2. Communicationes inter diversas mundi partes, etiam remotissimas, hodie facillimae factae sunt. Hinc periculum ne, ex una parte, in territoriis et communitatibus particularibus Ecclesiae declinetur propria agendi obligatio et omnia exspectentur a superioribus auctoritatibus; altera ex parte, ne superiores auctoritates non satis attendant ad propriam agendi obligationem in territoriis et communitatibus particularibus Ecclesiae; hinc sequatur oportet defectus industriae et actionis in territoriis et communitatibus particularibus Ecclesiae, qui magnum damnum vitae Ecclesiae causaret, eo vel magis, quod spiritus absolutae Status potestatis — qui maxime est alienus a christiana notione vitae humanae — hodie non coarctatur ad Status absolutae potestatis, sed in totam vitam publicam fere ubique influit, quamvis a multis qua talis agnoscatur et refutetur.

Si doctrina Ecclesiae tantopere urget observantiam principii subsidiaritatis (cf. ea, quae supra ex documentis pontificiis relata sunt),

Ecclesia non habetur credibilis, si ipsa hoc principium non applicat, ubi applicari potest ac debet. Vere, ad conservandam unitatem Ecclesiae multum confert, si in necessariis habeatur unitas, in ceteris vero faveatur vitae propriae in regionibus, dioecesibus, ordinibus et congregationibus religiosis. Vita Ecclesiae illam perfectionem habet, quam vita ecclesiastica habet in his coetibus et communitatibus particularibus; unitas enim Ecclesiae non est unitas mechanica, sed unitas plenitudinis vitae organicae se evolventis; vita propria autem in communitatibus particularibus progredi nequit, nisi privata industria partem activam habeat.

Re quidem vera legislatio canonica semper favit cuidam autonomiae in personis moralibus ecclesiasticis; et ipse Codex Iuris Canonici hoc principium in variis eius partibus applicat. At videtur hoc principium hodie esse magis urgendum et applicationes eius esse magis perficiendas. Hinc e. g. in ordinibus et congregationibus religiosis, etiam mulierum, autonomia quoad propriam vitam instituendam, quoad activitatem exercendam etc. est fovenda, ne Ecclesia periculum adeat amittendi in dies huiusmodi vocationes. Speciatim vero singulis personis moralibus relinquenda est administratio propriorum bonorum temporalium (cf. can. 1945 § 2, can. 1499 § 2, can. 1476 § 1, can. 531); ubi enim desit quaedam libertas utendi propriis bonis temporalibus, ibi neque in se sumitur cura progressus vitae ecclesiasticae, neque privata industria muneris pastoralis etc., aliis verbis, ibi habentur illa Ecclesiae damna, quae ex non servato principio subsidiaritatis fere necessario sequuntur, ut experientia cotidie docet.

Sine dubio habetur vera obligatio personarum moralium ecclesiasticarum, quae bonis temporalibus abundant, praestandi auxilium aliis personis moralibus carentibus bonis temporalibus necessariis. Ita e. g. paroeciae quae meliore gaudent conditione oeconomica tenentur auxilium praestare paroeciis pauperibus. Attamen talis vera obligatio ad auxilium praestandum non probat necessitatem administrationis bonorum temporalium « centralis ». Haec via magis « commoda » ad damna indicata perducit; et insuper non evolvitur conscientia obligationis ad auxilium praestandum. Quod autem e. g. omnes paroeciae sint aequales quoad bona temporalia, quae adhiberi possint in bonum ecclesiae propriae, cultus, etc. non est summe exoptandum; per se enim, qui gaudet maiore copia bonorum (quae de cetero hodie generatim debentur labori et sacrificio fidelium paroeciae), etiam maiorem copiam in usum habere debet, salva obligatione succurrendi aliis.

His suppositis urgendum est officium superiorum in communitatibus minoribus Ecclesiae tollendi abusus et similia, in se sumendo tale odium;

non autem, declinando proprii officii onera, omnia exspectent ab auctoritate suprema. Immo ipsi fideles sunt instruendi, ut ipsi publice resistant erroribus quoad doctrinam, praxim etc., quin habeatur necessitas interventionis auctoritatis ecclesiasticae.

Tandem reditus christianorum actholicorum ad Ecclesiam catholicam non raro obstaculum habet in centralismo — uti aiunt — Ecclesiae catholicae. Etenim ipsi saepe non habent tantam difficultatem recognoscendi etiam primatum Summi Pontificis, sed concretum exercitium supremae potestatis se admittere non posse affirmant. Hinc etiam hac ratione videtur esse opportunum efferre iura propria, quae communitatibus particularibus et singulis fidelibus conveniunt, ut ita eluceat, quod positio centralis, quae in vita Ecclesiae convenit personae supernaturaliter elevatae, etiam in ordinatione canonica recognoscitur in iuribus, quae communitatibus particularibus et singulis fidelibus conveniunt.

Et revera, communitatibus particularibus Ecclesiae, ipsa exsistentia supremae potestatis, in difficultatibus praesertim externis, est fons consolationis, auxilii, fortitudinis. Item observatio principii subsidiaritatis auctoritatem et dignitatem cuiusvis potestatis auget. Rursus, si maior auctoritas « minoris momenti negotia et curas, quibus alioquin maxime distineretur, inferioribus coetibus expedienda permittat », fiet, ut ipsa « liberius, fortius et efficacius ea omnia exsequatur, quae ad ipsam solam spectant, utpote quae sola ipsa praestare possit: dirigendo, vigilando, urgendo, coercendo, prout casus fert et necessitas postulat. Quare sibi animo persuasum habeant, qui rerum potiuntur: quo perfectius, servato hoc " subsidiarii " officii principio, hierarchicus inter diversas consociationes ordo viguerit, eo praestantiorem fore socialem et auctoritatem et efficientiam, eoque feliciorem laetioremque » Ecclesiae statum. (Pius XI, Litt. Enc. *Quadragesimo Anno, A.A.S.,* XXIII, 203, de suprema auctoritate civili).

(W. BERTRAMS)

* * *

Ne forte principium hoc mere directivum remaneat quin excedat vim monitionis seu adhortationis, etsi solemnissimae, utpote factae a Concilio, videtur opportunum quaedam in specie indicare, circa quae Concilium auctoritativo modo decernat, concretas mutationes introducendo vel distincta praecepta imponendo, ex quibus principium illud fundamentale applicatum appareat. Haec esse possunt:

ut prohibeantur recursus ad altiorem auctoritatem pro iis negotiis quae ad *plenam* competentiam inferioris, etiam ipsius recurrentis, manifesto pertinent. Auctoritativo modo reprobetur mos respondendi

ad huiusmodi quaestiones forte delatas, et auctoritati superiori praecipiatur ut huiusmodi responsiones recuset. Responsiones vero hoc modo nihilominus latae, qualibet peculiari vi et firmitate destituantur, ita ut omnino libere possit auctoritas inferior ab iis recedere;

ut facultates Ordinariis a S. Sede *normaliter* concessae in iure communi et ordinario recipiantur;

ut petitiones quae ad S. Sedem deferuntur, pro quibus requiritur quidem commendatio Ordinarii, commendatione vero obtenta, experientia teste, mechanico quodam modo gratia conceditur, communi Ordinariorum competentiae demandentur.

(R. BORTOLOTTI)

2

DE COELIBATU CLERICORUM

Clerici in sacris ordinibus constituti ad mentem Litt. Enc. Pii XII *Sacra Virginitas* in statu verginitatis versantur (*A.A.S.* XLVI, 1954, 163); vere finis caelibatus — renunntiationis matrimonii — est virginitas tamquam dedicatio integra animae et corporis ad Dominum, quia sacerdotium natura sua exigit — etsi non absolute, tamen tamquam statum summe convenientem — statum virginitatis seu « quoddam spiritualis matrimonii genus, quo animus cum Christo coniungitur » (ibidem 166).

Ipse can. 132 *CIC* (Clerici in maioribus ordinibus constituti a nuptiis arcentur et servandae castitatis obligatione ita tenentur, ut contra eandem peccantes sacrilegii quoque rei sint) hunc finem positivum caelibatus indicat tantum modo negativo, quatenus violationes castitatis habet sacrilegia. Forte convenit etiam in textu canonis hunc finem positivum caelibatus indicare.

Candidati ad sacros ordines talem animum habeant oportet, ut virginitatem assumerent, etiamsi lex ecclesiastica caelibatum non imponeret. Inde ab initio, quo vocationem divinam sequuntur, qua ad ministeria divina in sacris ordinibus invitantur, statum virginitatis habeant tamquam indispensabiliter in Ecclesia latina postulatum pro tali servitio divino. Altera ex parte candidati ad sacros ordines claram notionam habeant de bonis matrimonii; omnino eos scire oportet, quomodo via virginitatis costituat sacrificium perpeuum, cum exigat renuntiationem bonorum, quae vere sunt talia pro homine. Instruendi sunt candidati, viam virginitatis esse de consilio, non de praecepto, electionem inter matrimonium et virginitatem esse electionem inter bonum et maius bo-

num, non autem inter malum et bonum; consequenter plena libertate personali hanc electionem facere posse et debere; libere igitur ordines sacros declinare posse, quin peccatum committant; receptis vero ordinibus obligationi in se sumptae fideliter stare debere.

Praetermissis aliis rationibus, haec videntur in Ecclesia latina excludere clerum, qui caelibatus lege non astringatur. Etenim admissa possibilitate recipiendi sacros ordines, sine hac obligatione, candidati ad sacros ordines iam non percipiunt servitia divina exigere caelibatum, convenientissime ex natura sacerdotii, inconditionate ex lege ecclesiastica. Hinc multi, qui vere vocationem divinam ad virginitatem habent, talem vocationem non iam sequerentur; immo habetur periculum ut candidati, qui indole et facultatibus spiritualibus et corporalibus magis praediti sint, etsi forte magis sacrificium caelibatus sentiunt, viam faciliorem eligant, et ut candidati, qui sacrificium caelibatus non tam sentiant, caelibatum assumant — cum sequelis illis funestis, quae fusiore explicatione non indigent.

Tamquam ratio pro admittendis sacerdotibus sine obligatione caelibatus saepe affertur defectus numeri sufficientis eorum, qui caelibatum admittere velint. Haec ratio, etsi in multis regionibus vere urgens est, difficultatem secundum supra dicta non solvit. Ceterum, numerus eorum, qui caelibatum suscipere velint, augeri potest, si in institutione alumnorum quaestiones de dominio acquirendo quoad vires sexuales et de momento alterius sexus non tantum negative tractantur; et si institutio alumnorum sub hac ratione theoretice et practice fundetur principiis sanae psychologiae. Negari nequit — quod recenter confirmatur Instructione reservata S. Congr. de disciplina Sacramentorum circa scrutinium ante ordines peragendum — defectum huius sanae institutionis esse causam lapsus plurium sacerdotum; atque ita etiam explicari aversionem a statu caelibatus multorum iuvenum, qui caelibatum habent statum detruncatae perfectionis humanae et personalis. Huiusmodi sana institutio non potest profecto removere obstaculum, quod in natura caelibatus habetur; immo sacrificium perpetuum caelibatus clare indicari debet; attamen institutio ad hoc videtur debere tendere, ut sacrificium ponatur, ubi est, non autem, ubi non est, ut tale sacrificium scienter et libenter, cum fiducia habendi auxilium gratiae, suscipiatur.

Caelibatus ita in luce positus etiam hodie allicit iuvenes bonae voluntatis, praesertim si condicio socialis cleri, ubi opus est, elevetur; quod utique requirit inter alia formationem scientificam eiusdem gradus et aestimationis publicae, qualem in regione habet formatio scientifica e. g. advocati, medici etc., necnon correspondentem condicionem oeconomicam.

Rationes pro sustinenda lege caelibatus in Ecclesia latina totam vim habent etiam, immo forte maiorem, quoad admittendos diaconos perpetuos sine onere caelibatus. Effectus boni, qui ad hanc solutionem indicari solent, non videntur posse infirmare rationem in contrarium, scilicet, dari periculum proximum penuriae semper maioris sacerdotum, qui dotibus naturalibus et supernaturalibus ornati sint. Ceterum bona, quae ex tali solutione exspectantur, etiam haberi possunt si latius extendatur missio canonica ad laicos qualificatos, quod iam in pluribus regionibus fieri solet; excepta fere tantum administratione sanctae communionis tales laici missionem canonicam ad omnia accipere possunt, quae diaconis tribuuntur.

Quando Ecclesia institutum diaconatus perpetui suppressit, sine dubio hoc fecit ob rationes, quae ad talem suppressionem fere cogebant Restauratio diaconatus perpetui sine onere caelibatus sub hac ratione praesumptionem inconvenientiae contra se habet. De cetero clerus ad caelibatum non obligatus, comparate ad clerum caelibatum servantem ncessario minorem aestimationem apud fideles haberet.

(W. Bertrams)

* * *

Ad caelibatum Sacerdotum firmandum conducere quoque videtur:

a) notabilis retardatio susceptionis ordinis sacerdotalis: ad aetatem circ. 28-30 annorum (ipsa vox « presbyter » cum provectiore aetate melius congrueret!).

Qui ad Sacerdotium contendunt, ante praedictam aetatem diaconi ordinari possent et munus diaconorum exercere in paroeciis, in seminariis, scholis, collegiis, officiis Curiae. Ipsis vero libere pateret possibilitas recedendi a suscepto proposito Sacerdotium ineundi, ita ut una cum Sacerdotio onus caelibatus maturiore et firmiore consilio susciperetur;

b) etiam Sacerdotio auctis faciliore ratione concedi posset a S. Sede ut, gravioribus supervenientibus rationibus, ab ipsa S. Sede quidem perpensis, ad statum laicalem reverterentur sine onere coelibatus, deposito quolibet sacerdotali et clericali munere.

Praxis diaconorum perpetuorum coniugatorum certo non videtur universali lege in Ecclesia latina urgenda esse. Forte autem non improbandum esset, si, certis in rerum adiunctis, non denegaretur Ordinariis facultas huiusmodi diaconos ordinandi.

(R. Bortolotti et alii)

3

De parochorum amovibilitate

In voto proponitur quaestio sequens:

An oporteat disciplinam circa staibilitatem parochorum aliquomodo mutare, hoc, scilicet pacto quod paroeciae omnes amovibiles fiant, contra tenorem nimirum can. 454 §§ 2-3, qui sic se habet:

§ 2. At non omnes parochi eandem obtinent stabilitatem; qui maiore gaudent, inamovibiles, qui minore, amovibiles appellari solent.

§ 3. Paroeciae inamovibiles nequeunt amovibiles reddi sine beneplacito apostolico; amovibiles possunt ab Episcopo, non autem a Vicario Capitulari, de Capituli cathedralis consilio, inamovibiles declarari; novae quae erigantur, sint inamovibiles, nisi Episcopus, prudenti suo arbitrio, attentis peculiaribus locorum ac personarum adiunctis, audito Capitulo, amovibilitatem magis expedire decreverit.

Profecto, pro amovibilitate omnium parochorum sequentes rationes militare videntur.

a) Ea iuvabit ad dociliorem oboedientiam ex parte parochorum praelatis suis praestandam.

b) Iuvabit pariter ad animarum bonum obtinendum; quod maximum in eo esse videtur quod unaquaeque paroecia ab eo nimirum pastore regatur, qui aptior sit.

c) Pro amovibilitate stat praxis iam inducta in pluribus nationibus instituendi paroecias dumtaxat amovibiles.

d) Stat et praxis in aliis nationibus haud quidem parochos instituendi, sed vicarios oeconomos in paroeciis. Hoc, certe, non probatur; tamen significat curam animarum postulare nimirum amovibilitatem pastorum.

e) Sic vitari posset constitutio vicariorum oeconomorum, nimis, certe, frequens et ad longum tempus, contra can. 548.

f) Sic, tandem, figura pastorum paroeciarum, inclusis etiam quasi-paroeciis, unitatem obtineret in Ecclesia, cum commodo, simul, gubernationis fidelium.

Alia ex parte, rationes in contrarium allatae, militantes, scilicet, pro inamovibilitate, haud facile sustinentur. Hae sunt nimirum sequentes: 1) quod officium amovibile haud tanto studio suscipiatur; 2) quod spiritus ad opera salutaria aggredienda desit; 3) quod inamo-

vibilitate parochus experientiam semper maiorem acquirat ad paroeciam fructuosius regendam.

Atqui, tales rationes, licet ratione aliquid ponderis videantur habere, re tamen non habent. Id probatur satis, statuta comparatione inter nationes vel dioeceses ubi pastores sunt omnes amovibiles, et illas alias, in quibus aliqui vel plures eorum sunt inamovibiles. Porro, timendum non est quominus Praelatus parochum, qui optime in aliqua paroecia laborat, ab ea removeat vel transferat; cum id argueret arbitrarietatem gubernii, quae vere raro dabitur.

(O. ROBLEDA)

4

DE LAICIS

Sequentia fere proponi possent:

1) Laicus est christianus, qui, quatenus fide et baptismo membrum Ecclesiae constitutus, in sinu communitatis ecclesiasticae acquirit dignitatem personae cum omnibus iuribus et obligationibus ipsi inhaerentibus, non tamen iis quae ordini clericali et statibus canonicis perfectionis acquirendae propria sunt.

2) Proprium laicorum ius et officium est curare educationem religiosam, moralem et humanam in sinu familiae christianae, unde vocationes quaelibet christianae germinare debeant, sive sint sacerdotales aut religiosae sive laicae.

3) Etiam laicorum, pro uniuscuiusque statu et facultatibus, ius et officium est testimonium praebere veritati fidei catholicae eiusque incrementum promovere, non tantum cultu et oratione et exemplo vitae christianae integrae, sed etiam exercitio apostolatus et caritatis christianae.

4) Romani Pontificis in tota Ecclesia et Ordinariorum locorum in propriis territoriis ius est petendi et, ubi opus est, exigendi cooperationem laicorum cum apostolatu Hierarchiae, sive singulorum sive associationum catholicarum. Mandatum a Hierarchia receptum et sub eius ductu exequendum apostolatum laicorum constituit Actionem Catholicam.

5) Circa associationes ab Ecclesia constitutas vel ad perfectiorem vitam christianam inter socios promovendam, vel ad aliqua pietatis aut caritatis opera exercenda, vel denique ad incrementum publici cultus, serventur canones 685-725 Codicis Iuris Canonici.

6) In erigendis et moderandis associationibus ad exercenda opera caritatis vel assistentiae et actionis socialis, associationibus professio-

nalibus necnon coetibus ad promovendam omnis generis culturam profanam intellectualem et physicam, etiam eo fine ut universa vita socialis spiritu christiano imbuatur laici proprio et autonomo iure utuntur, salva semper vigilantia Hierarchiae in iis quae spectant fidem et mores.

7) Laici, quantum condiciones propriae nationis id sinunt, omnibus viribus intendant, ut partes politicae et homines politici verum bonum commune temporale promovere studeant, imbuti spiritu ethico et religioso et repudiatis omnibus mediis inhonestis, ac strenue, ubi opus est, iura Ecclesiae defendant.

(P. HUIZING)

5

DE STATUENDA DISCIPLINA DE IURISDICTIONE SACRAMENTALI CONCEDENDA

Systema concessionis iurisdictionis in iure Codicis innititur in principio territorialitatis: 1° Solus Ordinarius loci iurisdictionem concedit; 2° Nullus Ordinarius potest concedere iurisdictionem ad audiendas confessiones subditorum extra fines proprii territorii; 3° Pro religiosis feminis requiritur iurisdictio specialis a solo Ordinario loci concedenda.

Atqui hoc systema, nisi opportunae addantur adaptationes, hodiernis adiunctis, ideo praesertim quod frequenter sacerdotes ministeria exercent extra dioecesim in qua iurisdictionem acceperunt, minus satisfacit.

Inconveniens saltem videtur simpliciter derogare principio territorialitatis iurisdictionis Episcoporum. Ex altera vero parte iurisdictio immediate a S. Sede concessa ad audiendas confessiones ubique terrarum esset res prorsus nova et mira. Magis etiam incongruum videretur si talis iurisdictionis suspensio, in singulis etiam casibus, ab Ordinariis decernenda foret.

Legislatio dioecesana, qua amplae etiam facultates concedantur sacerdotibus extraneis, solutionem non praebet, cum per se ignota esset illis sacerdotibus.

Solutio potius repetenda videtur a liberis et reciprocis conventionibus Ordinariorum, quibus iurisdictio ab uno Ordinario concessa prorogatur ad territorium aliorum Ordinariorum qui conventionem inierint, uti iam in pluribus nationibus et regionibus factae sunt. Ut finis vero propositus efficacius attingeretur, non tantum ipsis conventionibus ineundis, sed etiam, in quantum fieri poterit, earum uniformitati favendum esset etiam per consilia et suggestiones S. Sedis.

Solutio magis simplex et efficax haberetur, si, levi facta derogatio-

ne principio territorialitatis, salva tamen omnino auctoritate singulorum Ordinariorum in proprio territorio, haec admitteretur: ut scilicet, examine haud levi ad iurisdictionem obtinendam superato, sacerdotes iurisdictionem ab Ordinario loci obtentam ubique terrarum exercere possint, exceptis in locis ubi id ipsis personaliter ab Ordinariis illorum prohibitum fuerit; in alienis dioecesibus autem sacerdotes ibi per longius tempus, a iure determinandum, commorantes, licite suam iurisdictionem non exerceant, nisi petita et concessa licentia ab Ordinariis illarum dioecesium, eorumve delegatis (c. gr. decanis, vel ipsis parochis).

Ita de confessionibus excipiendis valeret fere eadem disciplina, quae iam passim de aliis ministeriis, et de ipsa celebratione Missae, introducta est, ut scilicet sacerdotes diutius in loco commorantes sese sistere debeant Ordinario ut licite ministeria sacerdotalia exerceant. Idem introducere de confessionibus excipiendis nullo modo videtur imminuere auctoritatem Ordinariorum in proprio territorio.

(U. NAVARRETE et alii)

6

DE AUGENDO NUMERO MINISTRORUM SACRAMENTI CONFIRMATIONIS

1. Diuturna et cotidiana experientia constat, in Ecclesia Latina: 1) permultos esse fideles qui ex hac vita non confirmati decedunt; 2) multos esse illos qui adolescunt et forte senescunt, hoc sacramento non roborati; 3) in multis locis plerosque pueros non confirmari, nisi postquam primam Communionem receperunt.

Haec gravia incommoda non tam debentur incuriae pastorum et fidelium, quam ipsis normis disciplinaribus de facultate administrandi Sacramentum et de aetate ad illud recipiendum requisita.

2. Insufficiens est copia ministrorum:

a) extra periculum mortis, cum administratio reservetur soli Episcopo dioecesano, qui potest illam permittere aliis Episcopis, qui plerumque non adsunt, non autem Presbyteris. Ipse vero solet esse multis laboribus occupatus; potest esse infirmus vel aliis de causis impeditus; non raro sedes diu vacat; saepe administratio fit nonnisi tempore visitationis (can. 785) seu singulis quinquenniis (cf. can. 343), de facto saepe etiam rarius;

b) in periculo mortis, iuxta Decretum Congregationis de Sacramentis « *Spiritus Sancti Munera* » (14 sept. 1946, *A.A.S.* 38, 1946, 352), facultate gaudent parochi et pauci alii presbyteri curam animarum habentes administrandi Confirmationem in proprio territorio, illis

fidelibus qui « ex gravi morbo in vero mortis periculo sint constituti, ex quo discessuri praevideantur ... dummodo Episcopus dioecesanus haberi non possit vel legitime impediatur ... nec alius praesto sit Episcopus ... ».

Constat tamen adhuc multos discedere sine hoc sacramento, ut in magnis urbibus, cum nec Episcopus nec Presbyter facultate gaudens illam delegare valeant, si ipsi quacumque ex causa impediti sint. Praeterea normae sunt intricate dubiisque obnoxiae. Facultates hic concessas non sufficere probant multa indulta particularia postea concessa.

3. In iure Codicis eadem statuitur aetas ad Confirmationem et ad primam Communionem.

Praxis exigendi aetatem discretionis (can. 787), introducta saeculo 13° vertente, in Italia, Gallia et Germania, etiam hodie non viget, vi consuetudinis, praeterquam in tota Ecclesia Orientali, in Hispania, Lusitania, Insulis Philippinis, America Latina, Goa.

Rationibus obviis huius praxis opponuntur gravia incommoda:

1) augetur numerus adultorum non confirmatorum, cum infantes non confirmati occasione visitationis Episcopi postea saepe vel nequeant vel nolint confirmari;

2) saepissime confirmatio nequit suscipi nisi post primam Communionem, quae praxis, nonnisi saeculo 19° in aliquibus dioecesibus introduci coepta, statim reprobata fuit (cf. *Collect. Prop. Fide* I n. 1105; *Acta Leonis XIII,* XVII, 205), et recenter S. C. de Sacr. scripsit: « opportunum esse et conformius naturae et effectibus sacramenti Confirmationis, pueros ad sacram Mensam prima vice non accedere nisi post receptum Confirmationis sacramentum » (*A.A.S.* 24, 1932, 271). Quod autem observari vix potest, maxime post Decretum Pii X *Quam Singulari,* anno 1910 datum.

Si ergo salvandae sunt simul hae normae: 1) Confirmationem praecedere oportere primae Communioni; 2) Confirmationem differendam esse usque ad septimum circiter aetatis annum (can. 787); 3) Pueros teneri ad Eucharistiam accedere cum ad rationis usum pervenerint (can. 859 § 1), numerus ministrorum Confirmationis talis esse debebit, ut *singulis annis* in omnibus paroeciis vel saltem locis administrari possit.

4. Ad talem numerum norma universali, stabili et clara obtinendum, Legislator potest:

1) vel concedere Ordinariis locorum facultatem deputandi sacerdotes (cf. pro America Latina et Insulis Philippinis *A.A.S.* 51, 1959, 916);

2) vel facultatem confirmandi adnectere alicui vel aliquibus of-

ficiis dioecesanis, convenientius officio Parochi, et quidem ordinariam et delegabilem.

Haec norma maiorem securitatem praeberet ut omnes et quidem ante Primam Communionem confirmarentur. Posset singulis annis, in hebdomada Pentecostes (cf. can. 790), solemnitas paroecialis celebrari in qua confirmentur pueri qui se praeparant ad Eucharistiam prima vice recipiendam. Posset Liturgia Confirmationis accomodari ad circumstantiam temporis Pentecostalis;

3) vel demum edere normam similem ac can. 741 statuit de baptismate solemni, scilicet « Extraordinarius Confirmationis minister est sacerdos; qui tamen sua potestate non utatur sine loci Ordinarii vel parochi licentia, iusta de causa concedenda, quae, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur.

(U. NAVARRETE)

NOTA CIRCA EANDEM QUAESTIONEM

Materia proposita ansam praebet alicui quaestioni ponendae: Utrum, scilicet, Sacramentum Confirmationis, ex argumentis a traditione desumptis, appareat necessario et unice complementum Baptismatis, an potius distinctam et propriam formalitatem et functionem habeat completivam quidem Baptismatis, sed non unice completivam.

Huiusmodi quaestio forte utiliter proponi posset Patrum Concilio solvenda et definienda.

Nam si primum emerserit, novum validissimum argumentum haberetur ad ea urgenda quae in voto desiderantur.

Si vero secundum declaratum fuerit, tunc via aperitur ad novam perspectivam in ordinem ad problema « laicorum » in Ecclesia.

Id enim quod pluribus in locis hodie postulatur, est aliqua maior participatio laicorum vitae Ecclesiae, in explenda missione prophetica et sacramentali.

Ex altera vero parte, constat quod in nonnullis regionibus maior forte pars baptizatorum, solo baptismate in infantia recepto, nihil de vita Ecclesiae curat, nihil cognoscit. Imo, plures persuasi sunt se nullo modo teneri legibus Ecclesiasticis, quia non personali electione christiani sunt, sed unice voluntate parentum.

Ad solutionem horum problematum faciliorem reddendam forte conducere valet nova et sat diversa disciplina Sacramenti Confirmationis. Cuius disciplinae praecipua capita sic exponi possunt.

Susceptio Sacramenti Confirmationis notabiliter retardetur: ad aetatem plenae maturitatis (ad maiorem aetatem).

Sic Sacramentum indueret specificam functionem confirmandi in plena susceptione et actuatione vitae christianae necnon in adhaesione definitiva et perfecta corpori sociali Ecclesiae.

Hoc modo susceptio Confirmationis secumferret:

solemnem et expressam professionem fidei, non modo genericam sed specificam, in ordine scilicet ad singulas veritates, quarum uberior notitia tunc haberetur;

deliberatam et mature reflexam susceptionem omnium onerum et obligationum vitae christianae;

deliberatam et mature reflexam acceptationem auctoritatis Hierarchiae Ecclesiae. Ad hoc Sacramentum omnes quidem christiani contendere deberent; ad eiusdem Sacramenti susceptionem peculiari cura essent praeparati; at vero qui hoc Sacramentum positive respuerent tamquam apostatae essent tractandi.

Practice ergo Sacramentum hoc non omnibus indiscriminatim baptizatis esset administrandum, sed iis dumtaxat qui certa argumenta praeberent futurae perseverantiae in vita christiana, illis scilicet qui membra activa erunt in vita Ecclesiae, cooperatores et participes muneris apostolici.

Munus patrinorum in baptismate, solis confirmatis reservatum, momentum acquireret effectivum, eiusdem muneris perfunctio opportunis mediis urgeri posset.

Proponi posset Patrum Concilio ut haec nova disciplina non lege universali imponeretur sed introducenda permitteretur Ordinariis, vel melius, Conciliis regionalibus.

(R. Bortolotti)

7

De quibusdam normis iuris poenalis canonici retractandi

Ius poenale canonicum, exceptis paucis canonibus qui solum clerum respiciunt, multum efficaciae perdidisse ad finem suum proprium obtinendum, punitionem scilicet et emendationem delictorum in aedificationem societatis, vix ac ne vix quidem negari posse videtur.

Ex una parte disciplina publica, qua gravia et publica etiam crimina fidelium in communitate ecclesiastica coercentur, ad rarissimos casus reducta est. Plerumque nihil obstat quominus graviter et publice delinquentes, minimis datis signis poenitentiae in foro interno coram confessario, etiamsi forte in quandam poenam incurrerint, absolvantur quin ullam in societate ecclesiastica diminutionem iurium patiantur.

Ex altera parte conditiones absolutionis a peccatis et a poenis in foro interno, prout passim in manualibus theologiae moralis et in scholis seminariorum traduntur, ad extremum mansuetudinis et benignitatis tendunt, ita ut vix quaedam obiectiva proportio cum quantitate et qualitate admissorum servetur, utique ea intentione, ut nullus peccator ab Ecclesia alienetur, nisi quando id prorsus sit inevitabile.

Cum autem plerumque absolutio illa in foro poenitentiae data effectus habeat etiam in iura publica peccatoris vel delinquentis, inde oritur gravis dubitatio, utrum extrema illa adaptatio ad debilitatem humanam non noceat sanctitati societatis ecclesiasticae eiusque vi apostolicae, tum quod respicit sensum responsabilitatis propriae, gravitatis peccati ut summi mali, necesitatis poenitentiaet sincerae et actuosae apud ipsos catholicos, immo eorum aestimationem auctoritatis, tum quod attinet vim testimonii sanctitatis societatis christianae apud non catholicos.

Imprimis exinde necessarium videtur, ut in iure poenali retractando praesit illud monitum Concilii Tridentini, in can. 2214 receptum, quo humanae fragilitati condescendendum quidem est bonitate et patientia, in delictis vero corrigendis cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est.

Cum autem defectus supra indicati non tantum debeantur nimis leni seu remissae applicationi normarum Codicis Iuris Canonici, sed vel magis ipsis normis, executio moniti tridentini videtur requirere sat magnam reformationem integri systematis hodierni. In genere animadvertenda videtur nimia permixtio inter forum externum et forum internum, quae tamen per se distincta esse deberent et propriis normis subesse, cum illud prosequatur imprimis bonum commune sociale, hoc vero conscientiam singulorum fidelium respiciat. Haec distinctio inter diversas naturas utriusque fori etiam in iure poenali et poenitentiali eluceat oportet. In specie autem haec permixtio magna ex parte debetur institutis poenarum latae sententiae et reservationum, uti in iure hodierno existunt.

Quod ad poenas attinet latae sententiae: primis tribus saeculis poenae latae sententiae iure positivo statutae non inveniuntur, quaedam earum initia habentur a saeculo IV, rara tamen usque ad saeculum XII; tunc tantum, sub influxu scientiae canonisticae quae prima vice institutum hoc definivit, etiam in legislatione semper frequentiores fiunt, usque dum Pius IX Constitutione Apostolica *Apostolicae Sedis* (12 oct. 1869) eas coarctavit. Maior tamen coarctatio videtur optanda, et quidem ob sequentes rationes:

plures poenae latae sententiae, praesertim medicinales, vera uti-

litate ad finem suum obtinendum carere videntur. Fideles enim plerasque poenas latae sententiae ignorant et ideo eas non incurrunt (can. 2229); immo et ipsi sacerdotes, iuxta doctrinam communem, haud raro ob hanc rationem a censuris latae sententiae excusantur;

dubitari licet de efficacia plurium poenarum l. s.: qui non timet peccatum committere mortale, multo minus timebit poenam ecclesiasticam; idque vel magis urget, quia huiusmodi poena in foro externo vix ullum effectum habet: dicit enim can. 2232: Poena l. s., sive medicinalis sive vindicativa, delinquentem qui delicti sibi sit conscius ipso facto in utroque foro tenet; ante sententiam tamen declaratoriam a poena observanda delinquens excusatur quoties eam servare sine infamia nequit, et in foro externo ab eo eiusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum sit notorium, firmo praescripto can. 2223 § 4.

Hisce nunc accedit, quod in hodierna disciplina institutum reservationis casuum, admissis tot causis excusationis ac tot circumstantiis in quibus quilibet sacerdos ab iis absolvere potest, vi et efficacia maxima ex parte caret. Saltem a poenis medicinalibus l. s. facile obtinetur absolutio: casus urgens de quo in can. 2254 saepe adest et plerumque difficile non erit adire confessarium privilegiatum, qui a censuris Ordinario, Romano Pontifici simpliciter aut specialiter reservatis absolvere possit: multi Regulares hanc facultatem habent et Ordinarii Missionum eandem facultatem suis Missionariis concedere possunt. Solae censurae specialissimo modo S. Sedi reservatae, de facto *vere* reservatae sunt, aut saltem requirunt recursum ad S. Sedem.

Praeterea institutum illud hodie est ita complicatum ut pauci confessarii illud intelligere valeant nedum recte applicare sciant. Unde parum omnino conferre videtur « ad publicum aliquod insolitum vitium exstirpandum et collapsam forte christianam disciplinam instaurandam », quem finem indicavit can. 897

Etsi res sit difficilis, liceat modo paulum enucleatiore proponere quaedam principia generalia, quae necessariae reformationi iuris poenalis forte praeesse poterunt.

1) Separatio inter forum externum et forum internum sacramentale sit absoluta. Quae in foro sacramentali peraguntur nullo modo nullave ratione forum externum afficere possunt in quantum attinet delicta et poenas canonicas.

2) Poenae canonicae in foro externo contrahuntur, servantur, absolvuntur.

a) Contrahuntur in foro externo:

poena canonica plectuntur tantum delicta publica, ita ut vel ipsa

notio delicti immutetur: delictum est externa et publica legis violatio ... (can. 2195);

poena canonica plectuntur tantum delicta graviora, ita ut numerus poenarum in individuo opportune reducatur;

poena canonica generatim contrahitur per sententiam condemnatoriam vel praeceptum poenale, seu est ferendae sententiae. Distinctae poenae, ratione habita gradus imputabilitatis, distinctis delictis applicantur;

poena latae sententiae potius unius speciei sit, scilicet excommunicatio, saltem pro laicis;

illa poena paucis delictis publicis applicatur, iisque quae ex natura sua sunt contra fidem, unitatem vel contra regimen et auctoritatem Ecclesiae, ut sunt: haeresis, schisma, apostasia, adscriptio sectae vel parti ab Ecclesia damnatae, matrimonium civile et divortium contra leges Ecclesiae;

a poena latae sententiae non excusat ignorantia; vel saltem qui delictum commisit, praesumitur poenam incurrisse praesumptione iuris et de iure.

b) Servantur in foro externo:

semel contracta poena et servari debet et urgeri potest;

excommunicatio, sive l. s. sive f. s., ea secumfert quae in iure vigenti statuuntur de excommunicatis post sententiam, adiecta tamen definitione et forte extensione « actuum legitimorum » a quibus excommunicatus removetur;

quod attinet ad effectum excommunicationis, impediendi scilicet absolutionem a peccatis: vel retineri posset, excommunicatum non posse absolvi a peccatis nisi prius in foro externo a competente auctoritate a censura absolutus fuerit; qui tamen effectus in periculo mortis suspenditur quoad confessionem et sacramenta morientium, non tamen quoad reliquos effectus, ut sepulturae ecclesiasticae prohibitionem;

vel etiam non amplius prohibetur excommunicatus, si quidem rite dispositus sit et recessum a contumacia etiam in foro externo serio promittat, quominus sacramentalem absolutionem recipiat ad statum gratiae restituendum, firma manente poena quoad reliqua omnia donec absolutionem in foro externo obtineat, et salvo periculo mortis, ut supra.

c) Absolventur in foro externo:

confessarius nihil facere valet in ordine ad absolutionem poenarum canonicarum;

a poenis ferendae sententiae absolvit solus auctor poenae (eiusve delegatus in foro externo);

a poenis latae sententiae solus absolvit Ordinarius delinquentis (eiusve delegatus in foro externo).

3) De *peccatis* quibuslibet in foro sacramentali agit confessarius et *poenitentias* imponit;

pauca quaedam peccata natura sua occulta, praesertim sacerdotum, requirunt sanctionem specialem, ut absolutio complicis, sollicitatio in confessione, violatio directa sigilli sacramentalis, forte falsa delatio can. 894; quae sanctio consistere potest vel in reservatione absolutionis (S. Sedi vel Ordinario, seu S. Poenitentiariae vel Canonico Poenitentiario), quo melius servetur principium seperationis inter duo fora, vel, si opportunum videatur sacerdotibus, qui tale quid admiserint, canonice prohibere ministeria sacra, in irregularitate ex delicto ipso facto incurrendo et pariter reservato.

Ordinariis relinquatur libertas reservandi quam concedit can. 893; non raro tamen opportunae instructiones confessariis datae melius iuvabunt ad intentum obtinendum;

nulla ignorantia excusat a reservationibus;

reservatio in solo mortis periculo cessabit.

Praeterea proponitur, ut Patres quasdam normas edant, quibus forum poenitentiale, praesertim in iudicandis gravioribus peccatis, opportune moderetur.

(U. NAVARRETE - R. BORTOLOTTI et alii)

FACULTAS MISSIOLOGICA

I

De officio missionario universali in Ecclesia

In votis est ut:

Obligatio promovendi missiones exteras iterum proclametur ut universalis, et tum argumentis tum traditione fulciatur.

Elucidatio

1

Fundamenta huius obligationis tria praecipua recenseri possunt *pro omnibus* christifidelibus:

1. Ex officio generali *caritatis,* ut ait Encyclica *Rerum Ecclesiae*: « nil curare de reliquis qui extra saepta infeliciter vagantur, quam longe a caritate abhorreat quam Deum atque homines universos complecti debemus, non est cur multis dicamus ... Quandoquidem vero Christus hanc discipulorum suorum notam fore edixit peculiarem ac propriam ut diligerent inter se; numne maiorem insignioremque exhibeamus proximis nostris caritatem, quam si eos e superstitionis tenebris educendos germanaeque Christi imbuendos curaverimus? Hoc immo ceteris caritatis operibus testimoniisque sic praestat, quemadmodum animus corpori, coelum terris, aeternitas tempori antecellit » (*Sillogê,* p. 243).

Eodem modo iam loquebatur Encyclica *Maximum Illud* (*Sillogê,* p. 124).

2. Ibidem exprimitur secundum fundamentum, scilicet *grati animi erga Deum* pro dono fidei: « Quicumque hoc caritatis opus quantum in se est, exercet, donum fidei tanti se facere ostendit quanti aequum est, et gratum praeterea erga numinis benignitatem animum suum patefacit, id ipsum donum, omnium pretiosissimum, et alia quibuscum coniungitur, cum miserrimis ethnicis communicando » (*Syllogê,* p. 244). Quod fundamentum iterum iterumque a Pontificibus indicatur, v. g.: in Allocutione ad II Congressum Unionis Missionariae Cleri (1936). Immo exordium praebet Encyclicae « *Fidei donum* ».

3. Sed tertium fundamentum, profundius, indicatur, cum loquuntur Pontifices de christianis, tanquam de membris eiusdem familiae, vel de membris eiusdem *Corporis Christi.*

In fine Encyclicae *Evangelii Praecones,* in memoriam nostram revocat

Pontifex quomodo omnes fideles unam tantum magnam familiam constituant; ideoque nihil opportunius videri ad zelum missionarium fovendum quam dogma Communionis Sanctorum.

Quod ipsum dogma connectitur cum doctrina Mystici Corporis Christi.

Atque ideo Pius Papa XI in sermone ad Consilia Operum Missionalium Pontificalium habito, loquebatur « de stricta obligatione quam omnes habent christiani, ut cooperentur missionum operi, *quia sunt membra Corporis Christi viventia* » (*L'Osservatore Romano*, 20 maii 1936).

Haec autem obligatio non tantum personas singulas, sed et paroecias respicit, secundum mentem Pii XI: Votum nostrum est ut in unaquaque paroecia constituatur nucleus zeli apostolici et actionis missionariae (ad Congr. Miss. U.M.C., 1936).

2

Quod si illi spectentur, qui a Domino speciali modo selecti sunt, scil. Sacerdotes, novae apparent et urgentiores rationes agendi pro missionibus.

1. In primo Congressu Romano U.M.C., 1922, Pius Papa XI auditoribus ostendit *emolumenta* sacerdotibus eventura ex zelo missionario, qui magnam offert occasionem sanctificationis personalis, magna desideria suscitando. Cum enim saepe detineantur occupationibus parvis et lentis, quibus forsan anima et fortitudo eorum labefactantur, zelus missionarius eorum animos, sicut et ipsas missiones, dilatat « usque ad terminos orbis terrae ».

2. Sicut omnes alii christiani, immo et multo magis, sacerdotes laborantes pro missionibus, *gratum* ostendent *animum* non tantum pro dono fidei, sed et pro eximia gratia eorum vocationis (in eodem Congressu, 1922).

3. Demum fundamentum profundius enuntiatur (in Congressu iam citato, 1936): Potest verissime affirmari *sacerdotium Christi* esse sacerdotium essentialiter missionale. Quam veritatem commemorant non tantum titulus qui datur Christo, i. e. Missus a Patre, sed omnia Ipsius verba, quibus ipse propriam missionem significat.

Ex quo concludebat Pontifex: « Si sacerdotio nostro desit studium missionarium, ei deerit aliquid essentiale ». Cupiebat Pontifex ut iam in Seminario candidati ad sacerdotium introducerentur et praepararentur, accurato studio et conatu, in cognitionem et amorem rerum missionalium; addebat huiusmodi cognitionem magnopere formationem sacerdotalem adiuvare, et omnibus valde utilem fore, sive postea ad mis-

siones destinarentur sive non (Enc. *Saeculo exeunte, A.A.S.*, 1940, pp. 249-260). Ipse Praefectus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 3 decembris 1952, rem magis definiens, rogabat ut in quovis Seminario institueretur Circulus Missionarius apte ordinatus.

3

Modo etiam magis peculiari, Pontifices ostenderunt munus *episcopale* obligationem missionariam secum ferre.

« Quod si eiusmodi officium detrectare nullus e fidelium communitate, queat, num clerus possit, qui sacerdotium et apostolatum Christi Domini, miro ipsius delectu ac concessu participat? Num vos, Venerabiles Fratres, possitis qui, pro vestra cuiusque parte, christiano clero et populo, sacerdotii plenitudine insignes, divinitus praeestis. Legimus equidem, non uni Petro cuius Cathedram obtinuimus, sed omnibus Apostolis quorum vos in locum successistis, Iesum Christum praecepisse: Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Unde liquet propagandae fidei curam ita ad Nos pertinere ut in laborum societatem Nobiscum venire. Nobisque in hac re adesse, quantum singularis ac propria vestri perfunctio muneris sinit, sine ulla dubitatione debeatis » (*Rerum Ecclesiae, Sylloge,* p. 244). « Missio Apostolorum refertur missioni Domini, ex qua profluit. Ecce nunc re vera sacerdotium Christi, sacerdotium apostolicum, apostolatus episcopalis in suo primo sensu, in sua indeficienti virtute; quae tria unum idemque sacerdotium constituunt, et quidem essentialiter missionarium » (2[us] Congressus U.M.C., 1936, *Osserv. Rom.*, 15 nov. 1936).

« Arctissime cum Christo coniuncti Eiusque in terra Vicario, vos, Venerabiles Fratres, flagrantis caritatis afflatu commoti, participare studete sollicitudinem illam omnium ecclesiarum quae Nostros aggravat umeros. Vosmet, quos caritas Christi urget, penitus adstringi nobis cum gravissimo officio sentiatis, dilatandi scil. Evangelii et toto terrarum orbe Ecclesiae condendae ... Episcopus ... qua legitimus Apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris, Ecclesiae una cum caeteris Episcopis sponsor fit, secundum illa verba, quae Christus ad Apostolos fecit: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ». Haec quae « omnes gentes ... usque ad consummationem saeculi amplectitur missio, cum Apostoli de mortali vita decesserunt, minime decidit, immo in Episcopis, communionem cum Iesu Christi Vicario habentibus, adhuc perseverat » (*Fidei donum, A.A.S.*, 1957)

Eadem Encyclica, consectaria persequens, Episcopos rogat non tantum ut sinant iuvenes seminaristas ordines religiosos ingredi ut fiant

missionarii (quod bene iam declaraverant Encycl. *Maximum illud* et *Rerum Ecclesiae*), sed ut sinant aliquos sacerdotes dioecesanos bene aptos, ad tempus in missionibus laborare; rogat etiam, ut sacerdotes seligantur, qui de studentibus africanis et asiaticis in regionibus nostris degentibus sedulo curam agant (*Ibidem*).

4

Sed obligatio missionaria, si competit clare fidelibus, clarius sacerdotibus et episcopis, prius et maxime, secundum verba ipsorum Pontificum, in *Summo Pontifice* viget.

Anno 1922, cum in Missa sollemni, tercentesimum annum a condita Congregatione de Propaganda Fide celebraret Pius Papa XI, locutus est de sua « paternitate universali ». Pluries postea et ipse et Pius Papa XII eodem modo locuti sunt. Et Encyclica *Fidei donum* repetit: « Petro Apostolo eiusque successoribus, Romanis scilicet Pontificibus, Iesum Christus gregis sui universitatem concredidisse ».

Nil mirum, cum in Corpore Christi, Vicarius Christi partes agat Capitis, Huiusque vires et officia induat.

Ut omnia una consideratione concludantur, obligatio missionaria omnibus competit, a Summo Pontifice usque ad humillimum christianum, quia *omnes in Corpore Christi membra* sunt. Et quidem non membra mere passiva, sed et activa; non tantum ut commoda propria accipiat sed ut, pro sua natura et officio supernaturali, omnes quantum poterunt ad bonum totius corporis collaborent.

Concludere licet verbis ipsius Summi Pontificis Ioannis XXIII, « curam missionariam, etiamsi non sit sola cura, esse primam curam » (In hom. Coronationis) et « nunquam forsan, sicuti nunc, imminentiorem fuisse necessitatem iuvandi operam missionariorum » (Alloc. ad Zelatrices Op. Miss. Ital., 26 apr. 1959).

II

De cursu Introductionis in Historiam religionum

Optatur, ut, data occasione, in curriculo ordinario studiorum theologicorum, tradatur omnibus Auditoribus aliqua Introductio in religiones non-christianas.

1. *Rationes voti.* - Dubitari non potest quin, nostris temporibus, inter homines excultos, immo et in populo, diffundatur aliqua religio-

num non-christianarum cognitio per notitias quae hauriuntur ex libris, spectaculis documentariis cinematographicis, relationibus exploratorum et peregrinorum.

Ex hac autem cognitione, quae non potest nisi valde imperfecta esse, nascuntur in multorum mentibus comparationes, confusiones et quaestiones, quibus sat saepe ducuntur: — vel ad reiectionem quasi caecam, sed inquietam, totius problematis —, vel ad conclusiones confusas et falsas de valore plus minusve simili omnium religionum, dummodo intentio credentis bona sit.

2. *Explicatio voti.* - Optatur ergo, non quidem ut omnes sacerdotes fiant de religionibus non-christianis magni doctores, sed saltem ut aliquid sciant tum de praecipuis doctrinae capitibus harum religionum, tum de praecipuis libris, quos consulere possint, quando de his rebus ipsorum iudicium rogabitur.

Id autem praestabitur, si in studiis theologicis, certo quodam modo locus aliquis tribuatur brevi sed substantiali introductioni in religionum historiam.

Quae introductio sacerdotum mentes ita instituet, ut non modo vitare, sed et impugnare possint relativismum religiosum; et aperiantur valoribus nondum christianis, ad mentem Encyclicarum *Evangelii Praecones, Princeps Pastorum* et aliorum documentorum Magisterii Ecclesiastici.

Addi potest tractatum *de vera Religione,* qui sane stare debet in fundamentis suis consuetis, tamen ex aliqua de aliis religionibus consideratione, ampliorem statum quaestionis accipere posse.

INSTITUTUM SCIENTIARUM SOCIALIUM

1

De natura et auctoritate doctrinae socialis Ecclesiae

Exoptandum est ut Concilium Oecumenicum elucidet propriam naturam doctrinae socialis Ecclesiae quatenus a Magisterio Ordinario emanat; et ut affirmetur vis eius obligatoria necnon capacitas Ecclesiae iudicandi de quaestionibus socialibus iudiciis absolute veris.

Elucidatio

(P. G. Gundlach)

Votum ut hic proponitur confirmat declarationes SS. Pontificum pluries repetitas:

Leonis XIII Litt. Enc. *Rerum Novarum* (*A.S.S.* 23, 1891, p. 647).

Pii XI Litt. Enc. *Quadragesimo Anno* (*A.A.S.* 23, 1931, p. 190).

Pii XII *Nunt. Rad.* 1 iunii 1941 (*A.A.S.* 33, 1941, p. 93).

Pii XII *All. ad Episc. Romae coadunatos,* 2 nov. 1954 (*A.A.S.* 46, 1954, p. 671).

Momentum huius voti ex sequentibus patet.

Sunt enim, qui dicunt in doctrina sociali Ecclesiae non agi de enuntiationibus sub ratione veri, sed de normis mere practicis et directivis prudentiae pastoralis, ut Fideles recte se habeant in concretis circumstantiis vitae socialis, ubi post peccatum originale varia systemata convictus humani succedunt (e. g. recentius: Liberalismus, Totalitarismus sive nationalisticus sive communisticus).

Unde in dubium vocatur, in campo cognoscitivo, indoles obligatoria doctrinae socialis Ecclesiae.

Sunt alii, qui historica ducti ratione, dicunt: 1) Ecclesia subit, sensu Hegeliano, influxum et processum idearum, in quo historia consistit. Inde etiam conceptus Magisterii Ecclesiastici participant dialecticum processum et nihil absoluti definiunt, maxime quod attinet ad principia vitae socialis et politicae; 2) Ecclesia, omnino Ens historicum, nullo modo se elevat super fluxum historiae, et proinde incapax est iudicandi modo absoluto de circumstantiis et situationibus, in quibus Ecclesia simul cum tota humanitate vivit. Addunt: Ecclesia, pro sua indole religiosa, et christiana, propter hoc ipsum debet omnem situationem historicam (ideo

etiam communismum hodiernum, ut systema convictus humani) plene affirmare et agnoscere ut aliquid divinitus datum.

Opus est ut confirmetur cognitio ex iure naturali, tum ut cognitio intellectus seu luminis naturalis, tum ut cognitio vere christiana. Sunt enim, qui illam cognitionem vera obiectivitate privant, cum vel ducantur Scepticismo et Agnosticismo, vel normas iuris naturalis ad modum formalismi logicistici a concreta realitate separent. Porro sunt qui, ob falsam « christocentricam » conceptionem ordinis Creationis, indolem *Christianam* cognitionis ope iuris naturalis in nostro concreto ordine supernaturali aut negant aut, sua explicatione supernaturalitatis, plenum sensum « naturae » humanae non iam retinent, et relinquunt ordinem Creationis per essentias rerum ut in eius locum sufficiant supernaturalem Existentialismum aut Ethicam situationis.

2

De quibusdam doctrinis socialibus confirmandis a Concilio

Exoptandum est ut Concilium e tam ampla congerie litterarum Encyclicarum, allocutionum, nuntiorum, — quibus a Leone XIII ad Pium XII p. m., campus doctrinae socialis attente et sedulo perlustratus est — capita principaliora desumat, ad quae confirmanda propriam auctoritatem conferat.

Qua in re opportune distinguendum videtur inter ea quae, in tota serie Documentorum, sunt communia, constantia, universalia, ita ut veram Ecclesiae traditionem constituant, — et ea quae propter occasionem contingentem prolata sunt, ac proinde nonnihil amiserunt auctoritatis, eo quod damnatus error vel pravus modus agendi, aut evanuerit, aut, mutatis temporibus, funditus mutatus sit.

Inter ea quae constanter inde a Leone XIII ad Pium XII proposita sunt, haec utiliter a Concilio confirmanda videntur:

a) Natura et auctoritas doctrinae socialis Ecclesiae, i. e. eius munus docendi et assensus a fidelibus dandus. Namque alii auctoritatem SS. Pontificum ad sola definibilia reducunt, alii propria placita confirmare contendunt e locis Documentorum, e contextu suo logico et historico avulsis.

Fontes illius doctrinae, tum e Revelatione divina, tum ex iure naturali, et auctoritas huius iuris, cum a Magisterio ordinario proponitur (de quibus etiam Votum I).

b) Valor supremus humanae personae, ad Finem Supernaturalem destinatae, supra quaelibet bona terrestria; et simul indoles socialis homi-

nis, ex quo oritur habitus eius ad diversas societates, et ipsas naturales.

c) Ligamina vitae socialis quae in obligationibus iustitiae tum commutativae tum socialis, et caritatis reponuntur, ex quibus relucet adspectus simul personalis et socialis totius activitatis humanae, necnon relatio inter iura subiectiva et munera socialia personae.

d) Familia ut prior communitas naturalis, et necessitas vinculi coniugalis confirmandi, unitatis et perennitatis familialis tuendae, contra abusus auctoritatis superioris; item parentum ius et officium educandi prolem.

e) Institutio proprietatis privatae, quae non adaequate reponitur in libera et positiva introductione hominum, sed, ex mente SS. Pontificum, nequaquam traditioni repugnante, in iure naturali. Confirmetur etiam duplex munus iuris proprietatis tum protegendi personam, tum prosperitati sociali favendi; et quomodo etiam conferat ad autonomiam familiae tuendam.

f) Iura laboris, prout ex labore nascuntur relationes tum hominum ad naturam, tum hominum inter se; praesertim vero iustum salarium et eius consectaria in tuenda securitate sociali familiae.

Necessitas opifices congruis legibus protegendi, ut iustam mercedem accipiant, et vitam condignam cum familia vivere valeant; firma indole subiectivi iuris « laborandi ».

g) Necessaria pax instauranda in vita oeconomica et sociali, ex qua sequitur ordinum socialium compositio, supposita libertate consociandi se. Quae tamen doctrina non nimis definiatur per data historica, sed potius ita proponatur, ut universe et permanenter valeat.

h) Communitas politica, fontes eius auctoritatis et limites; inde enim oritur relatio reciproca inter populum et eius rectores; item ius Ecclesiae acta regiminum iudicandi quoad eorum valorem moralem, et habitudo inter utramque potestatem; tolerantia civilis cultuum acatholicorum.

i) Deinde pax tuenda et construenda; inde iudicium legitimum Ecclesiae de institutionibus internationalibus ad hanc conviventiam componendam. Pariter Ecclesia iudicat de bello iusto aut immorali, quin doctrina eius a conditionibus hodiernis pendeat.

3

De proprietate privata latius inducenda

In societate hodierna cum peculiari benevolentia considerandi videntur conatus eorum qui « omni vi et contentione » (*Quadragesimo anno,* n. 61) enituntur ut opifices ad possidenda bona durabilioris et constan-

tioris valoris pervenire valeant. Haec bona, in nostra societate industriali et urbana, non solum induunt formam rerum materialium (ut sunt domus, ager, officina opificis) sed etiam formam sic dictorum valorum immaterialium (ut sunt actiones, obligationes et summae pecuniae).

Elucidatio Voti

(P. Th. Mulder)

Votum eo tendit ut, pro hodiernis conditionibus exsecutioni mandentur ea quae iam clarissime indicata sunt in Litteris Encyclicis *Quadragesimo Anno*. Momentum voti sequenti consideratione clarificatur.

Ut remedium afferatur incertae vitae conditioni, qua opifices olim opprimebantur, nostro tempore adhibentur varia media, ut sunt: politica plenae occupationis, politica ad augendos fructus laboris, legislatio de securitate sociali.

Leges de securitate sociali eo tendunt ut damna pecuniaria eorum qui infortunio feriuntur, ab omnibus civibus vel opificibus, ex obligatione legali, secundum aequalitatem vel secundum quandam proportionem ferantur. Sunt enim res adversae quae propter conditionem humanam vel propter conditiones laboris unicuique civium vel opificum accidere possunt, quamvis re non singuli ab iis feriantur (ut sunt v. g. aegritudo, incapacitas temporalis vel permanens ad laborandum, deficientia opportunitatis laboris etc.). Secundum eandem normam considerantur onera pecuniaria quae ex familia numerosiore et ex senectute oriuntur.

Dummodo securitas socialis observet modum nec extendatur ad casus, in quibus ipsa persona sibi et familiae suae ordinaria prudentia providere possit, laudanda videtur.

Sunt autem qui in his provisionibus legalibus substitutum vident proprietatis privatae, cuius diffusio in Litteris Encyclicis *Quadragesimo Anno* tantopere commendatur.

Haec sententia non admittenda videtur. In societate enim hodierna observatur dependentia socialis et oeconomica, semper crescens, personarum et familiarum a magnis organizationibus (ut a societate anonyma productiva, syndicatu, statu). Ut dignitas et libertas personae humanae, etiam in campo sociali et oeconomico, salvetur, requirenda videtur modesta fortuna de qua pater familias, intra limites a sapiente legislatore indicatos, libere disponere possit.

In societate autem industriali et urbana hic finis usitatis formis proprietatis non semper obtineri potest. Nam magna pars mediorum productivorum est proprietas societatum anonymarum. Divitiae persona-

rum privatarum, contra, consistunt magna ex parte ex « actionibus » et obligationibus et aliis valoribus immaterialibus. Etiam privata proprietas domus, in conditionibus urbanis, plerisque hominibus impossibilis est.

Ideo laudanda videtur politica socialis quae eo tendit, ut proprietas harum actionum et aliorum valorum immaterialium etiam inter opifices diffundatur; dummodo sapientibus institutionibus quantum possibile est, libertas salvetur, dissipatio impediatur, damna praecludantur et valor pecuniae stabilis reddatur.

4

De problemate moderandae natalitatis

Exoptandum est ut Concilium problema natalitatis eiusque honestae moderationis penitus aggrediatur; ideo perpendatur opportunitas constituendae iam nunc commissionis alicuius peritorum ad data problematis exactius cognoscenda; qui periti oportet ut non sint soli moralistae, sed etiam demographi, medici, psychologi, oeconomistae, sociologi, nam problema non est solum naturae moralis.

Elucidatio

(P. P. Beltrão)

Votum eo tendit ut, salvis normis honestae moderationis natalitatis a SS. Pontificibus Pio XI et Pio XII p. m. expositis, circumstantiae ad restrictionem natalitatis hoc tempore conducentes exactius cognoscantur, et ut conditiones christianae doctrinae observationi faventes creentur.

Rationes sunt fere hae:

1) Tempore ultimi Concilii problema illud nondum erat *generale*: generalis enim diminutio natalitatis exordium sumpsit circa annos 1870-5 in nationibus tum temporis magis evolutis (Europae occidentalis-septentrionalis).

2) Problema oritur non solum propter « mentem modernam » rationalisticam atque a-religiosam, sed fundamentum habet in ipsa fatali evolutione structurae demographicae: progressus enim medico-sanitarius et elevatio conditionum vitae magnopere *deminuit mortalitatem,* praesertim in teneriore aetate, et ita *concussit aequilibrium* illud naturale, quod aderat inter natalitatem et mortalitatem, et rythmum multo celeriorem incrementi demographici determinavit.

Hic « hiatus demographicus », qui dicitur, proportiones multo gra-

viores assumit in nostrae aetatis continentibus « sub-evolutis » (America Latina, Africa, Asia).

3) Nulla hucusque natio, nullusque coetus, ne religiosus et catholicus quidem, huic legi demographicae contradixit: Deminuta mortalitate, natalitas quoque tamen aliquando minuitur: restrictio igitur natalitatis apparet sub hoc aspectu quasi « necessitas socialis ».

4) Praetermisso problemate proprie demographico, integrum remanet problema *in ipso ambitu familiae*: deminutio mortalitatis effecit ut familiae, si nulla adhibeatur moderatio natalitatis, multo numerosiores hodie possint esse quam olim, cum dimidia fere pars natorum decedebat prioribus vitae annis, immo prioribus mensibus et hebdomadis; sublato igitur aequilibrio illo naturali inter natalitatem et mortalitatem, bonum ipsius familiae et prolis exigit fecunditatem non iam instinctivam, sed electivam.

5) Maior in dies pars familiarum vivit in regionibus *urbanis et industrialibus,* ubi condiciones oeconomicae vitae familiaris prorsus diversae sunt a conditionibus vitae familiae ruralis.

6) Ita factum est, ut restrictio natalitatis hodie sit « *crux confessariorum* », praecise quiae est « problema cruciale » seu praecipuum et excruciatissimum christianorum coniugum.

Ex libris plurimis, qui hac de re agunt, aliquos tantum indicamus:

Mgr. LÉON-IOSEPH SUENENS, *Un problème crucial: Amour et maîtrise de soi,* Desclée De Brouwer 1960.

S. de LESTAPIS, S. I., *La limitation des naissances,* Paris (Spes) 1959.

Cl. MERTENS, S. I., *Problèmes de population et morale: faisons le point,* in *Nouvelle Revue Théologique,* Déc. 1959, 1029-48.

ALFRED SAUVY, *De Malthus à Mao-Tse-Toung — Le problème de la population dans le monde,* Paris (Ed. Denoël), 1958.

Dr. FRANK LORIMER, J. BOURGEOMIS-PICHAT, Dudley KIRK, *An Inquiry Concerning Some Ethical Principles Relating to Human Re production,* in *Social Compas,* vol. IV (1956-57), n. 5-6, pp. 201-212.

RUPERT B. VANCE, *The Demographic Gap: Dilemma of Modernization Programs, apud Milbank Memorial Fund, Approaches to Problems of High Fertility in Agrarian Societies,* New York, 1952, 9-18.

5

De iustitia in relationibus oeconomicis internationalibus

Valde exoptatur ut Concilium statuat obligationem nationum magis provectarum, auxilium nondum provectis ferendi. Quae obligatio implenda est ut munus ex obligatione magis universali proveniens, h. e. ex obligatione contribuendi ad bonum et ordinem oeconomicum internationalem.

Elucidatio

(P. Ph. Land)

In hac propositione notanda est subordinatio obligationis assistendi obligationi favendi ordini oeconomico internationali. Haec subordinatio urgenda est ratione et practica et theoretica.

Ratio practica: nationis provectionem exquirentis maxime interest posse se confidere cooperationem nationum iam provectarum esse duraturam. Quae diuturna cooperatio implicat multo plus quam ut auxilium feratur, data aliqua occasione, iuxta normas quae dantur in tractatu morali « de superfluo ». Ad minimum exigit ut pauperiores nationes, in suis conatibus ad meliorem reddendam propriam conditionem, a nationibus iam provectis non impediantur quavis politica vel ratione oeconomica externa.

Ratio theoretica: Verus ordo oeconomicus internationalis requiri videtur tum ob destinationem opum naturae ad usum omnium hominum, tum ob ipsam hominum necessitudinem. Ex hac rerum destinatione videtur oriri bonum commune oeconomicum communitatis internationalis. Consequenter oritur etiam obligatio nationum conferendi ad hoc bonum commune; quae obligatio fundatur in iustitia legali vel sociali.

Inquirendum porro videtur num et quomodo intret in hunc ordinem iustitia etiam commutativa. Cum ordo oeconomicus internationalis oriatur ex multiplicibus commutationibus, quibus labor humanus divisione fit proficuus, applicanda hic etiam videntur quae communiter docentur de pretio iusto et iustitia commutativa circa commutationes inter individua alicuius nationis.

Ideoque cum pretium iustum supponat velle partes aliquam commutationem facere ut beneficium mutuum hauriant ad « aequalitatem », habeatur oportet eadem mutalitas etiam in commutationibus internationalibus, sive venditores et emptores sint individua, sive corporationes vel ipsae nationes. Ex quo sequitur normas quae intrant in doctrinam gene-

ralem pretii iusti, sive a parte rei quaesitae sive a parte copiae oblatae, hic etiam vigere. Relationes commerciales internationales dirigi debent non potestate relativa oeconomica, sed aliquomodo ad modum normarum salarii familiaris. Proinde nationes quae producunt cibaria et materias primas, destinatas ad usum nationum industrialium et provectarum debent ex commutatione recipere, omnibus suppositis quae ad pretium familiale supponenda sunt, salarium familiale.

Denique etiam ordo internationalis, sicut omnis rectus ordo oeconomicus, augmentum productivitatis (et divitiarum consequentium) prospicere debet. Providentia humana a nationibus iam provectis debet eo exerceri, ut praebeatur nationibus nondum provectis opportunitas accedendi, quantum fieri poterit, ad statum provectionis quo iam gaudent divitiores.

Haec obligatio collaborationis in bonum oeconomicum internationale pauperioribus nationibus non minus urgens est quam divitioribus, etsi alia et alia ratione.

6

De iusto salario famulorum domesticorum

Exoptandum est ut praescriptis *C.I.C.,* c. 1524, de iusta mercede assignanda a clericis et religiosis, inseratur recens doctrina pontificia de iuribus et officiis « operariorum domesticorum » (famulorum).

7

De iure Ecclesiae ad « assistentiam » socialem et de caritate privata fovenda

Petendum esse videtur ut Concilium inculcet, contra quendam Monopolismum statalem, ius Ecclesiae ad « assistentiam » socialem et ad caritatem exercendam erga pauperes, sive materialiter sive spiritualiter; ut inculcetur etiam officium et ius fidelium ad eleemosynas privatim dandas, personis moralibus non exceptis.

8

De formatione sociali clericorum

Ut pastoralis apostolatus efficacior evadat, necessarium videtur ut clericis omnibus, utriusque cleri, solida institutio in scientiis socialibus tradatur. Quod, praeter assiduam familiaritatem cum Documentis Ec-

clesiae, saltem rudimenta scientiarum oeconomicarum, politicarum, sociologicarum exigit. Siquidem sacerdotes omnes, tum in sacramentalibus confessionibus audiendis et populo christiano docendo, tum in implendo munere suo pastorali, de his vitae quotidianae rebus necessario iudicia certa ferre, fideles prudenter ducere, immo prudenter silere in rebus quas conscie ignorant, tenebuntur.

Ideo Votum fit ut, ad mentem doctrinae Romanorum Pontificum de re sociali et Constitutionis Apostolicae *Deus scientiarum Dominus,* instituatur in Seminariis et in Collegiis Religiosorum programma formationis socialis insertum studiis philosophicis et theologicis, et ut huiusmodi cursus habeantur a speciali Professore ad hoc munus parato et Licentia in Scientiis Socialibus praedito.

Elucidatio

(P. H. Carrier)

Huius voti postulatio aequa apparet:

1. Si considerantur gravia problemata quae nostris diebus oriuntur pro christianis ex exigentiis iustitiae et caritatis socialis.

2. Si, ex altera parte, consideratur complexitas quaestionum socialium et oeconomicarum et difficultas pro sacerdote iudicandi cum debita prudentia et competentia, in his materiis, quae spectant suum ministerium et suam praedicationem.

3. Si consideratur insuper beneficus influxus quem, inde a Tridentina Synodo, exercuerunt Seminaria pro formatione clericorum.

4. Si denique considerantur programmata studiorum socialium quae iam in diversis Seminariis magno cum fructu instaurata sunt.

Mens SS. Pontificum hac de re clare patet ex plurimis documentis:

S. Pii X, *Notre charge apostolique,* 25 aug. 1910 ad Episcopos Galliae (*A.A.S.* 2, 1910, p. 630).

Pii XI, Litt. Enc. *Quadragesimo Anno* (*A.A.S.* 23, 1931, p. 226).

Pii XII, Exhortatio ad Clerum *Menti Nostrae* (*A.A.S.* 42, 1950, p. 687, 692, 696).

9

De Centris documentationis statisticae et investigationis socialis-religiosae

Videat Concilium num in unaquaque natione (vel, ubi adsunt parvae nationes similis culturae, in quaque consociatione nationum) instituendum sit, auctore et moderatore Episcopatu, Centrum pro statisticis ecclesiasticis et Investigationibus socialibus, quod:

a) data religiosa accurata colligere possit et ad Sanctam Sedem mittat;

b) investigationes varias, prout necessitates pastorales requirunt, ad melius gubernium ecclesiasticum instituat (de vocationibus, de scholis catholicis, de partitione paroeciarum, de distributione cleri, de progressu vitae religiosae, de incremento sectarum acatholicarum, de divortiis et matrimoniis mixtis, de superstitionibus, etc.);

c) alia facta socialia (ut augmentum incolarum, migrationes, « pauperismum », « analphabetismum » etc.) et progressum errorum (imprimis Communismi) constanter observet et de his referre possit.

10

De communi conatu contra Communismum

Quoad communismum universalem, perutile videtur pro futuro modum quemdam invenire, quo tota societas christiana, catholica et non catholica, communi conatu, sortes totius orbis christiani contra commune imminens periculum defendere ac servare conetur.

In hoc conatu, minime neglegenda videntur quae psychologi et sociologi de efficacitate « propagandae » docent.

Elucidatio

(P. Aem. Pin)

Perutiles iudicantur fore positivae declarationes doctrinae catholicae circa marxismum et quaestiones ab illo motas. Tales declarationes continere deberent:

a) expositionem documentis probatam et fidelem praecipuorum principiorum doctrinae marxisticae;

b) expositionem rationum psycho-sociologicarum quibus haec doc-

trina alliciat diversos hominum ordines in diversis nationibus et cultus condicionibus;

c) confutationem aptam, i. e. praecipue « internam », procedendo gradatim per singula huius doctrinae capita;

d) expositionem nostrae doctrinae innixae in spe, caritate et iustitia tum personali tum sociali, qua omnibus pateat Ecclesiam seiungi a formis mere temporalibus et politicis anti-communismi, malthusianismi et liberalismi oeconomici, eamque solam possidere responsum aspirationibus hominum, quibus Marxismus in suis diversis elementis satisfacere contendit;

e) invitationem ad agendum, convocatis omnibus catholicis ut adhaereant coetibus qui revera vigent et operantur in Ecclesia, quique sibi proponunt adventum Regni Dei magis in diem promovere; ita ut:

— Marxistae monopolium defensionis pauperum et progressus oeconomici sibi tribuere iam non possint,

— et Catholici qui appetunt constituere coetum capacem promovendi « causam » quae exsuscitet admirationem, intra Ecclesiam talem coetum invenire possint.

Huiusmodi vero methodus nullo modo nova iudicanda est. Iam Litterae Encyclicae *Divini Redemptoris* idem genus confutationis adhibuerunt. Videntur illae Litterae Encyclicae schema praebere ad incipiendum praesentem laborem.

Considerandum etiam est num a Sacra Hierarchia providendum sit ut in unaquaque natione (vel consociatione nationum) adsint duo vel tres sacerdotes (sive regulares sive saeculares), pertinentes sive ad quoddam *Centrum* Doctrinae Socialis sive ad *Facultatem* Scientiarum Socialium in aliqua Universitate Catholica, et ingenio philosophico praediti, qui philosophiam modernam in qua communismus innititur (a Descartes usque ad Feuerbach), probe cognoscant eamque dissolvere valeant.

Romae, 5 aprilis 1960.

P. Muñoz Vega, S. I., *Rector Universitatis*
P. Ed. Dhanis, S. I., *Praefectus Generalis Studiorum*
P. Z. Alszeghy, S. I., *Decanus Facultatis Theologicae*
P. Huizing, *Decanus Facultatis Iuris Canonici*
P. S. Damboriena, S. I., *Decanus Facultatis Missiologicae*
P. Th. Mulder, S. I. *Praeses Instituti Scientiarum Socialium*
P. Louis Sanschagrin, S. I., *Segretarius Generalis*

DE MATRIMONIO

Appendix ad vota 30-31

(P. Franciscus Hürth)

Agendo de Matrimonio, quod in visceribus tangit universam familiam humanam tam christianam quam non-christianam, Concilii oecumenici est docere atque urgere traditam de matrimonio doctrinam catholicam eamque conferre cum huius temporis de matrimonio opinionibus atque assertis, ut patefiat, quid in iis admitti queat, quid a doctrina catholica alienum sit. Ita quoad Reformatorum de matrimonio theses Concilium Tridentinum egit in Sessione XXIV die 11 nov. 1563: breviter in praevio capite enuntiatis fundamentalibus veritatibus catholicis, in 12 Canonibus Reformatorum errores reiecit et condemnavit. Hoc Tridentini exemplum Leo XIII et Pius XI in suis de matrimonio christiano Litteris Encyclicis imitati sunt; Leo XIII in Encyclica *Arcanum divinae sapientiae* d. d. 10 febr. 1880, Pius XI in *Casti connubii* d. d. 31 decembris 1930. Haec exempla futurum Concilium Vaticanum II, si ei placet, cum spe magni fructus sequi poterit: exponendo scilicet fundamentales principalesque de matrimonio veritates catholicas, cum iis dein comparando huius temporis de matrimonio theoremata et vitae actiones.

Sub utroque igitur respectu (doctrinae scilicet catholicae et mentalitatis hodiernae), congruum videri potest, ut a futuro Concilio Oecumenico considerationi subiciantur:

I. Matrimonii origo.
II. Matrimonii finis.
III. Matrimonii natura et essentiales proprietates.
IV. Matrimonii usus, legitimus, non-legitimus.
V. Matrimonii celebratio, mere naturalis, ecclesiastica, civica.
VI. Matrimonii dissolutio, ex toto aut ex parte.

I. Matrimonii origo

Matrimonium Deum habet auctorem.

Hanc fundamentalem doctrinae catholicae veritatem, simul cum tota indole a Deo matrimoni indita, Leo XIII in Encyclica *Arcanum* delineat et argumentis fulcit; hanc lineam Pius XI in Encyclica *Casti con-*

nubii et Pius XII in variis Allocutionibus, in peculiari modo in Allocutione diei 29 octobris 1951, (*A.A.S.,* 1951, pp. 835-854), secuti sunt.

Leo XIII: Posteaquam Deus formavit hominem et inspiravit in faciem eius spiraculum vitae, sociam illi voluit adiungere, quam de latere viri ipsius dormientis mirabiliter eduxit. Qua in re hoc voluit providentissimus Deus, ut illud par coniugum esset cunctorum hominum naturale principium, ex quo scilicet propagari humanum genus, et, numquam intermissis procreationibus, conservari in omne tempus oporteret. Atque illa viri et mulieris coniunctio, quo sapientissimis Dei consiliis responderet aptius, vel ex eo tempore duas potissimum, easque imprimis nobiles, quasi alte impressas et inscultas prae se tulit proprietates, nimirum unitatem et perpetuitatem (cf. *A.S.S.,* vol. XII, pp. 386-387).

Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit matrimonium, simulque effecit, ut coniuges, caelesti gratia quam merita eius pepererunt septi ac muniti, sanctitatem in ipso coniugio adipiscerentur: atque in eo, ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia mire conformato, et amorem qui est naturae consentaneus perfecit (l. c. p. 388).

Etenim cum matrimonium Deum habeat auctorem, fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura. ... Testantur et monumenta antiquitatis, et mores atque instituta populorum, qui ad humanitatem magis accesserant et exquisitiore iuris et aequitatis cognitione praestiterant: quorum omnium mentibus informatum anticipatumque fuisse constat, ut cum de matrimonio cogitarent, forma occurreret rei cum religione et sanctitate coniunctae. Hanc ob causam nuptiae apud illos non sine caeremoniis religionum, auctoritate pontificum fieri saepe consueverunt. — Ita magnam in animis caelesti doctrina carentibus vim habuit natura rerum, memoria originum, conscientia generis humani! — Igitur cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte sacrum consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium (cf. l. c. p. 392).

Ad Ordinarios dein diriguntur verba; quibus quae antea dicta sunt, reassumuntur et comprehenduntur: Praecipuas curas in id insumite, ut populi abundent praeceptis sapientiae christianae, semperque memoria teneant: matrimonium non voluntate hominum, sed auctoritate nutuque Dei fuisse initio constitutum, et hac lege prorsus ut sit unius ad unam: Christum vero novi Foederis auctorem illud ipsum ex officio

natura in Sacramenta transtulisse, et, quod ad vinculum spectat, legiferam et iudicialem Ecclesiae suae attribuisse potestatem (l. c., p. 400).

Ex dictis elucet doctrina catholica: originis divinae sunt: ipsum matrimonium, matrimonii proprietates essentiales: unitas, perpetuitas, sacramentalitas; matrimonii cura concredita quoad baptizatos soli Ecclesiae Christi quoad legiferam et iudicialem potestatem.

Haec doctrina catholica multis fidelibus bene cognita et conscia est, et ab his non solum scitur, sed et « vivitur ». Concilium Oecumenicum, si veritatem catholicam enuntiabit, his praebebit interni sui animi et externae suae actionis approbationem et confortationem.

At sunt hodie non pauci, etiam inter fideles, qui clara veritatis catholicae cognitione carent, vel, si eam habent, eam parum curant; qui, imbuti hodiernis de profana matrimonii natura et origine ideis, veritatem catholicam addubitant, immo respuunt. — Multo magis autem attendi debet ad tot gentes et stirpes, quae recenter independentes at sui iuris factae, nationali zelotypia adhaerent, quoad matrimonium quoque, avorum maiorumque conceptibus et usibus, saepe a doctrina catholica, cuius ignarae sunt, discrepantibus. — Dein accedunt hodie imprimis materialismi et Marxismi asseclae, qui ex ideis « materialismi dialectici » sua sentiendi et agendi postulata deducunt eaque vi oppressioneque omnibus obtrudere et inculcare non cessant. Hi divinam matrimonii originem fabulam esse proclamant, quam assumere hominem huius temporis dedeceat; matrimonium docent nihil esse nisi fructum cuiusvis temporis status oeconomici et cum hac oeconomia mutationes et modificationes participare. — Denique divinae matrimonii origini contraria est ea his nostris temporibus grassans « mentalitas massalis » quae dicitur, quaeque, neque quoad matrimonium, locum relinquit liberum personae et religioni. Quid de matrimonio sentiendum et agendum sit, categorice dictat et iubet « massa »; et massa, qua talis, hodie plurimis in locis fontem principalem habet materialismum (materiam eiusque indolem et vires) et ad materialismum quasi pondere naturae tendit; non vult sentire divina et immaterialia.

His huius temporis deviationibus si Concilium Oecumenicum opponit lucidam et sublimem de matrimonii origine doctrinam, et si fideles inducit ad suam degendam in matrimonio vitam, dignam origine divina, Ecclesia etiam quoad matrimonium, hoc familiae humanae tangens viscera institutum, signum erit levatum in nationibus, emittens lucem et robur.

II. MATRIMONII FINIS

Finis matrimonii, a Deo intentus, seu « finis operis », primarius est prolis procreatio et educatio, finis secundarius est mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae.

« Finis operantis », quem partes in matrimonio sive contrahendo sive utendo intendunt, subordinatus esse debet « fini operis », quem Deus stabilivit.

Fines matrimonii, quos Deus intendit, non sunt minus originis divinae, quam ipsum matrimonium; ita Vetus et Novum Testamentum; ita Christus Dominus; ita nuncii divinarum legum Apostoli plenius et enucleatius memoriae litterisque prodiderunt (cf. supra I, textus allatos ex *Arcano;* alios textus ex eadem Encyclica pp. 388-389).

Inter hos fines habetur ex rei natura et ex ipsa institutione divina determinatus ordo: primum locum tenet procreatio et educatio prolis; fines secundarii, mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae, sunt fini primario essentialiter subordinati, non autem aeque principales et independentes (cf. declarationem Pii XII d. d. 10 martii 1944; Decretum S. Officii d. d. 1 apr. 1944 (*A.A.S.,* 1944 p. 103); cf. Allocutionem d. d. 29 oct. 1951 p. 849).

Totum matrimonium dein aeque ac fines eius, sunt subordinati fini hominis ultimo; Dei servitio et saluti animae; est enim matrimonium coniugibus ex voluntate et institutione Dei medium salutis aeternae.

Quia omnis res, quae est ad determinatum finem, necessario mensuram cogitandi et agendi sumit ex fine, ideo regula agendi et sentiendi circa matrimonium, normam sumere debet ex fine matrimonii et ex ordine finium, prout ab auctore naturae est stabilitum. Finis autem et ordo a Deo stabilitus est hic: voluit Deus per matrimonium, non intermissis generationibus, familiam humanam conservare et propagare.

Huic ideo doctrinae de primario fine matrimonii omni ex parte consona est familia prolis numerosae. Teste enim Scriptura atque traditionis christianae oraculo, proles numerosa est magnum benevolentiae divinae donum ac benedictio (cf. e. gr. Ps. 128, 3-4). Idque multo magis apparet, si prae oculis habetur: in hac oeconomia salutis filios non generari solummodo, neque imprimis, ut terra incolis impleatur, sed ut gratia Christi inveniat, quos iam in hoc saeculo faciat cives regni Dei et membra Mystici Corporis Christi, et ut tandem in coelum eos transmittat, perenniter beatificandos in Dei visione et amore.

Teste historia ex familia numerosa tot tantique orti sunt viri: in-

genio illustres, iudicii sani et perspicui, moribus integri, characteris firmitate ornati sine ullo tamen rigidismo; viri in scientia nec minus in vita publica dirigenda insignes. — In campo religionis christianae ex familia numerosa sunt in decursu temporis innumerae vocationes religiosae et sacerdotales, sunt exempla sanctitatis, etiam heroicae, sunt tot Sancti ab Ecclesia canonizati, uti S. Robertus Bellarmino, S. Pius X. — Haec doctrina etiam a Pontificibus pluries et expresse est enuntiata; ita e gr. Pius XI in *Casti connubii* (*A.A.S.*, 1930, pp. 543-544), ita Pius VII in *Allocutione* d.d. 29 oct. 1951 (*A.A.S.*, 1951, p. 839 sq.), et in Allocutione d. d. 20 ianuarii 1958, quae tota est de numerosa prole (*A.A.S.*, 1958, pp. 90-96).

A mente ergo christiana et a Creatoris intentione est aliena recenter magis magisque sparsa opinio quae proclamat: prolem numerosam esse « aegritudinem socialem », cui tandem aliquando occurrere debeant coniuges arcta et amplissima prolis nascendae restrictione (Birth-control).

Dicunt in partem contrariam: his temporibus permultos in matrimonio imprimis sibi velle esse coniuges, non proli genitores; quorum qui prolem non excludunt, ponunt eam in secundo loco, tamquam fructum et effectum matrimonii; nullatenus autem tamquam finem matrimonii primarium. Hoc sentiendi et agendi axioma, prout sonat, cum doctrina catholica de finibus non concordat.

Item a doctrina catholica discrepat norma iudicandi et vivendi, petita ex hodie magni aestimata doctrina de valoribus, secundum quam recedi posse dicunt ab ordine finium et sequi ordinem « valorum ». In matrimonio, quod ipsum coniugibus est notabilis valor, plures valores continentur: materiales (biologici) et personales (immediate personas qua tales respicientes). In genere inter valores est determinatus ordo, scala et hierarchia valorum; regit inibi axioma, (iam luce naturae intellectu facile), quod valor inferior sit subordinatus valori superiori, et quod in casu insolubilis conflictus vincitur valor inferior a superiore. In matrimonio est autem valor biologicus (procreatio prolis) valor inferior, valor personalis valor superior; hinc in casu insolubilis conflictus, quando revera valor biologicus nequit actuari, nisi proiecto valore personali — (mutua traditio, mutua fiducia, mutua animorum et corporum unio) —, valor biologicus dici potest vel debet non libidinis explendae causa, sed ob obiectivam rationem, quod hi coniuges sine gravissimo incommodo ab usu sui iuris abstinere nequeant cum absolute eo indigeant. Ideo — (aiunt) — actuationem valoris biologici positive impedire possunt, ut obtineant et retineant valorem personalem —. Principio, quo qui ita agunt, utuntur, est principium « hierarchiae valorum »; hac hierarchia valorum dicunt (et ita agunt) vinci « hie-

rarchiam finium ». Haec theoria « hierarchiae valorum » componi nequit cum doctrina de origine et « hierarchia finium » matrimonii a Deo stabilita; vincitur ergo « hierarchia valorum » « hierarchia finium ».

Vincitur insuper asserta praevalens hierarchia valorum « hierarchia necessitatum ». Potest esse, quod res minoris valoris sit maioris necessitatis indispensabilis sive pro bono publico, sive pro bono privato. Quo in casu vincitur maior valor maiore necessitate rei minoris valoris. In deserto e. gr. viator, secum portans pretiosas gemmas, siti est periturus; occurrit ei alter, qui habet tubum aquae, aqua viatori est magis necessaria quam gemmae et lapides pretiosi ideo pro aqua infimi valoris dat gemmas summi valoris, quia res vilior est ei in casu magis necessaria.

Contrarii autem finium regulae, per Creatorem statutae, sunt primo: qui matrimonii originem divinam reiciunt (cf. n. I), imprimis Materialistae et Marxistae secundum sua « materialismi dialectici » theoremata. Accedunt, saltem magna ex parte, qui dictaturae massae oboediunt; de his quoque in n. I sermo fuit. Appellat Deus ad hominis mentem et personam, non ad turbas, plus minus caecas, « massalem » impetum et instinctum.

Finium regulae, divino iure stabilitae, contrarii deinde sunt, qui prolis procreationem directe arcendam proclamant et arcent, eo quod sive actum sive personam coniugum vi procreandae novae vitae in hunc finem directe privent.

De privatione « actus » habetur in Encyclica Pii XI *Casti connubii*: « Nulla profecto ratio, ne gravissima quidem efficere potest, ut quod intrinsece est contra naturam, id cum natura congruens et honestum fiat. Cum autem actus coniugii suapte natura proli generandae sit destinatus, qui, in eo exercendo, naturali hac eum vi atque virtute de industria destituunt, contra naturam agunt » (*A.A.S.*, 1930, p. 559).

Quoad destituendas hac vi ipsas personas coniugum, in eadem Encyclica Pius XI effert: ad talem destitutionem peragendam nec personas privatas nec auctoritatem publicam habere ius et potestatem ullam. Pius XII redit ad idem argumentum in Allocutione d. d. 29 oct. 1951, memorando dictam destitutionem semper frequentius peragi, et pergit: « Perciò quando, or è un decennio, la sterilizzazione venne ad essere sempre più largamente applicata, la S. Sede si vide nella necessità di dichiarare espressamente e pubblicamente che la sterilizzazione diretta, sia perpetua che temporanea, sia dell'uomo che della donna, è illecita, in virtù della legge naturale, dalla quale la Chiesa stessa, come sapete,

non ha potestà di dispensare » (*A.A.S.,* 1951 p. 844; allegatum Decretum S. Officii, eiusdem tenoris est d. d. 22 febr. 1940, *A.A.S.,* p. 73). Quae personae coniugum vi procreativa destitutio hodie non solum fit « sterilisatione », sed haud paucis aliis quoque methodis: irradiatione, iniectionibus, pillolis, « drogues », etc ... De his methodis Pius XII sententiam tulit easque reprobavit, si earum qua methodus hac vel illa via directe tendit in procreationem novae vitae directe impediendam; neque tolerandas iudicavit huiusmodi modernas methodos, adhibitas cum praetextu: per directam, sed non immediatam conceptionis impeditionem corrigere defectus naturae. (Allocutio d. d. 12 sept. 1958, *A.A.S.,* 1958, pp. 734-736).

Fini vitae procreandae a Deo statuto maxime contradicit vitae procreatae intenta peremptio. Quapropter Pontifices Pius XI et Pius XII, agentes de matrimonio, agunt de directa abortus procuratione. Etsi de hac re ordinarie in Morali agitur in exponendo quinto decalogi praecepto, tamen iusto iure a Pontificibus haec vitae adhuc in utero latentis directa peremptio subsumpta est sub fine primario matrimonii et ab iis reicitur ut huic fini contraria, non solum, si peragitur ex levitate prolisque taedio aut ex alio magis scelerato motivo, sed etiam, si fit urgente necessitate salvandi matris vitam. — Pius XI de abortu agit in Encyclica de matrimonio christiano *Casti connubii* (*A.A.S.*, 1930, pp. 562-563); Pius XII pluries; concinne in Allocutione diei 29 oct. 1951, quae est quaedam summa Ethicae matrimonialis christianae (*A.A.S.,* 1951, pp. 838-39).

A futuro Concilio, si sanitati et integritati matrimonii succurrere intendit, haec directa in utero matris foetus peremptio silentio praeteriri non potest. Secundum peritos enim hic nefarius perimendi usus in matrimoniis, etiam catholicorum, ingravescit; immo sunt vitae publicae et socialis acuti et periti observatores, qui firmandum censent: populationis numericam quoad partus semper crescentem diminutionem maiore ex parte tribui debere procurationi abortus quam methodis anticonceptionalibus.

Conclusio

Quamvis Deus ipse statuerit finem, ut in matrimonio et non alia via per filiorum non intermissas procreationes genus humanum conservaretur et propagaretur, tamen hominibus non dedit universale matrimonii ineundi aut inito utendi praeceptum. Fini stabilito Deus providit per finis lumine rationis et fide hominibus datam cognitionem, iunctam cum vehementi impulsu exercendi acceptam facultatem generativam, si-

mulque coarctando hanc facultatem ad matrimonium et in matrimonio ad facultatis usum naturalem. Nullus ergo per universale Dei praeceptum ad ineundum matrimonium obligatur, neque in matrimonio si altera pars consentit, obligatur ad eius usum. At, qui utuntur matrimonio, lege finis a Deo stabiliti tenentur, ne, suo iure utentes, suo agendi modo legi et fini Creatoris contraeant.

III. Matrimonii natura et essentiales proprietates

Antiquum ius Romanum edixit: « Nuptiae sunt coniunctio maris et feminae et consortium omnis vitae, divini et humani iuris communicatio »; (D. 23, 2, 1). Matrimonium igitur ex origine et natura sua est intima inter virum et feminam unio, orta ex consensu mutuo, quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem. « Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem suam et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una » (*Gen.* III, 24). Quod protoparentis effatum pluries in Sacris Litteris repetitur; ita ab ipso Christo Domino, ita non semel a Doctore gentium (cf. *Mt.* XIX, 5; *1 Cor.* VI, 16; *Eph.* V, 31). Est ergo natura matrimonii in intima coniugum unione ac consociatione: vinculo iuris dati in corpus ad prolis generationem, vinculo amoris cordis et actionis, vinculo indolis sacrae; est enim matrimonium res « sacra » iam in ordine naturae, est « sacramentum proprie dictum » inter baptizatos.

Ex matrimonio natura sua et voluntate Creatoris oritur familia, cuius « lex constitutionalis », idest « ordo essentialis ... altiore quam humana, idest, divina auctoritate atque sapientia conditus est, et nec legibus publicis nec privatis beneplacitis mutari potest » (*A.A.S., Casti connubii,* 1930, p. 568). Qui ordo essentialis ideoque semper manens, a Leone XIII describitur:

« Vir est familiae princeps, et caput mulieris: quae tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus eius, subiiciatur pareatque viro, in morem non ancillae, sed sociae: ut scilicet oboedientiae praestitae nec honestas, nec dignitas absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae paret, cum imaginem uterque referant alter Christi, altera Ecclesiae, divina charitas esto perpetua moderatrix officii. Nam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae ... Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus » (*Arcanum, A.A.S.,* vol. XII, p. 389; *Eph.* V, 23-24).

Haec ex ordine divino in matrimonio mulieris sub viro subiectio his nostris temporibus tum quoad principium, tum quoad usum a haud

paucis impugnatur. Saltem ex hodiernis adiunctis socialibus et politicis statuenda asseritur: plena utriusque, viri scilicet et mulieris, aequalitas iuris et aequalitas status socialis. Quapropter exigitur a catholicis, et in specie a Parlamentariis ac Deputatis catholicis, mentis et disciplinae ecclesiasticae revisio et adaptatio, (quam dicunt in non paucis nationibus cultis iam ex longo tempore esse factam). Adversarii doctrinae catholicae ideo hodie magis quam decenniis praeterlapsis urgent plenam « mulieris emancipationem »: socialem, oeconomicam, psysiologicam. Quoad hoc ordinis divini in familia a Deo stabiliti elementum Pontifices pronuntiarunt: esse in aliquibus plenam iuris aequalitatem; esse in aliis propter sociale bonum commune et propter bonum familiae iuris inaequalitatem; salvis vero his lineis fundamentalibus, in aliis, quae hodiernus status socialis vel politicus exigit, adaptationi condicionis mulieris in matrimonio ex parte Ecclesiae nihil obstare; auctoritatis publicae esse, civilia uxoris iura ad huius temporis necessitates et indigentias aptare.

« Aequalitas autem illa iurium, quae tantopere exaggeratur et praetenditur, in iis quidem agnosci debet, quae propria sunt personae ac dignitatis humanae, quaeque nuptialem pactionem consequuntur et coniugio sunt insita; in iisque profectu uterque coniux eodem omnino iure gaudet eodemque debito tenetur; in caeteris, inaequalitas quaedam et temperatio adesse debet, quam familiae bonum ac debita domesticae societatis et ordinis unitas firmitasque postulant.

Sicubi tamen sociales et oeconomicae condiciones mulieris nuptae, ob mutatos conversationum humanarum modos et usus, aliquo pacto mutari debent, auctoritatis publicae est, civilia uxoris iura ad huius temporis necessitates et indigentias aptare » (*Casti connubii, A.A.S.*, 1930, p. 568).

De triplici autem uxoris protenta emancipatione Encyclica monet: « Haec quidem non est vera mulieris emancipatio neque illa rationi congruens et dignissima libertas, quae christianae nobilisque mulieris et uxoris muneri debetur; potius est muliebris ingenii et maternae dignitatis corruptio et totius familiae perversio, qua maritus privatur uxore, proles matre, domus familiaque tota vigili semper custode. Quin immo in ipsius mulieris perniciem vertitur haec falsa libertas et non naturalis cum viro aequalitas; nam si mulier ab regia illa descendit sede, ad quam per Evangelium intra domesticos parietes evecta est, brevi in veterem servitutem (sin minus specie, re tamen vera) redigitur, fietque, ut apud ethnicos erat, merum viri instrumentum » (l. c. pp. 567-68).

Adaptatio quaedam iuridica, socialis, oeconomica uxoris ad condi-

ciones necessaria est, sed adaptationis modus et ambitus normam ac limitem habet in essentialibus elementis de ordine familiae a Creatore latae legis constitutionialis, quam Pontifices ulterius sunt interpretati.

Matrimonii proprietates essentiales.

Proprietates essentiales assignantur: unitas, perpetuitas, sacramentalitas.

Unitas denotat: matrimonium non esse nisi inter virum unum et mulierem unam. Scriptura et Traditiones christianae non relinquunt ullum dubium: post Christum non haberi matrimonium, sive inter fideles sive inter infideles, nisi inter virum unum et mulierem unam. Hinc post Christum in matrimonio haberi non potest sive polyandria sive polygamia. Nam quod Deus in initio fecit: matrimonium scilicet inter virum unum et mulierem unam, et quod dein pravitate hominum depravatum erat: Christus pro sua Supremi Legislatoris auctoritate in sua puritate pro universo genere humano restituit. Voluit insuper, ut matrimonium conforme sit archetypo unionis Christi et Ecclesiae, quae unio est inter unum Christum et unam Ecclesiam. Excluditur « polygamia » tum simultanea tum successiva. Polygamia (rectius: polygynia) successiva habetur, quando vir, ligatus vinculo matrimoniali, non soluto hoc vinculo, successive cum alia muliere (secunda, tertia, quarta etc.) vinculum nectere attentat, ita tamen, ut, dimissis aliis, non habeat ut uxorem, nisi quam ultimo duxit. Haec polygamia successiva hodie est frequens, cum frequens sit « divortium », et cum auctoritas civilis nulla polleat potestate solvendi vinculum coram Deo existens, neque quoad baptizatos neque quoad non baptizatos.

Unitas matrimonii denotat insuper, quod uni illi uxori detur *totum* ius in corpus. Excluditur ergo, quod pars huius iuris vel mera licentia in corpus detur etiam alteri mulieri (legitima uxore sive dissentiente sive consentiente).

Unitas, cum sit proprietas essentialis, si deficit, deficit ipsum matrimonium; neque haec irritans vis unitatis pendet a bona fide. Polygamia successiva excludit validitatem secundi, tertii etc. matrimonii, etsi, qui ita agunt, bona fide censent: civili divortio antecedens matrimonium quoad vinculum solvi.

Conveniens, immo necessarium videtur: fidelibus per Concilium prae oculis poni, quid sit et quantopere aestimari debeant matrimonii unitas, stabilita a Deo in bonum generis humani, in bonum familiae, in bonum ipsorum coniugum.

Indissolubilitas matrimonii, secunda eius proprietas essentialis, significat: vinculum matrimoniale, semel valide nexum, non posse solvi. Haec quoque proprietas essentialis est independens a bona fide nupturientium. Indissolubilitas intrinseca excludit ipsas partes a vinculo, quod sua voluntate nexuerunt, per suam voluntatem solvendo; indissolubilitas extrinseca dicit: vinculum, per nupturientes nexum, per auctoritatem publicam (sive ecclesiasticam, sive civilem) non posse solvi: indissolubilitas absoluta tandem effert, matrimonium nec ab intra (per partes), nec ab extra (per auctoritatem) disrumpi posse. Indissolubilitas tamquam proprietas essentialis prima effert: voluntate partium vinculum dissolvi non posse. Haec lex ante Christum non valebat absolute; nam in populo Israël fuit facultas libelli repudii, quem vir uxori, positis certis condicionibus, dare potuit. Omnem autem facultatem solvendi ab intra matrimonium Christus abrogavit pro toto genere humano. Accedit dein indissolubilitas extrinseca. Neque auctoritati civili ulla est potestas rumpendi ab extra ullum matrimonii coram Deo validum vinculum (neque quoad baptizatos neque quoad non-baptizatos). At Ecclesiae a Christo facta est auctoritas et potentia potestate ministeriali in iure divino ob iustas et graves causas (« salutis animarum ») solvendi matrimoniorum vinculum, nisi fuerit matrimonium ratum et ut ratum consummatum; quod nulla potestate humana, sed sola morte solvitur.

Indissolubilitas matrimonii non constituitur per specialem (explicitum vel implicitum) nupturientium actum, sed oritur ex natura rei eo ipso, quod sponsi inire volunt « matrimonium », idest illam duarum personarum diversi sexus consociationem, quae ubique ut « matrimonium » ab omnibus aliis sexualis indolis stabilibus unionibus distinguitur quascumque de cetero homines variorum temporum et locorum habent de tali specifica unione opiniones, sive veras sive vitiatas. Indissolubilitas in tali casu est volitum *in alio,* idest in matrimonio, non est volitum *in se.*

In quolibet enim contractu, deliberate facto in volito obiecto « voluntur » omnia, sine quibus obiectum esse non potest. In obiecto emptionis animalis vivi voluntur omnia eius organa, sine quibus illud animal esse non potest, etiamsi emptor nescit, quaenam sint illa organa, et si nullam de his obiectis voluntatem conceperit. At, potest quis positivo voluntatis actu contrario aliquod huiusmodi inseparabile elementum a sua voluntate contrahendi excludere; tunc ipso facto excludit totum obiectum, cuius essentialis pars est illud elementum inseparabile.

Ita etiam in matrimonio: potest utraque vel alterutra pars indissolubilitatem positivo actu excludere; ipso facto excludit matrimonium.

Utrum autem talis exclusio acciderit, vel saltem praesumi debeat, est quaestio facti; quae ex solis generalibus principiis solvi nequit.

Etiam indissolubilitas a Deo, auctore matrimonii, stabilita est in bonum generis humani, in bonum familiae, in bonum coniugum, in bonum filiorum. Ut haec bona et fructus indissolubilitatis clarius omnibus innotescant, Leo XII in Encyclica *Arcanum* iis opponit funestas sequelas (orituras et iam ortas) ex reiecta matrimonii insolubilitate et ex eius solutione:

« Fiunt maritalia foedera mutabilia; extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt, ne cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nihil tam valet, quam corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum ianuamque patefaciunt » (*A.A.S.*, 1880, vol. XII, p. 396). Idipsum recurrit in Pii XI Encyclica *Casti connubii* (*A.A.S.*, 1930, pp. 550, 572 sq.).

Tertia proprietas essentialis est *sacramentalitas*.

Sacramentalitas non habetur in omni matrimonio, sed solummodo in matrimoniis baptizatorum. Inter baptizatos validum matrimonium iniri nequit, quod non sit *sacramentum*; nam Christus ispum validum contractum, quo constituitur matrimonium, ad dignitatem sacramenti invexit, quapropter inter baptizatos validus contractus consistere nequit, qui non sit charactere sacramentali insignitus. De sacramentalitate monendum recurrit, quae modo de indissolubilitate dicta sunt: a matrimonio baptizatorum est inseparabilis; ideo sine omni ulteriore actu voluntatis habetur ex et in matrimonio volito; etiam si sacramentalitas nescitur, si non creditur, si « mythus » putatur. At, sicut indissolubilitas, ita etiam sacramentalitas positivo voluntatis actu contrario excludi potest; quod si fit, ipsum matrimonium excluditur.

Matrimonii sacramentalitas fidelibus est nova et sublimis dignitas, est internae gratiae fons, est in adversitatibus robur et solacium. Inter Pontificia de matrimonio documenta de eius charactere sacramentali imprimis egit Pius XI in Encyclica *Casti connubii*:

« Cum sincero animo fideles talem consensum (matrimonialem) praestant, aperiunt sibi sacramentalis gratiae thesaurum, ex quo supernaturales vires hauriant ad officia et munera sua fideliter, sancte, perseveranter ad mortem usque adimplenda. Hoc enim Sacramentum, in iis qui obicem, ut aiunt, non opponunt, non solum permanens vitae supernaturalis principium, gratiam scilicet sanctificantem, auget, sed etiam peculiaria addit dona, bonos animi motus, gratiae germina, naturae vires augendo ac perficiendo, ut coniuges non ratione tantum intelligere, sed intime sapere firmiterque tenere, efficaciter velle et opere perficere valeant quidquid ad statum coniugalem eiusque fines et officia pertinet; ius denique eis concedit ac actuale gratiae auxilium toties impetrandum, quotiescumque ad munera huius status adimplenda eo indigent » (*A.A.S.,* 1930, pp. 554-555).

Pergit dein Pontifex exponendo: ut matrimonii sacramentum plenum fructum ferre queat, requiri fidelium seriam collaborationem, ut ex suis conferant quod conferre possunt et debent. Tandem concludit: « Coniuges aureo Sacramenti ligamine non constricti sed ornati, non impediti sed roborati, omnibus viribus ad hoc nitantur, ut suum connubium non solum per Sacramenti vim et significationem, sed etiam per ipsorum mentem ac mores sit semper et maneat viva imago fecundissimae illius unionis Christi cum Ecclesia, quae est venerandum profecto perfectissimae caritatis mysterium » (*Casti connubii, A.A.S.,* 1930, pp. 555-556).

Ex hoc mysterio, ad quod, ut ad archetypum, refertur christianorum matrimonium, in quantum est « Sacramentum », maxime apparet eius sublimis dignitas et efficacia.

Doceat igitur et faxit Concilium, in quantum potest, ut baptizatorum, et maxime catholicorum, matrimonia, quae nimis frequenter ab hoc « *ideali* » aberraverunt, illud Scripturae et Traditionis catholicae programma « *sicut Christus et Ecclesia* » intellegant, perscrutentur, vivant, et ita fiant toti mundo exemplum et incitamentum imitationis.

IV. Matrimonii usus

Est ordo divinus de matrimonio, hic ordo amplectitur etiam res intimas vitae coniugalis, idest matrimonii usum. Hic usus ergo conformari debet ordini divino; neque divinus in matrimonio ordo erit in tuto positus, nisi idem ordo in tuto fuerit positus in matrimonii usu.

Usus intellegitur: peracta in matrimonio inter coniuges actuatio apparatus somatici sexualis per actus a coniugibus inter se positos: (actuatio

potest quidem etiam esse imperfecta, sed generatim hoc verbo significatur actuatio perfecta seu totalis).

Ordo divinus respicit: *originem* matrimonii ex Deo, *fines* matrimonii finiumque ordinem a Deo stabilitum, matrimonii *alligationem per Deum ad finem* matrimonii, essentiales matrimonii *proprietates* a Deo definitas. Ad haec ergo, in I-III exposita, trahi debet etiam matrimonii « usus », imprimis alligatio usus ad fines finiumque ordinem. Relatio et ligatio ad finem pervadit totum ambitum usus, scilicet usus aut perfecti aut imperfecti; *factum* ligationis in utroque usu est idem, sed ligationis modus et gradus alius est in perfecto, alius in imperfecto usu.

« Usus matrimonii » nec re nec conceptu coincidit cum simplici usu facultatis seu apparatus generativi a natura dati, qui simplex usus apparatus generativi, ab hominibus (contra quidem ius et fas) peragitur etiam extra matrimonium. Matrimonialis usus ius non habetur ullo modo iam per solam communicationem naturalis apparatus generativi — (prout ius usus habetur in aliis a natura datis facultatibus, e. gr. videndi, audiendi, edendi et bibendi, etc.) —, sed habetur unice per *contractum matrimonialem,* ad quem ineundum habetur ius naturale; sed homo huic iuri renuntiare potest (cf. Pius XII, D.D. 19 maii 1956; *A.A.S.,* 1956, p. 472, alinea ultima).

Contractus matrimonialis a Deo est conditus et circumscriptus, homini datum est solummodo decernere, utrum necne et cum quanam alterius sexus persona contractum inire velit, reliqua a Deo stabilita sunt: a Deo assignatum est *obiectum* contractus, quod est ius (continuum, non intermissum) ad naturales usus apparatus et facultatis generativae (obiectum non est proles); a Deo assignatus est *finis et scopus* contractus, quae est conservatio et propagatio generis humani per prolis generationem, ad quam per contractum acquiritur ius; a Deo statutae et firmatae sunt huius contractus *proprietates essentiales*: unitas, perpetuitas, sacramentalitas iuris dandi vel acceptandi. Si quando vel una ex his proprietatibus a iure dando vel acceptando positive excluditur (secundum ea quae in n. II dicta sunt), totum ius excluditur, et totus contractus matrimonialis, cum sit de iure usus, corruit.

In matrimoniali « iure usus » non continetur ius ad fecundationem vel *inseminationem artificialem* (quae est vere talis, et non solum adiutorium artificiale ad usum naturalem). Tale ius in naturali contractu matrimoniali nullo modo enuntiatur, neque ex eo deduci potest. Qui talem deductionem adtemptant, saepe ex falso supposito procedunt: contractum matrimonialem esse de prole, idest de fine et fructu matrimonii. Qua in suppositione valeret: si obiectum iuris per contractum quaesiti obtinere nequit modo naturali, licite obtinendum quaeritur modo

artificiali. Sicuti in nutritione, cui, si naturalis impeditur, substituitur artificialis, quia habetur naturale ius in naturalem finem nutritionis, quae est conservatio et evolutio vitae personalis et individuae. Totum hoc problema inseminationis artificialis bis a Pio XII examinatum et decisum est: d.d. 29 sept. 1949 (*A.A.S.*, 1949, p. 559), et d. 19 maii 1956, p. 471; afferuntur a Pontifice considerationes hic modo expositae. Artificialis inseminatio in his textibus reicitur, sive fiat semine proprii, sive semine viri alterius, « donatoris » qui dicitur. « Auctor vitae » maritus fieri quidem potest etiam per inseminationem artificialem; at ita neque uxori fit « coniux » (quod exigit copulam naturalem), neque proli evadit « pater », quod exigit « patris » cum « matre » naturalem coitum. Non nisi hic modus est modus originis vitae per naturam stabilitus; et contractus matrimonialis, ut contractus naturae, est de modo naturali.

Pacificum ergo, indubitatum et indubitabile est coniugibus in matrimonio *ius* inter se peragendi usum facultatis generativae per naturales actus tam perfectos quam imperfectos. Sufficit considerare monitum pastorale, ab Apostolo datum in prima epistola ad Corinthios (*1 Cor.* VII, 2-5). Monet Leo XIII in *Arcanum*:

> « Novimus... propulsatos ac reiectos eodem semper tenore fortitudinis conatus plurimorum, matrimonium christianum hostiliter petentium, videlicet Gnosticorum, Manichaeorum, Montanistarum sub ipsa rei christianae primordia; nostra autem memoria Mormonum, Sansimoniarum Phalansterianorum, communistarum » (*A.S.S.,* vol. XII, p. 390).

Talem doctrinam et vitae regulam, quae verbis Domini est omni ex parte contraria, Ecclesia numquam admisit. In Concilio Tridentino, Sess. XXIV, reiecit Reformatorum de matrimonio et eius usu errores, ipsum autem matrimonium eiusque usum intactum reliquit (cf. Denz. 969 sq.).

Est coniugibus etiam ius appetendi et gustandi delectationem et gaudium, quae natura cum talibus actibus et usus coniunxit. At, nihilominus non est ius illimitatum. Sperni et reici non debet omne frenum rationis quoad dignitatem personae humanae, et multo minus omne, quoad conscientiam christianam, frenum legis Christi (sive quoad substantiam actus qui exercentur, sive quoad modum quo peragitur). Contra huiusmodi irrefrenatum *Hedonismum sexualem,* maxime in matrimonio, altam vocem extulit Pius XII in *Allocutione* d. 29 octobris 1951 (*A.A.S.*, 1951, p. 848 sq., in particulari pp. 851-853). Libris, articulis, foliis volantibus, conferentiis, institutis technicis axioma et praxis « hedonismi » proponitur et propagatur. Sufficit nominare hodie in Gallia vigens « Dynam-Institut » et eius nimis activa « Propaganda » (utitur etiam

nomine « L'Institut de Sexologie familiale »); nominetur insuper *Paul Chanson* (laicus), qui sibi vindicat nomen « Sexologue chrétien », quique suis scriptis et sua directione practica multum in mentes et vitam influit. At, hic modus agendi et sentiendi non restringitur ad Galliam, in nimis multis regionibus et nationibus hedonismus spargitur et exercetur. Ex his factis intellegitur « Monitum » die 30 iunii 1952 ad totum orbem catholicum a S. Officio, de expresso mandato Pontificis, directum. Primo inibi reprobatur, quod his ultimis temporibus, auctores agentes de vita coniugali, minute ad singula eam spectantia inverecunde descendant; dein unus determinatus actus reprobatur, « amplexus reservatus » nuncupatus. Hic actus delectationi capiendae destinatur; coniuges naturali inter se corporum unione facta, eam per longius breviusque tempus protrahunt, seminationem et orgasmum cohibentes. Hoc amplexu reservato Reformatores hodierni succurrere protendunt coniugibus, qui prolem admittere non possunt aut nolunt, ab Onanismo tamen abstinere apud se statuerunt, fruentes autem dicto modo pro posse venerea delectatione. Effert in laudato Decreto S. Sedes: dici non posse contra hunc « amplexum reservatum » ex parte legis christianae nihil obiciendum esse. Interdicit igitur et prohibet, quominus sacerdotes in cura animarum et in conscientiis dirigendis unquam, sive sponte sive interrogati, ita de amplexu reservato loqui praesumant (*A.A.S.,* 1952, pag. 646). At, testibus publicationibus et animadversionibus in vita et conversatione sociali peritorum, praxis « amplexus reservati » inde a tempore *Moniti* non decrevit, sed potius invaluit et aucta est.

Minime ergo vetito pleno usu matrimonii et minime etiam vetita delectatione per naturam et per Creatorem usui addita, abesse vult lex christiana ab usu coniugum illimitatum hedonismum et fruendi non regulatam libertatem.

De *illegitimo et illicito usu matrimonii* supra iam fuit sermo; memoratus ibi est primo usus illegitimus ex eo, quod ipse « *actus* » industria humana privatus est vi procreandae novae vitae. De hoc usu habetur haec sollemnis reprobatio: « Quilibet matrimonii usus in quo exercendo, actus, de industria hominum, naturali sua vitae procreandae vi destituitur, Dei et naturae legem infringit, et eos qui tale quid commiserint, gravis noxae labe commaculat » (Pius XI, *Casti connubii, A.A.S.,* 1930, p. 560). Hoc naturae et Dei axioma nullam exemptionem admittit, tangit eodem modo habitum ita agendi et tangit singulos actus.

De usu illegitimo ex eo, quod non quidem actus, sed *persona,* directa intentione arcendi prolem, vi procreandae novae vitae privatur, supra, quae dici debent, dicta iam sunt; adiectis ibidem documentis S. Se-

dis. Hi quoque modi agendi sunt intrinsecus mali, sed non semper simul actum coëundi corrumpunt (ita e. gr. in muliere, culpabiliter vel inculpabiliter, excisa, quae excisione privata est vi procreandi; actus coëundi potest esse naturalis et licitus).

Doctrina catholica de *usu matrimonii* non potest silentio praeterire deliberatam *limitationem prolis* (Birth-control). Limitare prolem per modo nominatam corruptionem sive actus sive personae, auferendo vim procreandae vitae, non esse licitum patet. At, quamvis « numerosa proles » dici potest speciale donum et benedictio Dei, hodie tamen sunt rationes graves et obiectivae, quae limitationem prolis suadent vel etiam exigunt; hae rationes comprehendi solent sic dictis « indicationibus »: medica, eugenica, sociali, oeconomica, etnographica.

Utraque parte consentiente, ad limitandam prolem semper patet via non-usus. Nullum est enim praeceptum universale contrahendi matrimonium, neque in matrimonio contracto obligatio eo utendi (cf. supra). Si non-usus est unica via possibilis limitandi prolem, et simul est necessitas limitandi, non debet haec via dici impossibilis et utopica; contra est illud Concilii Tridentini in Sessione VI (in *Decr. de iustificatione,* cap. 11; Denz. 804): Deus impossibilia non iubet, sed adiuvat ut possis. Sed ad hoc « posse » necessaria est seria voluntas abstinendi ab usu, sine hac voluntate revera non est possibile abstinere: (tunc homo non potest, quia non vult, non autem non vult, quia non potest). De hac asserta impossibilitate agit eamque refutat Pius XII in Allocutione diei 29 oct. 1951 (*A.A.S.,* 1951, pp. 486-487).

Semper ad limitandam prolem exclusa est via corruptionis actus seu Onanismi coniugalis. Neque « amplexus reservatus » tamquam apta limitandi prolem via assignari potest, tum quia plurimi recte eo uti capaces non sunt, tum quia haec methodus non potest dici simpliciter licita; saltem enim grave periculum continet transeundi ad formalem et graviter peccaminosum abusum facultatis generativae. Neque patet via directae sterilisationis (sive actus sive personae) iuxta ea quae supra in n. II habentur.

Restat via « sterilitatis naturalis » (seu « usus temporum agenneseos ») iuxta theoriam Ogino-Knaus; de qua re primus fuse egit Pius XII in modo iam allegata Allocutione diei 29 oct. 1951 (*A.A.S.,* 1951, pp. 844-846). Haec via et methodus a Pontifice declaratur licita, si sunt rationes obiectivae et graves ea incedendi. Usus enim sterilitatis naturalis, electus ad prolem impediendam, tangit legem positivam; a lege autem positiva excusatur homo, si eam servare nequeat sine incommodo obiective proportionate gravi, quod incommodum est legi extrinsecum. Insinuat Pontifex: supra memoratas « indicationes » censeri posse

proportionate graves. « Lex positiva », quae hic in quaestionem venit, est illud postulatum naturae, ut coniuges, utentes matrimonio, non se subtrahant servitio finis, a Creatore intenti, conservandi scilicet et propagandi genus humanum per commercium matrimoniale coniugum (cf. supra « Conclusio »). Huic autem fini Creatoris non creatur serium damnum vel periculum, si coniuges ob graves rationes a servitio finis praestando abstinent. Usus sterilitatis naturalis per observationum temporum agenneseos essentialiter differt ab usu onanistico. Onanismus enim corrumpit ipsum actum naturae, privando eum vi procreandae vitae, et quidem intentione directa ad impediendam prolem; usus temporum e contra relinquit actum generativum intactum et ornatum naturali sua vi. Argumentum contra onanismum non fit ex damno vel periculo, quod creetur fini generationis, sed ex corruptione ipsius actus naturae; est ergo onanismus laesio legis negativae, quae vetat facere quod in se inhonestum est; obligat igitur talis lex semper et pro semper; ideo illiceitas aeque valet de « actu » Onanismi atque de « habitu ». Unde apparet: non posse fieri argumentum a pari — (ut quidam attentarunt et adtemptant) — ab argumento Pontificis de usu temporum ad argumentum de Onanismo. Pontifex dicit: observationem temporum non unaquaque vice esse illicitam, sed non debere fieri « regulariter » nec « sine gravi ratione cohonestante »; a pari — (ita argumentantur) — dici posse: onanismus tunc solummodo esse illicitum, si fiat regulariter et sine gravibus causis. Deficit paritas. Onanismus enim matrimonialis unaquaque vice, si exercetur, mutat naturalem actum copulae matrimonialis in copulam innaturalem (contra institutionem naturae).

Iam monuerat Pius XI in *Casti connubii*: « Neque contra naturae ordinem agere ii dicendi sunt coniuges, qui iure suo recta et naturali ratione utuntur, etsi ob naturales sive temporis sive quorumdam defectum causas nova inde vita oriri non possit. Habentur enim tam in ipso matrimonio quam in coniugalis iuris usu etiam secundarii fines, ut sunt mutuum adiutorium mutuusque fovendus amor et concupiscentiae sedatio, quos intendere coniuges minime vetantur, dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primarium finem debita ordinatio »! (*A.A.S.*, 1930, p. 561).

Etsi problema « limitationis prolis » nec negari nec vilipendi possit, et hodie sit revera urgens, tamen non ideo quodlibet remedium efficax, quia est tale, admitti potest. Sunt enim hac in terra problemata et conflictus, quae pacificam solutionem non habent, sed portari et sustineri debent cum heroica patientia. Solutionem, si non hoc in tempore, Deus dat in altera vita. Exemplo sint tot patresfamilias, qui tempore belli ad

arma, ad aciem, ad vitae sacrificium vocati sunt, et morte perierunt. Quod hos homines in talibus adiunctis retribuere et compensare non valent, Deus potens est compensare et superabundanter retribuere.

V. Matrimonii celebratio

Actus, quo coram Deo et coram hominibus duo ineunt consociationem perpetuam ad prolem generandam, consociationem etiam intimae unionis, mutuae fiduciae et traditionis sui ipsius — (ita ut relinquant patrem et matrem invicemque adhaereant ac fiant duo in carne una) — debet fieri: considerate, cum serietate, attentione debitaque sollemnitate.

Cum Auctoritatis publicae multum intersit, ponderosum hunc actum recte fieri, cum maxime eius intersit quoque, scire, quinam subditorum talem actum recte posuerint, ideoque matrimonio sint uniti: ideo specialem curam huius actus celebrationis matrimonii habet, et tum personas, hunc actum ponentes, tum actum quem ponunt, munimine iuris circumdat, statuendo *condiciones* vel ponendo impedimenta. At, hae condiciones et impedimenta, quantopere attendi debeant, non habent naturam *elementi constitutivi* huius actus seu consensus matrimonialis. Ipse hic actus constituitur, tamquam elemento constitutivo, sola voluntate nupturientium inter ipsos ad extra manifestato. Sunt et semper fuerunt tempora et territoria, in quibus nullae huiusmodi « condiciones » nec « impedimenta humana » habentur; inibi matrimonii celebratio ex toto perficitur, sola voluntatis seu consensus partium inter se ad extra manifestatione.

Talis positio actus constitutivi dici potest matrimonii « *celebratio mere naturalis* ». Haec celebratio, quia nulla legitima auctoritas vetitum interponit, coram Deo et coram hominibus habet plenam efficaciam; matrimonia enim non *constituuntur* ulla auctoritate humana, neque ecclesiastica neque statali. Quod vero etiam in hac mere naturali celebratione « manifestatio externa » voluntatis internae ad alteram partem essentialiter requiratur, habetur ex eo, quod homines actibus mere internis inter se communicare non possunt. Sed mutua haec internae voluntatis externa intimatio alteri parti fieri potest vel verbis vel aliis signis vel caeremoniis, vel etiam « *factis concludentibus* » (idest factis, quae non acciderent, si non adesset correspondens interna voluntas, quae his factis exprimitur).

Principia de celebratione mere naturali applicari debent (in foro conscientiae et coram Deo) ad omnia matrimonia baptizatorum (vel saltem unius partis baptizatae), qui legi catholicae de « forma » — (sive ordinaria sive extraordinaria) — non subiciuntur, quamvis forte lege civili ad

formam civilem cogantur et in foro civili secundum legem civilem diiudicentur.

Principia celebrationis mere naturalis applicari e. gr. debent ad matrimonia post revolutionem primis decenniis in Russia inita, ad matrimonia post occupationem bolschevicam Sinae in territoriis occupatis inita; in genere: ad omnia matrimonia, quorum saltem pars est catholica, neque tamen secundum voluntatem Ecclesiae legi de forma canonica subsunt, quamvis haec matrimonia a potestate civili subiiciantur formae civili. Ideo multum expedit, ut fideles attenti reddantur de pondere ac momento, quod huic suo « actui informi » celebrationis mere naturalis insit; ne leviter eum ponant; nectunt enim hoc actu inter se vinculum exclusivum, perpetuum et (si sunt baptizati) sacramentale. Attenti etiam reddantur fideles de momento *temporis* quo actum celebrationis exercent et vinculum inter se nectunt.

Celebratio religiosa seu ecclesiastica significat positionem actus matrimonium constituentis (seu « consensus matrimonialis ») peracti in forma ab Ecclesia statuta. Haec forma praeter substantiam (idest ipsum consensum in stabilita forma datum) continet adiuncta sacra superaddita, scl. sacras caeremonias variarum benedictionum, circumstantiam loci sacri, etc. Quia matrimonium est res sacra, immo in baptizatis habet indolem « Sacramenti », per Christum cura matrimonii concredita est Ecclesiae, etiam quod formam spectat. Competentia haec Ecclesiae effertur in can. 1016 *C.I.C.*: « Baptizatorum matrimonium regitur iure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus ».

Hanc competentiam Ecclesiae multum urget Leo XIII in Encyclica *Arcanum*:

« Cum matrimonium sit sua vi, sua natura, sua sponte, sacrum, consentaneum est, ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium. Deinde consideranda sacramenti dignitas est ... De sacramentis autem statuere et praecipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit plane potestatis eius vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatum » (*A.S.S.,* XII, p. 392; idem p. 400).

Completur hic de Ecclesiae exclusiva competentia textus altero eiusdem Encyclicae loco:

« Nemo autem dubitat, quin Ecclesiae conditor Iesus Christus potestatem sacram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas utramque

res agendas liberam atque expeditam; hoc tamen adiuncto, quod utrique expedit, et quod interest omnium hominum, ut coniunctio inter eas et concordia intercederet, in iisque rebus quae sint, diversa licet ratione, communis iuris et iudicii, altera, cui sunt humana tradita, opportune et congruenter ab altera penderet, cui sunt caelestia concredita. Huiusmodi autem compositione, ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus atque efficacissimus modus iuvandi hominum genus in eo quod pertinet ad actionem vitae et ad spem salutis sempiternae. Etenim sicut hominum intelligentia quemadmodum in superioribus Encyclicis Litteris ostendimus, si cum fide christiana conveniat, multum nobilitatur multoque evadit ad vitandos ac repellendos errores munitior, vicissimque fides non parum praesidii ab intelligentia mutuatur; sic pariter, si cum sacra Ecclesiae potestate civilis auctoritas amice congruat, magna utrique necesse est fiat utilitatis accessio. Alterius enim amplificatur dignitas, et, religione praeeunte, numquam erit non iustum imperium: alteri vero adiumenta tutelae et defensionis in publicum fidelium bonum suppeditantur » (*A.S.S.,* XII, p. 400).

Vi huius suae exclusivae competentiae, antequam ad ipsam celebrationem perveniatur, plura ab Auctoritate Ecclesiastica fiunt, ut nupturientes ad id quod facturi sunt accedant debite praeparati, et ut simul boni communis atque securitatis publicae sufficiens ratio habeatur. In *ipsa celebratione* canonica substantia formae ordinariae (cf. can. 1094-96 *C.I.C.*) est in sic dicta *assistentia activa* parochi loci aut Ordinarii loci (vel sacerdotis ab iis legitime delegati); quae assistentia in eo consistit, quod ab his consensus matrimonialis nupturientium exquiratur et recipiatur. Substantia formae extraordinariae, quae in determinatis solummodo adiunctis adhiberi potest, dicit: consensum matrimonialem per nupturientes manifestatum coram solis duobus testibus (cf. can. 1098). Particularia de utraque forma vidantur in cann. 1094-1103; *adiuncta* ad substantiam formae determinantur in normis cann. 1108-1109 « de tempore et loco celebrationis ».

De forma ecclesiastica celebrationis matrimonii haec tenenda sunt:

1. *Fideles* formam ab Ecclesia statutam; sciant, magni aestiment, concipiant firmam voluntatem eam observandi eamque observent. Forma statuta est: in bonum fidelium, in bonum Ecclesiae, in assecurationem dignitatis foederis nuptialis et finium matrimonii. Forma est elementum pro variis temporibus et territoriis variabile et variatum, sed mens et finis Ecclesiae in stabilienda forma non variatur. Fideles adulti, de his suo tempore edoceantur.

2. Quod pro omnibus fidelibus valet, multo magis urgeri debet

quoad *sacerdotes*: formam bene sciant, magni aestiment, et in praestanda assistentia accurate observent, quod ipsis observandum est, et invigilent, ut ab omnibus, qui aliquo modo partem habent in celebratione, maxime vero a nupturientibus, praestetur, quod eis praestandum incumbit.

3. *Nupturientes,* peragentes celebrationem ecclesiasticam et ita intrantes in « statum vitae » quem sibi elegerunt, celebrationem peragant sub tutela, sub vigilantia, sub ductu Ecclesiae; caveant, ne forte pompa externa eorum attentio a re principali abstrahatur.

4. *Testes* in forma ecclesiastica, quamvis sint solummodo simplices testes facti, non autem testes qualificati auctorizabiles, tamen sunt « testes », ut de veritate facti, si necessitas postea fieret, testimonium reddere et iuramento firmare valeant: consensum matrimonialem in celebratione matrimonii esse mutuo datum. In re tanti momenti testes suum testandi officium parvi aestimare non debent, et curare debent, ut, vocati, veritatem sua depositione firmare queant.

Pro mentalitate hodierna et pro tendentiis ex toto profanis, multis in locis et in hominum classibus praevalentibus: sensus et affectus in rebus matrimonialibus, et in specie in celebrationis forma, eundi cum Ecclesia, sunt multum debilitati. Ordinariorum et parochorum est eniti, ut obtusus animus et voluntas catholica evigiletur et acuatur ad restaurandum religiosum spiritum catholicum quoad matrimonia eorumque celebrationem, ut sit catholicis et non-catholicis incitamentum atque exemplum imitationis.

Celebratio civica.

Leo XIII, in Encycl. *Arcanum* fuse et profunde agens de matrimonii *celebratione civica* (de « matrimonio civili »), eam reprobat, reicit, condemnat, saltem quoad baptizatos, utpote offendentem contra Dei per Christum factam normationem matrimonii, uni Ecclesiae Christi crediti, utpote contrariam bono communi Ecclesiae et Status, contrariam bono familiae necnon ipsorum coniugum (*A.S.S.*, vol. XII, pp. 391-394). Verba Pontificis sunt intellegenda de celebratione civili in sensu presso et plene, non de qualibet Auctoritatis Civilis activitate circa matrimonii celebrationem et circa eius effectus.

Celebratio civica, sensu pleno et presso, intellegitur: ipse consensus matrimonialis partium a partibus coram Magistratu civili in forma per legem civilem praescripta praestitutus. Aequiparatur huic formationi consensus, coram officiali civili, registratio in registris publicis civilibus, si tamen unice consensus, registratus in foro civili, ut existens agnoscitur atque effectibus civilibus ornatur.

Celebratio civilis intime nectitur cum « matrimonio civili », est eius ritus initialis. Matrimonium civile est aliquod *unum totum complexum.* Si sine addito, sermo fit de « matrimonio civili », hoc Totum complexum intellegitur. In hoc Toto alia sunt requisita ex parte nupturientium, alia ex parte Auctoritatis civilis.

Ex parte *nupturientium* requiruntur: *a*) naturalis *habilitas* ad consensum matrimonialem efformandum; *b*) actualis voluntas ad consensum matrimonialem; *c*) actuatio huius voluntatis per ipsum consensum matrimonialem nunc datum. Sine his elementis deest auctoritati civili « materia circa quam » suos actus exerceat. Nequit auctoritas civilis nupturientibus per suam potestatem vel unum ex his elementis constitutivis dare aut supplere; (sicut neque auctoritas ecclesiastica id valet). Potest tamen auctoritas civilis quoad vim iuridicam horum elementorum ponere condiciones et impedimenta.

Ex parte *auctoritatis civilis* haec valent:

1. Consensui nupturientium, elementa constitutiva consensus continenti, tribuit *existentiam civilem;* cognoscit et agnoscit: valorem civilem in consensu, auctoritati civili manifestato, inesse; consequenter ad hanc notitiam officialem, auctoritas civilis et tribuit huic consensui « exsistentiam matrimonii civilis » et nectit inter ipsos *vinculum civile.*

2. Attribuit matrimonio civili, cui existentiam civilem dedit, *iura et obligationes civiles,* in lege civili coniugibus in matrimonio civili iunctis destinata, eaque sub tutela et vigilantia auctoritatis civilis ponit. Haec accessoria iura et obligationes civiles saepe coincidunt magna ex parte cum iuribus et obligationibus iuris naturalis. Sed in tali casu iura et obligationes naturae nihil valoris habent ex lege civili; sed ad postulata naturalia accedunt postulata civilia, tandem utraque attributio simul sumpta (idest: naturalis et civica), exhibent totalem complexum iurium et obligationem. Ideo haec iura et obligationes sphaerae civilis non debent nec possunt dici « merae formalitates iuridicae » et « burocratismi »; saepe (in quantum et quia coincidunt cum postulatis legis naturalis) designant res maximi momenti, quae simul in memoriam revocant gravem obligationem et responsabilitatem Legislatoris civilis et omnium, qui in legislatione concurrunt (uti sunt « deputati »), providendi, ut in legibus civilibus omnia firmentur, quae bonum commune societatis civilis, bonum familiae, bonum coniugum, bonum futurae prolis exigunt. Prae oculis dein ponendum est omnibus, qui in parte administrativa seu in applicatione legum, de matrimonio civili latarum (uti sunt e. gr. iudices, periti, advocati etc.) participant: se simili obligationi et responsabilitati subesse ac legislatores.

Si leges civiles de matrimonio civili quaedam continent, quae legi

naturae sunt contraria, hae normae in conscientia et coram Deo omni vi carent.

Verbum et conceptus « matrimonii civilis » non tantum adhiberi possunt (et adhibentur) de matrimonio civili, uti *toto complexo,* sed etiam de solo uno elemento constitutivo, quod in hoc « Toto » inest, scl. de *activitate civili auctoritatis civilis.* Sic intellectum, « matrimonium civile », considerat solum id, (sed etiam omne id), quod auctoritas civilis, ex sibi exclusive propriis, ad istum « complexum » affert, (supponendo ergo omnia, quae aliunde in nupturientibus requiruntur et adsunt, sive quoad elementa constitutiva sive quoad accedentem et dependentem attributionem iurium et obligationum). Matrimonium sic intellectum dicit:

1) *exsistentiam civilem,* consensui partium ab auctoritate civili tributam, connotans cognitionem et agnitionem talis consensus;

2) *creationem vinculi civilis,* nupturientes abhinc ligans in foro civili;

3) civilem *attributionem, iurium et obligationum,* coniugibus factam, vi vinculi civilis, tamquam eius naturalem consequentiam et fructum;

4) gravem obligationem et responsabilitatem auctoritatis (et omnium cooperatorum) quoad ea, quae statuunt et faciunt circa matrimonium civile (prout supra expositum est).

Nomine matrimonii civilis non veniunt:

1) postulatum eiusque exsecutio ab auctoritate civili facta, ut certior reddatur de matrimonii a suis subditis coram Ecclesia aut aliter initis; et eorum dein in registra civilia insertio;

3) concessionem iurium etc. factam matrimoniis religiosis aut matrimoniis aliarum nationum, etsi hanc item registris civilibus insertam;

3) agnitio vel attributio iurium, quae aliae nationes matrimoniis ab eis agnitis tribuerunt, nunc in propria natione ab auctoritate civili facta et registrata.

Conclusio

Omnibus supra de celebratione civica matrimonii dictis, attente consideratis, haec stabiliri possunt:

1. « Matrimonium civile », in sensu presso et pleno, tamquam matrimonium quoad baptizatos non exsistit. Nec ab Ecclesia, in conscientia et coram Deo, admitti potest.

2. Baptizati legibus civilibus de matrimonio civili obtemperare possunt.

Monet quoad hoc Leo XIII: « Haec quidem omnia probe cognita habere maxime sponsorum refert, quibus etiam probata esse debent et notata animis, ut sibi liceat hac in re morem legibus gerere; ipsa non abnuente Ecclesia, quae vult atque optat, ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur ». (*Arcanum, A.S.S.,* vol. XII, p. 400).

3. Matrimonium civile quoad non-baptizatos legi naturae et Dei non contradicit, dummodo celebratio civilis non excedat « condicionem sine qua non », nec dicatur « elementum constitutivum » aut vero sensu « causa » consensus matrimonialis.

4. Auctoritatis ecclesiasticae est: vigilare et providere, ut fideles recte se gerant quoad leges civiles (sive coactivas, sive facultativas) de matrimonio civili presse dicto. Supremae autem Auctoritatis ecclesiasticae est, discernere, quomodo Gubernia in civitatibus catholicis se habere possint vel debeant relate ad « matrimonia civilia » sive noviter introducenda sive toleranda (aut ad maiora mala evitanda aut ad maiora et necessaria bona promovenda). Quae quaestio hodie non in una tantum natione urget.

VI. Matrimonii dissolutio

Divortium civile intellegitur: ipsius vinculi, quo coniuges in matrimonio valido iunguntur, solutio per auctoritatem civilem, facta secundum normam respectivae legis civilis. Ex tali solutione est, quod pristinum vinculum, utpote solutum, non obsit novo vinculo coram auctoritate civili contrahendo. Supponit divortium civile vinculum validum exsistens; et sic essentialiter differt ab alicuius matrimonii per auctoritatem civilem facta *declaratione nullitatis,* ortae ex influxu alicuius causae impedientis originem vinculi validi. In utroque casu novum vinculum, contrahendum in foro civili, pristino matrimonio non impeditur, sed modo essentialiter diverso: in casu (scl. solutionis vinculi) per pristini vinculi ab auctoritate civili factam disrumptionem; in secundo casu ob pristini vinculi numquam exsistentiam.

Recurrunt hoc loco, quae supra in n. III de indissolubilitate matrimonii, tamquam matrimonii « proprietate essentiali » dicta sunt, memorata indissolubilitate intrinseca (quae negat solubilitatem per voluntatem partium, quae vinculum nexuerunt), et indissolubilitate *extrinseca* (quae excludit solubilitatem per aliquam humanam auctoritatem

publicam), et indissolubilitate *absoluta* (quae excludit utramque, scl. intrinsecam et extrinsecam).

Agentes nunc de « solutione vinculi », primo repeti debet: exclusam esse hodie omnem solutionem intrinsecam, idest per partium voluntatem. Christus enim Dominus pro Supremi sua Legislatoris potestate eam pro toto genere humano abstulit, repristinans primam Creatoris voluntatem, exhibitam verbis: Quod Deus coniunxit, homo non separet (*Mt.* XIX, 6), statimque hanc normam divinam urgens, prohibuit, quominus vir, dimissa sua uxore, ducat. De tali viro dicit Dominus: « moechatur », idemque effert de alio, qui dimissam duxerit: « moechatur » (*Mt.* XIX, 9). Apostolus in prima epistula ad Corinthios eandem Domini legem urget, dicendo, quod mulier ligetur, quanto tempore vir eius vivit; quod vero, si dormierit vir eius, libera sit; et cui voluerit nubere queat (cf. *1 Cor.* VII, 39). Neque ulla hodie auctoritas humana partibus potestatem conferre potest, solvendi per propriam voluntatem vinculum quo ligantur. Quod aliqui ab auctoritate publica his temporibus exegisse videntur.

Divortium civile non versatur circa hanc vinculi intrinsecam solubilitatem et solutionem, sed circa eius extrinsecam solubilitatem et solutionem, per intervenientem « Status civilis » auctoritatem. Obstant huic arrogatae potestati modo allata absoluta verba Domini et verba Apostoli gentium; obstat dein Concilium Tridentinum in Sessione XXIV statuens: « S. q. d. propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum: A. S. » (can. 5 *Denz.* 975). Et iterum « S. q. d. Ecclesiam errare, cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterii non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et, eam, quae, dimisso altero, alii nupserit: A. S., (1. c. can. 7, *Denz.* 977). Quem canonem Conc. Tridentini Pius XI, auctoritative interpretans, in Encycl. *Casti connubii* scribet: « Quod si non erravit neque errat Ecclesia, cum haec docuit et docet, ideoque certum omnino est matrimonii vinculum ne ob adulterium quidem dissolvi posse: in comperto est reliquas tanto debiliores, quae afferri solent, divortiorum causas multo minus valere nihilque prorsus esse faciendas » (*A.A.S.,* 1930, p. 574). Quod Christus negavit, auctoritas civilis sibi vindicare non valet, et si vindicare attentat, frustra attentat.

Uterque Pontifex, Leo XIII et Pius XI, explicite et fuse egerunt de divortiis civilibus eaque reprobarunt. Leo XIII in *Arcanum* 10 febr.

1880 (*A.S.S.,* vol. XII, pp. 397-399), Pius XI in *Casti connubii,* 31 dec. 1930, (*A.A.S.,* 1930, pp. 572-576). Uterque Pontifex sine ulla limitatione divortia civilia (proprie et presse dicta) reprobat.

De malis ex divortiis timendis effert Leo XIII: « Quanti materiam mali in se divortia contineant, vix attinet dicere. Eorum enim causa fiunt maritalia foedera mutabilia, extenuatur mutua benevolentia; infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur; tuitioni atque institutioni liberorum nocetur; dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio; discordiarum inter familias semina sparguntur: minuitur et deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt, ne, cum libidini virorum inservierint pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias, frangendasque regnorum opes nil tam valet, quam corruptela morum, facile perspicitur, prosperitati familiarum ac civitatum maxime inimica esse divortia, quae a depravatis populorum moribus nascuntur, ac, teste rerum usu, ad vitiosiores vitae privatae et publicae consuetudines aditum ianuamque patefaciunt » (*A.S.S.,* vol. XII, p. 396).

Pius XI hanc Leonis XIII quaerelam de malis, e fonte divortium difluentibus, reassumit eamque confert cum bonis, quae idem Leo XIII in eadem Encyclica ex reiectis divortiis orta et oritura ostendit. Quae Pii XI bonorum et malorum collatio sic sonat:

« Atque, ut iterum sententiam decessoris Nostri afferamus, quantam materiam bonorum in se coniugii indissolubilis firmitas contineat, tantam malorum segetem divortia complecti, vix attinet dicere. Hinc videlicet incolumi vinculo, tuta ac secura matrimonia conspicimus, illinc, coniugum secessionibus propositis vel ipsis divortiorum periculis obiectis, ipsa foedera nuptialia mutabilia aut certe anxiis obnoxia fieri suspicionibus. Hinc mutua benevolentia consociatioque bonorum confirmata mirifice;illinc, ex ipsa secessionis facta potestate, extenuata miserrime. Hinc coniugum castae fidei addita peropportuna praesidia; illinc infidelitati perniciosa incitamenta suppeditata. Hinc liberorum susceptio, tuitio, educatio provecta efficaciter; illinc gravioribus usque detrimentis affecta. Hinc inter familias cognatosque discordiis multiplex praeclusus aditus; illinc discordiarum occasio oblata frequentius. Hinc facilius oppressa, illinc iacta copiosius multoque latius semina simultatum. Hinc potissimum dignitas officiumque mulierum, in societate sive domestica sive civili, redintegrata feliciter ac restituta; illinc indigne depressa, siquidem in periculum coniciuntur uxores « ne cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur » (*A.A.S.,* 1930, p. 575).

Ex hucusque dictis apparet:

A - 1) arrogatam sibi ab auctoritate civili potestatem solvendi vinculum matrimoniale non exsistere;

2) divortiis civilibus nullum validum vinculum matrimoniale solvi nec solutum esse.

Utrum elementum ab Ecclesia reicitur.

B - Complexus iurium et obligationum, quae in celebratione « matrimonii civilis » vinculo per eam nexo adiunctae fuerunt per auctoritatem civilem: simul cum solutione « vinculi » ab auctoritate civili ad normam legis civilis facta solvuntur. Generatim autem non omnia tolluntur, propter bonum tum coniugum, tum prolis, tum boni communis (ita e. gr. manent quae spectant sustentationem, alimentationem, educationem, et similia). Inter haec adiuncta iura et obligationes esse solent postulata iuris naturae; quae non obstante divortio, integra manent (quamvsi fortasse respectiva lex civilis ea vel aliqua ex iis non amplius agnoscat).

C - Etsi in societate *civili* nulla sit solvendi vinculi potestas, in *Ecclesia* Christi est talis potestas. Romano Pontifici vi institutionis Christi competit ampla facultas per potestatem ministerialem solvendi in iure divino, ob causas proportionate graves vinculum matrimoniale, nisi fuerit vinculum matrimonii rati et (ut tale) consummati (hoc enim nulla humana potestate, nullaque ex causa, praeterquam morte, solvitur, cf. can. 1118). Habetur insuper facultas solvendi « vinculum » per usum Privilegii Paulini (cf. 1 *Cor.* VII, 15). Solutio vinculi, per auctoritatem Ecclesiae vel per Privilegium Paulinum facta, aufert a divortio civili (si tale ab Ecclesia solutum matrimonium, ad tribunal civile fertur), aufert a sententia civili notam arrogatae vinculi solvendi potestatis. At esse potest, quod nihilominus ab Ecclesia fidelibus non concedatur facultas accedere ad tribunal civile, ut ab eo feratur sententia « divortii civilis », nisi prius petito et obtento consensu Ordinarii loci.

D - Supposito « matrimonio civili » (intellecto in sensu solius activitatis per « Statum civilem » exercitae; cf. supra n. V); simul attentis clausulis et postulatis l. c. quoad « celebrationem » civilem memoratis, correspondenter « solutio » vinculi civilis diiudicari potest; valentibus tamen iisdem clausulis et postulatis, et manente plena obligatione et responsabilitate auctoritatis civilis omniumque eius cooperatorum: respectu iuris naturalis et divini, respectu boni communis, respectu boni privati coniugum et boni liberorum.

E - Solutio matrimonii improprie dicta et partialis, ad modum solius separationis a communi toro, mensa, habitatione sive temporariae sive definitivae, integro manente ipso vinculo, ab Ecclesia fidelibus, exstantibus obiectivis ac pergravibus causis, attentis simul condicionibus et clausulis propter bonum coniugum, liberorum, boni communis tum Ecclesiae tum Status: conceditur ad normam can. 1128-1132 *C.I.C.*, et sub vigilantia

et auctoritate Ordinarii loci. Si alicubi in aliqua natione vel territorio simile institutum solutionis imperfectae et solius separationis a communi toro, mensa, habitatione habetur, fideles hoc instituto uti possunt, sub iisdem tamen regulis et clausulis, memoratis pro eadem imperfecta solutione, quam concedit Ecclesia.

Conclusio

1. Grassante et in dies crescente « divortio civili », primo loco curandum est, ut in fidelibus, quoad divortium, quoad divortium civile, presse et plene intellectum, sit iudicium et voluntas doctrinae catholicae conforme, prout haec doctrina in S. Litteris, in Concilio Tridentino, in documentis Summorum Pontificum exhibetur.

2. Caveatur, in quantum fieri potest, ne in regionibus et populis catholicis divortium civile sive via legis sive via meri facti introducatur vel toleretur, excepto casu, in quo urgeat necessitas sive ad maiora damna vitanda, sive ad necessaria maiora bona procuranda. Est officium et ius imprimis competentis auctoritatis ecclesiasticae; sed etiam fidelium, in quantum fideles influere possunt et influunt e. gr. per Deputatos, per suffragia in electionibus Deputatorum ferenda.

3. Si quando necessitas urget utendi divortii civilis ad obtinendos eius effectus civiles: *a*) respectu solutionis complexus iurium et obligationum, vinculo civili in celebratione matrimonii civilis per officialem statalem adiuncti; *b*) respectu obtinendi libertatem vel novi « vinculi matrimonialis » contrahendi in foro civili, per civilem antecedentis vinculi — (ab Ecclesia iam soluti) — solutionem: curandum est, ut fideles, quod acturi sunt, agant cum recta et certa conscientia, sub Ecclesiae per Ordinarium loci ductu.

4. Specialis cura habenda est personarum quae in auctoritate civili quocumque modo positae sunt (sive in legislatione, sive in administratione et legum applicatione), ut habeant claram notitiam et perspicientiam sui muneris et officii (sub visu civili non minus quam sub visu religioso et morali), ne ipsi in suo iudicio et agendi modo vacillent, et sua incertitudine et vacillatione aliis sint causa vacillandi et errandi. In normis quoad *has* personas stabiliendis et imponendis, ratio habeatur etiam rei et termini « divortii civilis », intellecti de sola *activitate auctoritatis civilis,* de qua sermo fuit, in n. V.

5. De concedenda et petenda a Magistratu civili matrimonii solummodo solutione improprie dicta (per modum separationis a communi toro, mensa, habitatione), quae etiam in foro civili sunt scitu necessaria, modo sub *E*) exposita sunt; continentur enim pro fidelibus quoad sub-

stantiam civilis quoque modi agendi normae in can. 1128-1132 exhibitae.

6. De divortiis non habetur alia ultima norma, quam de omnibus problematis matrimonialibus, hucusque nominatis, assignata.

Duas grandes Litteras Encycl. de matrimonio christiano, Leonis XIII et Pii XI una pervadit idea et monitio: de re matrimoniali interrogetur *Deus et Christus.* Matrimonium est enim originis divinae, eius finis et finium ordo sunt originis divinae, eius intrinseca natura et per proprietates essentiales qualificatio, praesertim per eius naturam Sacramenti Novae Legis: sunt originis divinae, ex Deo et ex Christo; normae de usu matrimonii, quia derivatae ex usus alligatione ad finem divinitus stabilitum, sunt originis divinae; reiectio divortiorum est ex divinitus stabilita indissolubilitate vinculi quae est originis divinae; celebrationis formae, etsi sunt immediate originis humanae, tamen respectu ultimae normae, cui omnis forma alligatur et subordinatur: inservire scl. finalitati matrimonii, sub hoc respectu est forma celebrationis ex norma originis divinae.

Valet ergo et proclametur per Concilium futurum illa monitio duorum Pontificum: in re matrimoniali ultima solutio problematum, pristinorum et recentium, est *Deus et Christus.*

PONTIFICIUM INSTITUTUM BIBLICUM

PONTIFICIO ISTITUTO BIBLICO

Romae, die 24 aprilis 1960

Eminentissime Princeps,

Invitationi Eminentiae Tuae Rev.mae, litteris die 8 iulii 1959 (prot. N. 2 C/59-11) factae, libenter obsecundans, collatis consiliis atque consociatis studiis cum Facultatum huius *Pontificii Instituti Biblici* magistris, ea quae futuri Concilii Patribus ad Ecclesiae utilitatem et animarum bonum opportunius suo tempore proponenda visa sunt, in foliis adnexis exposita et rationibus fulcita, ad Istam Pontificiam Commissionem Antepraeparatoriam pro Concilio Oecumenico mittere mihi honorificum est.

Vota autem sunt haec:

Votum praeliminare:

De studio et usu Sacrae Scripturae commendandis.

I Pars: *Vota Doctrinalia*:

§ I : De Sacra Scriptura et Traditione.
§ II : De momento fidei in opere salutis.
§ III: De efficacitate verbi Dei.
§ IV: De historicitate evangeliorum.
§ V : De antisemitismo vitando.

II Pars: *Vota Disciplinaria*:

§ I : De litteris Encyclicis *Divino afflante Spiritu.*
§ II : De decretis Pontificiae Commissionis Biblicae.
§ III: De consultanda Pontificia Commissione Biblica.
§ IV: De consulendo famae scriptorum catholicorum.

Omnia haec vota studiaque adprobaverunt:

Vogt Ernestus, *Rector Magnificus*; Vaccari Albertus *Vice-Rector;* Lyonnet Stanislaus, *Decan. Fac. Bibl.*; Pohl Alfredus, *Decan. Fac. Orient.;* Alonso Schökel Aloisius M.; Boccaccio Petrus; Dahood Mitchell; De la Potterie Ignatius; Köbert Raymundus; Martin Malachias; McCool Fran-

ciscus I; Moran Gulielmus; Novotny Georgius; Patti Ioachimus; Pavlovsky Gulielmus; des Places Eduardus; Simon Ioannes; Smith Iosephus; Zerwick Maximilianus.

Eminentiae Tuae Rev.mae futuroque Concilio ex animo fausta omnia adprecans, reverenti cum obsequio me profiteor

Eminentiae Tuae Rev.mae
in D.no add.mum

ERNESTUS VOGT S. I.
Rector
Pontificii Instituti Biblici

VOTA

Votum praeliminare

Cum Summus Pontifex Iohannes XXIII, annuncians Concilium Oecumenicum, etiam unitatem omnium christianorum promovere voluerit; cum autem studium et lectio Librorum Sacrorum ad concordiam et unitatem inter christianos valde conferat, eo quod Sacra Scriptura ab omnibus christianis communiter agnoscitur ut verbum Dei:

in votis est, ut Concilium studium et usum Sacrae Scripturae denuo enixe commendet.

Quo vero supradictum studium et usus promoveatur, Concilio vota sequentia proponuntur.

Pars I

Vota Doctrinalia

§ 1. *De Sacra Scriptura et Traditione.*

In votis est: ut concilium magis explicite proponat doctrinam catholicam de relationibus mutuis quae vigent inter Scripturam Sacram et Traditionem.

Explicatur votum.

Sicut tempore Concilii Tridentini, propter negationes haereticorum, necesse fuit Ecclesiam definire veritatem Evangelii contineri « in libris scriptis et sine scripto traditionibus » (Sess. IV, *Denz.* 783), ita nostris diebus optatur ut Ecclesia declaret Scripturam et Traditionem non constituere duos fontes revelationis prorsus independentes et parallelos. Etenim: *a*) libri sacri N. T. et traditio ecclesiastica orta sunt ex eadem traditione apostolica seu *communem habent* « fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae » (*ib.*), scilicet illud Evangelium quod promulgatum est a Christo et ab Apostolis praedicatum; hoc autem Evangelium Christi atque hanc traditionem apostolicam magis directe et immediate attingimus in Scripturis quam in monumentis traditionis ecclesiasticae posterioris; *b*) Scriptura sola conscripta est inspirante *Spiritu Santo*; Ecclesia autem gaudet non inspiratione proprie dicta, sed assistentia Spiritus Sancti ad revelationem evolvendam.

Unde Scriptura et Traditio mutue inter se connectuntur, immo alio atque alio respectu inter se prioritatem habent:

— ex una parte, cum Scriptura sola, non autem traditio ecclesiastica, dicenda sit verbum Dei sensu stricto, debet haec traditio se Sacrae Scripturae submittere eamque constanter tenere ut normam sui; scilicet, necessarium est ut traditio in evolutione sua se referat ad Scripturam, ut in proprio suo progressu ab ipsa custodiatur, vivificetur, immo etiam, si casus fert, ab ipsa renovetur;

— ex altera parte, cum Ecclesia sit « columna et firmamentum veritatis » (*1 Tim.*, 3, 15) propter assistentiam Spiritus Sancti, Scriptura semper est intelligenda « in Ecclesia », id est in continuitate viva cum traditione authentica Ecclesiae et secundum normas magisterii ecclesiastici.

§ II. *De momento fidei in opere salutis.*

In votis est: ut in Concilio explicite declaretur quanti momenti sit fides in opere salutis.

Rationes petitionis:

1. Sacra Scriptura, imprimis apostolus Paulus, in hoc insistit, quod iustificatio ex parte hominis peragitur per fidem (*Rom.* 3, 28; *Gal.* 2, 16; *Phil.* 3, 9; *Eph.* 2, 8-9). Haec autem doctrina quandoque paululum negligitur, probabiliter quia Protestantes ea abusi sunt.

2. Iam in Concilio Tridentino, propter eamdem rationem, ipsi Patres de causis iustificationis tractantes (Sess. VI, cap. 7°), mentionem fidei consulto non fecerunt, compluribus id deplorantibus, imprimis futuro Cardinali Seripando. Indirecte tantum et per transennam de ea locuti sunt, declarantes causam instrumentalem iustificationis esse « sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei » (*Denz.*, n. 799).

3. Opportunum ergo esse videtur doctrinam catholicam de hac re iterum clare efferre, nempe explicite declarare id quod — iuxta Cardinalem Cervini, sessionis praesidem — decretum de causis iustificationis implicite continet ubi dicit « quod iustificatio non est sola remissio peccati, sed infusio donorum inter quae est fides; item in causa formali, cum dicitur quod est iustitia, in qua comprehenditur etiam fides » (*Acta,* V, p. 742).

§ III. *De efficacitate verbi Dei.*

In votis est: ut a Concilio resumatur doctrina traditionis de efficacitate quam ad sanctificationem christianorum possidet verbum Dei in sacris libris contentum.

Explicatio voti:

In Sacra Scriptura haec doctrina saepius invenitur, praesertim apud auctores Novi Testamenti: « Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti » (*Hebr.* 4, 12); verbum Dei « operatur in vobis qui credidistis » (*1 Thess.* 2, 13); « insitum verbum, quod potest salvare animas vestras » (*Iac.* 1, 21). Sane, in omnibus his textibus non agitur directe de verbo Dei scripto; at ipse S. Paulus nos admonet eumdem valorem esse tribuendum verbo quod praedicabat et epistolis suis (*2 Thess.* 2, 15; 3, 14). Ceteroquin, de ipso textu S. Scripturae addit Apostolus: « Omnis Scriptura, divinitus inspirata, utilis est ad docendum ... ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus » (*2 Tim.* 3, 16-17).

In traditione Ecclesiae eadem doctrina frequens erat usque ad Concilium Tridentinum. Propter singularem suam efficacitatem in ordine salutis verbum Dei saepe comparabatur Sanctissimae Eucharistiae, v. g. in libro Imitationis Christi: « Sine his duobus vivere non possem: nam verbum Dei, lux animae est; et Sacramentum tuum panis vitae. Haec possunt etiam dici mensae duae, hinc et hinc in gazophylacio sanctae Ecclesiae positae. Una mensa est sacri altaris, habens panem sanctum...; altera est divinae legis, continens doctrinam sanctam... » (IV, 11, 4). Sacra Liturgia similiter inculcat sacerdoti, missam celebranti, lectionem evangelii propriam virtutem habere: « per evangelica dicta deleantur nostra delicta ». Denique, recentes SS. Pontifices eamdem doctrinam resumpserunt in suis litteris Encyclicis de S. Scriptura, v. g. Leo XIII, qui loquitur de « illa qua divinus sermo pollet virtute » (*Ench. bibl.,* 87); vel Benedictus XV, qui dicit sermonem sacerdotis nihil habere « ad effingendos animos efficacitatis nisi a Sacra Scriptura informetur ab eaque vim suam ac robur mutuetur » (*ib.* 484, *comp.* 488).

Ultimis saeculis, propter controversiam contra Protestantes, haec doctrina apud catholicos quasi oblivioni mandata est et in scholis theologicis plerumque neglecta. Recentissimis tantum temporibus theologi catholici rursus saepe de hoc agunt, desiderium exprimentes ut evolvatur magis id quod ab ipsis vocatur « theologia verbi ».

Proinde optatur ut a Concilio resumatur haec doctrina traditionis, scilicet virtutem salutarem et efficacitatem sanctificantem possidere tum sacramenta tum etiam, suo modo, verbum Dei quod fide suscipitur. Ratio huius specialis efficacitatis Sacrae Scripturae est quod non tantum revelatio in ipsa continetur, sed quod exprimitur verbis ab ipso Deo inspiratis, quod dici nequit de verbis quae usurpantur in traditione ecclesiastica. Illam virtutem peculiarem habet Sacra Scriptura non so-

lummodo quando praedicatur et explicatur fidelibus in concionibus, sed etiam quandocumque adhibetur legitime in Ecclesia, in usu sive publico sive privato (v. g. in pia lectione vel meditatione Librorum Sacrorum).

§ IV. *De historicitate evangeliorum.*

In votis est: ut Concilium

1. Revocet in memoriam illas veritates fidei catholicae quae regere debent interpretationem evangeliorum defensionemque eorum fidei historicae, nempe:

a) *fides christiana, ut elucet ex ipsis symbolis fidei, fundatur in factis divinis in historia patratis, imprimis in mysteriis incarnationis, vitae, mortis et resurrectionis Iesu.*

Proinde illa exegesis quae negaret vel in dubium vocaret historicitatem horum factorum non potest accipi a viro catholico.

b) *Revelatio non fuit completa ante finem aetatis apostolicae* [DB 783, 2021].

Unde temerarium esset affirmare excludenda esse Evangelia ab activitate Spiritus Sancti, qua explicavit revelationem christianam clarius atque magis explicite quam Iesus fecerat, atque eam ad necessitates Ecclesiae applicavit.

c) *Quattuor nostra Evangelia, utpote inspirata, inerrantia gaudent, quae inerrantia cum supra dicta historicitate concilianda est.*

Quapropter quaelibet conceptio historicitatis, quae sive per excessum sive per defectum, illam conciliationem impossibilem reddit, necessario falsa est.

2. Declaret, his principiis commendatis, relinqui interpretibus catholicis, duce magisterio, determinare ulterius quale genus historiae de facto attribuendum sit sive integris Evangeliis, sive singulis pericopis.

Explicatio voti.

1. « ut Concilium revocet... ».

Nostra aetate profundius innotuerunt et modus quo Evangelia orta sunt, et rationes dicendi quae illo tempore usu erant receptae, et quid auctores antiqui iis significare voluerint. Hinc accuratiora evaserunt et argumentatio, qua fides historica Evangeliorum stabilitur, et interpretatio modi narrandi Evangeliorum. Praeterea methodus quaedam elaborata est quae spem fundatam praebet quaestiones difficiles et complexas, quae cum re cohaereant, nunc facilius atque solidius quam in praeterito dirimi posse.

Attamen, uti expectandum erat in re tam fundamentali pro fide no-

stra, omnis mutatio in solutionibus consuetis, quamvis iustificata, mentes multorum perturbat, praesertim eorum qui huic studio vacare nequeunt. Perutile igitur erit, si Concilium in hac re exegetis catholicis et per eos omnibus christifidelibus aliquam directionem dare voluerit. At, propter naturam rei condicionemque fluentem studiorum actualium, utilior erit haec directio atque praxi anteriorum conciliorum magis consentanea, si non descendat ad particularia neque amplectatur theses sive consuetas sive recentiores de quibus nunc disputatur, sed recolat principia immutabilia in doctrina Ecclesia fundata, quae omnis interpres catholicus in tractandis Evangeliis ob oculos habere debet. Haec principia nominantur sub litteris *a, b, c.*

a) « Fides christiana... fundatur in factis... in historia patratis ».

Profecto nullus est interpres catholicus qui hoc principium in dubium vocare audeat. Nihilominus utile erit id recolere tum quia hisce diebus, saltem ex parte, a nonnullis interpretibus acatholicis magni nominis impugnatur, tum praesertim quia ita fundamentalis illa indoles historica reaffirmatur quam Ecclesia catholica semper attribuit religioni christianae eiusque libris fundamentalibus qui sunt Evangelia nostra.

Ex altera parte autem, ex eo quod Evangelia vero sensu ad genus historiae pertinent, non sequitur omnem sententiam Domini, neque omnem pericopam narrativam reproduci vel narrari secundum illas historicae compositionis rationes quibus nostrae aetatis periti utuntur. Nam hodie communiter admittitur verum genus historiae in se multiplex esse.

Nihilominus interpres catholicus in determinandis generibus historiae quae in Evangeliis admitti possunt, semper ob oculos habere debet tamquam normam, historicitatem illam fundamentalem de qua supra et propter quam Evangelia semper in Ecclesia pro scriptis historicis iure habita sunt.

b) « Revelatio non fuit completa ante finem aetatis apostolicae ».

Admittitur communiter a theologis revelationem publicam christianam non fuisse clausam ante mortem ultimi Apostoli. Unde sequitur aevum apostolicum differre a periodis posterioribus, eo quod Apostoli et eorum coaetanei, quibus dona specialia Spiritus Sancti collata erant, contribuerunt vel contribuere potuerunt ad ulteriorem constitutionem et perfectionem illius revelationis.

Profecto ipse Christus erat definitiva revelatio Dei data hominibus [*Io.* 1, 14. 18; 3, 11-13]. Quamvis autem haec revelatio maxima ex parte iam in factis et dictis Domini constituta sit, scimus ex testimonio ipsorum evangeliorum [*Io.* 2, 22; 16, 12] non omnes virtualitates illius revelationis communicari vel intelligi potuisse, ipso Domino in terris vivente. Porro patet Ecclesiam tenere eos, qui aevo apostolico sub ductu

Spiritus revelationem Domini plenius comprehenderint et clarius expresserint, partes veras habuisse, vel habere potuisse, in illa revelatione definitiva constituenda.

Saepe quidem theologi pleniorem illam mysterii Christi comprehensionem non vident expressam nisi in traditione orali et in ceteris — praeter Evangelia — scriptis Novi Testamenti. Attamen unica ratio cur haec plenior comprehensio non agnoscatur etiam in ipsis Evangeliis est conceptus nimis arctus generis historiae. Etenim non est veritas fidei neque principium theologicum quod prohibeat quominus admittatur Spiritum Sanctum movisse Evangelistas ut cum sententiis Domini, quas transmisissent, et cum narrationibus suis coniungerent interpretationem profundiorem atque magis explicitam easque ita illuminatas applicarent ad vitam necessitatesque Ecclesiae. Interpretis autem catholici est inquirere utrum et in quali mensura ita egerit Spiritus Sanctus.

c) « Evangelia... inerrantia gaudent... quae... cum historicitate conciliandа est ».

In evangeliis explicandis duo principia applicanda et inter se concilianda sunt, historicitas et inerrantia. Quisquis in nomine fidelitatis historicae prorsus restringit libertatem evangelistarum, nullam viam apertam relinquit ad diversitates narrationum (interdum vix non contradictorias) re et non verbo solum explicandas. Ideo rigidam statuens historicitatem non salvaret inerrantiam vel saltem eam in periculum adduceret.

Quisquis autem ad diversitates narrationum ab errore liberandas facile confugit ad genera parum historica, non salvaret historicitatem supradictam Evangeliorum vel saltem eam in periculum adduceret.

Illa conciliatio positive perfici potest, habita ratione intentionis hagiographi. Nam nemo potest argui de errore nisi in iis, quae revera affirmat. Quid autem revera affirmet, determinari non potest nisi ratione habita *intentionis* eius. Quid autem pro casu intendat affirmare auctor, stabiliri nequit nisi accurate inspectis generibus et modis narrandi quae in Evangeliis reapse inveniuntur. Ita et inerrantia et historicitas criteriis obiectivis conciliatae salvantur.

2. « Declaret... relinqui interpretibus... ».

Interpretibus catholicis committitur, duce magisterio, studium determinandi genera historica concreta quae ab evangelistis sub ductu Spiritus actu adhibita sunt. Ut autem exegetae catholici hunc improbum laborem maiore diligentia et serenitate aggrediantur et hinc solutiones speratas citius inveniant, utilissime reaffirmabit Concilium, cum speciali applicatione ad hoc problema, illam fiduciam erga scientiam catholicam quam professus est Pius XII:

« Multa igitur remanent, eaque gravissima, in quibus edisserendis

et explicandis catholicorum interpretum acumen et ingenium libere exerceri potest et debet, utque ad omnium utilitatem, ad maiorem in dies doctrinae sacrae profectum, et ad Ecclesiae defensionem et honorem ex suo quisque viritim conferat. Haec vera filiorum Dei libertas, quae et Ecclesiae doctrinam fideliter teneat, et quaecumque profana attulerit cognitio, tamquam Dei donum grato accipiat animo et adhibeat, studio utique omnium elata et sustentata, omnis sinceri fructus omnisque in scientia catholica profectus condicio est et fons ». [EB. 565]

§ V. *De antisemitismo vitando.*

In votis est: ut in Concilio inter quaestiones ad Oecumenismum spectantes tractetur quoque problema populi Israël. Utique Christiani dicendi genuini descendentes Israëlis spiritualis, authentici haeredes fidei Abrahae « patriarchae nostri » (*Canon Missae*) et benedictionis Iacob, ab Apostolo nuncupati « Israël Dei » (*Gal.* 6, 17) ideoque professio christiana vere appellanda est, ut in liturgia Sabbati Sancti, « Israëlitica dignitas ». Attamen non tantum populus Iudaicus qua talis dici nequit « reiectus », quia pars eius iam illo tempore se convertit (*Rom.* 11, 1-2), sed scimus ipsam partem infidelem non remansuram esse infidelem: Apostolus enim pluries, in assertis indubiis, affirmat illam partem sese ad Christum tandem conversuram (*Rom.* 11, 15. 25). Huiusmodi doctrina, quae ad fidei depositum certo pertinet, numquam vero a Magisterio Ecclesiae declarata est, nunc videtur haud paucis praeiudiciis, quibus fovetur antisemitismus, efficaciter obstare posse.

Admoneanturque christifideles omnes, ut, iuxta exemplum ipsius Auctoritatis Ecclesiasticae, eos loquendi modos in hac re accurate vitent, qui tamquam offensivi haberi possint.

Explicatio voti: Documenta recentiora Auctoritatis Ecclesiasticae sunt sequentia:

1. Die 19 maii 1959 S. Rituum Congregatio statuit mutationes faciendas esse in Missali romano in precibus pro *Conversione Iudaeorum,* n. 8 orationum sollemnium, feria VI in Passione et Morte Domini. Haec variatio communicata est Ordinariis locorum directe per Nuntios et Delegatos Apostolicos. Iuxta editionem Vaticanam Missalis romani variatio sic se habet: « *Oremus et pro Iudaeis... Omnipotens sempiterne Deus, qui Iudaeos etiam a tua misericordia non repellis* ».

2. Die 27 novembris 1959 S. Congregatio Rituum decrevit abolendas esse sequentes formulas in Rituali Romano: « Horresce Iudaicam perfidiam, respue Hebraicam superstitionem » (*Ephemerides Liturgicae* 74 [1960], p. 133 de utroque decreto).

3. Die 18 iulii 1959 S. Paenitentiaria Apostolica praescripsit omittendas esse in Actu consecrationis generis humani SS. Cordi Iesu duas sententias, et nominatim verba sequentia de populo Iudaico: « illius gentis filios, quae tamdiu populus electus fuit » (*A.A.S.* 51 [1959], p. 595).

Rationes petitionis.

1. Apud multos etiam catholicos effata plus minusve vaga de « maledictione » seu de « reprobatione » vel de « responsabilitate collectiva » populi Iudaici haud raro in catechesi aut in praedicatione proferuntur, quasi v. g. populus ad vitam « errantem » fuerit condemnatus usque ad finem mundi, cum minime constet « adprecationem » a quibusdam Iudaeis (scl. tunc temporis in loco adstantibus) iuxta *Mat.* 27, 25 pronuntiatam revera a Deo exauditam esse aut a fortiori etiamnunc super totum populum remanere. Saepius enim Passio Christi narratur, quasi Iudaei soli mortis Christi fuerint « responsabiles », cum Catechismus Concilii Tridentini explicite efferat veram causam mortis Christi fuisse peccata nostra: « Hac culpa omnes teneri iudicandum est, qui in peccata saepius prolabuntur... Quod quidem scelus eo gravius in nobis videri potest, quam fuerit in Iudaeis, quod illi, eodem Apostolo testante, si cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent (*1 Cor.* 2, 8). Nos autem et nosse profitemur; et tamen factis negantes, quodammodo violentas ei manus videmur inferre » (Part. I, art. 4, n. 62).

Testimonia innumera in catechismis vel libris apologeticis sermone gallico conscriptis citat A. Démann in « *Cahiers Sioniens* » 6, 1952, numéro spécial: « *La catéchèse chrétienne et le peuple de la Bible* ». De abusu v. g. textus *Mt.* 27, 25 videsis pp. 161-164.

2. In specie error de reprobatione definitiva « populi electi », qui olim quasi communis fuit apud Protestantes, praesertim Calvinistas, etiam inter catholicos irrepsit: complures, fortasse multi, etiam nunc opinantur populum Israël esse definitive reprobatum, et hoc quidem propter erroneam interpretationem quorumdam locorum N. T., quales, praeter locum *Mt.* 27, 25 iam citatum, sunt: *Mt.* 24, 2 et par.; *1 Thess.* 2, 16; *Rom.* 9, 22; ratione non habita sive sensus obvii *Rom.* 11, 25 ubi declaratur « mysterium Israël », scl.: « totus Israël salvus fiet », sive *Rom.* 11, 12. 15, ubi enuntiatur quanti sit momenti pro Ecclesiae huiusmodi conversio, cum « assumptio » partis infidelis Israël futura sit « vita ex mortuis » (v. 15).

Pars II

Vota Disciplinaria

§ I. *De litteris encyclicis* Divino afflante Spiritu.

In votis est: ut normas investigandae et interpretandae S. Scripturae a Pio XII in litt. enc. *Divino afflante Spiritu* datas, Concilium suas faciat et sollemniter commendet: speciatim de usu textuum originalium, de methodo critica adhibenda, de generibus et formis litterariis indagandis, necnon de doctrina theologica enucleanda, adhibitis etiam monumentis Traditionis Ecclesiae (Sanctis Patribus, textibus liturgicis, magnis interpretibus catholicis).

Rationes petitionis:

1. Cum, experientia teste, optimi fructus ex illis litteris encyclicis prodierint, ampliores ex confirmatione Concilii sperare licet.
2. Cum dictae litterae a multis protestantibus sincero plausu et satisfactione salutatae fuerint, confirmatio Concilii eorum animos attrahere valebit.

§ II. *De decretis Pontificiae Commissionis Biblicae.*

In votis est: ut declaretur decreta a Pontificia Commissione olim edita, quoad illas res, quae neque immediate neque mediate cum fide et moribus connexae sunt, sanam relinquere libertatem has quaestiones investigandi sub vigilantia Magisterii ecclesiastici.

Rationes petitionis:

1. Decreta illa ob peculiares illius temporis difficultates data sunt. Iamvero teste Pio XII « Biblicae disciplinae, ceterarumque quae eidem sunt utilitati, condiciones valde mutatae » sunt (Litt. Enc. *Divino afflante Spiritu.* Ench. Bibl. n. 546); porro multa pericula non amplius instant, discussiones subsederunt, novae normae ab eodem Pontifice latae sunt. Communis est sententia exegetarum illa decreta non amplius vigere vel latiorem interpretationem suscipere. Ea sententia etiam generali praxi exegetarum ac tacita saltem Magisterii ecclesiastici approbatione commendata est.
2. Cum illa decreta minus suo tenore quam modo, quo applicabantur, olim restringerent libertatem hodie concessam, sunt qui iterum iterumque stricte, immo strictius ipsorum tenore illa interpretentur, atque etiam aliter opinantibus notam inurant. Quae res non solum con-

traria est litteris Encyl. *Divino afflante Spiritu* secundum quas « omnes Ecclesiae filii... ab illo haud satis prudenti studio abhorrere debent, quo quidquam novum est, ob hoc ipsum censetur esse impugnandum, aut in suspicionem adducendum » (E. B. 564), sed etiam confusionem et difficultates creant inter dogmaticos et exegetas, sacerdotes et studentes Sacrae Theologiae, quandoque etiam apud populum christianum; simul etiam sine utilitate difficiliores reddit investigationes ab Ecclesia optatas et iam in se satis superque difficiles. Declaratione de valore illorum decretorum haec mala radicitus removerentur.

3. Silentium de vero valore illorum decretorum, propter diversitatem exsistentem inter ea et praxim, ipsam auctoritatem Pontificiae Commissionis Biblicae apud non paucos minueret.

4. Cum maximum sit desiderium removendi obstacula non necessaria quae reditui christianorum separatorum in sinum Ecclesiae obstant, ratio habere potest etiam facti, quod decreta, nulla addita declaratione, quandoque praeiudicia et difficultates apud protestantes etiam benevolos, potius excitant quam minuunt.

§ III. *De consultanda Pontificia Commissione Biblica.*

In votis est: ne ulla Congregatio Romana quidpiam edat de re biblica, nisi prius audita Pontificia Commissione de re biblica quae composita sit solis viris peritis, qui de quaestionibus biblicis vere iudicare possint.

Ratio petitionis:

Non intenditur, ut libertas competentis Congregationis restringatur, sed ut defensioni veritatis catholicae efficaciter provideatur. Scientia catholica progrediente secundum normas litt. Encyl. *Divino afflante Spiritu,* novae requiruntur solutiones, quae ad profundiorem intelligentiam Sacram Scripturarum conferant. Cum eiusmodi quaestiones valde complexae sint, opportunum est nihil auctoritative de eis promulgari, priusquam audita est non tantum opinio unius alteriusve exegetae, sed iudicium illius Commissionis, quae auctoritate Ecclesiae ad hoc instituta est. Hoc modo securius providebitur, ut exegetae catholici a periculis quidem arceantur, non vero via eis praecludatur rectae investigationis, dum acatholici studia sua prosequuntur. Ne autem, perperam intellecta libertate ad scientificam investigationem data, conclusiones investigationum imprudenti zelo divulgentur, cum detrimento fidelium et consequenter cum detrimento ipsius investigationis inter peritos faciendae, Ordinarii, qui librorum editionem permittunt, curent.

§ IV. *De consulendo famae scriptorum catholicorum.*

In votis est: ut examinetur, annon famae auctorum, quorum libri propter doctrinam proscribuntur, efficacius provideri possit, 1) si ad mentem Constitutionis Benedicti XIV *Sollicita et Provida* auctori locus defensionis praebeatur; 2) si audiatur Ordinarius, cuius permissu liber editus est; 3) si cum auctore rationes accuratae, non solum genericae, prohibitionis communicentur.

Explicatio voti:

1. Etsi, secundum supra dictam Benedicti XIV Constitutionem die 9 iulii 1753 datam, liber delatus examinetur a viris, qui « scientiam rerum, quas libri delati respective continent, diuturno studio acquisitam possideant », quia « decet de artibus solis artificibus iudicare » (§ 16);

etsi idem Pontifex exigit, ut examine accurato dignoscatur « verus Auctoris sensus », quod obtineri nequit « ex una vel altera propositione a suo contextu divulsa vel seorsim ab aliis considerata » (§ 18) atque « si ambigua quaedam exciderint Auctori », ea « in bonam partem accipiantur » (§ 19);

etsi censet prohibitiones librorum etiam « inauditis Auctoribus » non esse « improbandas » (§ 10), quia « non agitur de eorum personis condemnandis, sed de consulendo fidelium indemnitati »;

« nihilo tamen minus » Benedictus XIV aestimat esse « summae aequitatis et prudentiae » et « magnopere optandum », ut, si Auctor est catholicus et liber delatus corrigi possit, Congregatio « vel Auctorem ipsum suam causam tueri volentem audiat, vel unum designet qui ex officio operi patrocinium defensionemque suscipiat » (§ 10), et ob hanc rationem explicite exceptionem a secreto severissimo omnibus imposito permittens « Secretario Congregationis potestatem facit, ut animadversiones in Libros censurae subiectos, eorum Auctoribus vel aliis illorum nomine agentibus et postulantibus, sub eadem secreti lege communicare queat » (§ 12).

Porro Benedictus XIV, ut Pius XII in contione praeparata ad memoriam huius Pontificis celebrandam testatur, obiectioni deficientis severitatis respondit: « ...non abbiamo ne mai avremo altro impegno che per la verità e la giustizia... se neghiamo, o trascuriamo per meglio dire, di condannare un'opera a pura suggestione d'altri, e senza il previo esame e dell'opera e delle difese che ha fatto l'Autore per sostenerla » (Archivio segreto Vaticano, *Miscellanea Arm.* XV, n. 155, pp. 629-630 o fol. 319; *L'Osservatore Romano,* 9 aprilis 1959).

Benedictus XIV defensionem auctori concedendam ideo « summae

aequitatis et prudentiae » esse censet, quod sic etiam Auctorum famae parcetur, nam dicit: « Has porro similesque regulas... semper animo propositas habeant Censores et Consultores; quo valeant, in hoc gravissimo iudicii genere, conscientiae suae, Auctorum famae, Ecclesiae bono et Fidelium utilitati consulere » (§ 20). Talis modus agendi, qui iam tempore Benedicti XIV « summopere optandus » videbatur, hodierno tempore opportunior factus est ad periculum cuiusvis erroris vitandum, cum scientiarum campus multo vastior et problemata multo complexiora evaserint. Verum est solum librum prohiberi non vero personam Auctoris directe condemnari, at de facto condemnatio libri a plerisque pro condemnatione ipsius Auctoris habetur et sic eius fama saltem indirecte grave damnum subit, eo magis quod experientia constat adversarios Auctoris huiusmodi prohibitionibus abuti solere; quae res ut praecaveatur aequitas postulare videtur.

2. In prohibitione libri iudicium fertur de significatione, quam eius verba per se habere existimantur, non de intentione Auctoris. Iamvero Ordinarius in determinanda significatione, quam verba in illa regione eiusque condicionibus per se habent, utiliter iuvare poterit atque indicare, quas ideas in mente lectorum suscitare nata sint. Condiciones enim hominum et mentium aliae sunt in aliis regionibus.

3. Cum Auctori accurate indicatur, quid et ob quas rationes liber proscriptus sit, evitata confusione melius iuvatur Auctor. Sic etiam non fiet, ut Ordinarius et Auctor proscriptionem ex ephemeridibus comperiant.

ERNESTUS VOGT, S. I.
Rector
Pontificii Instituti Biblici

PONTIFICIUM
INSTITUTUM ORIENTALIUM STUDIORUM

PONTIFICIO ISTITUTO ORIENTALE

Romae, 12 aprilis 1960

Reverendissime Princeps,

Libenter nostrum Institutum desiderio in Tuis litteris (Prot. N. 2 C/59-60) expresso respondet.

Professores simul elaboraverunt haec postulata quae sibi utilia videntur ut Concilio Oecumenico praesententur. Illa nunc Tibi mittere valeo.

Patet haec nostra postulata praesertim Orientales catholicos dissidentesque respicere et sancto Unionis desiderio inspirata esse.

Velit Dominus Deus Tuae Eminentiae Reverendissimae benedicere et omnibus qui laboribus suis Concilium Oecumenicum ad bonum finem perducere velint.

Eminentiae Tuae Reverendissimae
servus in Christo

P. ALPHONSUS RAES, S. I.
Praeses

DOCTRINA

I - De Ecclesia

De Orientalium dissidentium praeiudiciis circa doctrinam « de Ecclesia » praecavendis

Magnum, fere unicum, impedimentum in labore apostolico pro unione Orientalium dissidentium cum Ecclesia Catholica est difficultas quam ipsi experiuntur in ecclesiologia catholica classica intelligenda. Oportet igitur eis proponere veritates illas catholicas quae possint dissipare eorum praeiudicia et eos adducere ad dogma de primatu et de infallibilitate Romani Pontificis admittendum. Sine hoc, vanus est totus apostolatus unionisticus.

Hae veritates, si a Concilio Oecumenico proponuntur et non tantum ab uno alterove theologo, possunt sine dubio profundam et salutarem mutationem in mente honestorum Orientalium dissidentium producere aut eos saltem adducere ad melius investigandam doctrinam catholicam de Ecclesia.

Pont. Institutum Orientalium Studiorum ut suas praesentat sequentes considerationes a P. Stanislao Tyszkiewicz, in Instituto professore, oblatas.

1. Dissidentes orientales quasi totam ecclesiologiam reducunt ad dogma de Christo in quantum est caput Ecclesiae, et putant catholicos hoc dogma admittere tantum pro forma, sensu diminuto, restricto. Saepissime dicunt: « Catholici tribuunt Papae maius momentum quam Christo Capiti Ecclesiae, et de conformitate cum Christo parum curant ».

Ideo postulatur ut Concilium declaret hanc esse doctrinam catholicam: Christus Dominus est sub omni respectu plene et perfectissime Caput Ecclesiae, tamquam causa meritoria gratiae, tamquam gubernator et divinus pastor, et tamquam exemplar cui cum tota Ecclesia tum singulae eius partes et membra, in quantum fieri potest, conformari debent.

2. Multi dissidentes orientales putant secundum doctrinam catholicam non Christum Dominum sed hierarchiam et praesertim eius caput, Papam, habere potestatem in Ecclesiam quoque caelestem, in man-

data Christi et in gratiae distributionem. Saepissime confundunt statum definitivum Ecclesiae cum aedificatione Ecclesiae.

Ideo proponitur: Ecclesia in statu suo definitivo, eschatologico, manet in aeternum sine illis mediis quibus Christus Caput utitur ad populum christianum hac in terra gubernandum, instruendum et ad plenitudinem vitae supernaturalis et unionis in amore divino (*Ephes.* 4, 11-12) perducendum. Haec media sunt praecipue: sacramenta, Sacra Scriptura, traditio, hierarchia ecclesiastica, liturgia, disciplina iuris canonici.

3. Orientalibus dissidentibus scandalo est quod « catholici Papae tribuunt dignitatem et locum quae solo Christo competunt »; non vident essentialem differentiam inter potestatem Christi Capitis et primatum Romani Pontificis.

Quapropter haec proponuntur: Christus Dominus est Caput totius Ecclesiae, in caelis triumphantis et in terra militantis, totius et integralis Ecclesiae cum visibili capite hierarchiae ecclesiasticae in terra omniumque partium et membrorum Ecclesiae.

Christus, Caput Ecclesiae, non est membrum, ne supremum quidem, hierarchiae ecclesiasticae ab Eo constitutae. Ipse infinite superat cum totam hierarchiam tum omnes eius gradus et membra; ideoque non potest deprimi ad gradum supremi pastoris hierarchici aut visibilis ad hierarchiam pertinentis magistri.

4. Dissidentes orientales nullum nexum percipiunt inter omnipotentiam Christi et infallibilitatem Romani Pontificis; immo, vident hic contradictionem et absolutam oppositionem quia non intelligunt Papam esse instrumentum Capitis omnipotentis.

Ideo proponitur: Ut patet cum ex toto ordine in mundo existente tum ex S. Scriptura et vita sanctorum, Deus ordinarie per causas secundas, creatas, agit. Nec in Scriptura nec in Traditione habentur vestigia derogationis ab hac lege ex parte Christi, immo in his fontibus clare apparet institutio Primatus Romani Pontificis.

Providentia Christi, Capitis, sapientissima et potentissima est. Ideo Christus valet infallibiliter Ecclesiam suam pascere etiam per unum supremum in hierarchia pastorem, omnibus miseriis humanis obnoxium.

Definitio Concilii Vaticani circa infallibilitatem Romani Pontificis ubi dicit: « ex sese, non ex consensu Ecclesiae », ultimum fundamentum habet in eo quod Christus est Caput omnipotens ac sapientissimum, Ecclesiam per hierarchiam suam ducit et nequaquam ad hoc indiget consensu Ecclesiae.

5. Orientales dissidentes, praesertim hodie, nos accusant dicendo: Catholici obliscuntur Spiritum Sanctum, ad eius actionem sanctificantem parum attendunt.

Ideo proponitur: Christus sanctificat totam Ecclesiam et singula eius membra per Spiritum Sanctum qui est anima Ecclesiae.

6. Dissidentes orientales valde timent ne catholici velint « occidere » Orientem christianum introducendo ubique « mortiferam uniformitatem in omnibus ». Putant nostram catholicitatem esse mere « geographicam », extensivam, omnibus piis traditionibus orientalibus inimicam. Putant Romanos Pontifices « ritus orientales » admisisse tamquam aliquid transitorium cum occulto proposito, tempore opportuno, omnia in Oriente ad uniformitatem reducendi.

Alia ex parte Orientales dissidentes non valent percipere cur in Ecclesia necessaria sit perfecta unitas et cur in Ecclesia — Corpore Christi mystico sub Christo-Capite et Spiritu Sancto, anima Corporis mystici — necessarium sit adhuc aliquod supremum organum hierarchicum ut principium in unitatem perfectam redigens omnia Ecclesiae membra, episcopos pariter ac clericos inferiores et fideles.

Ideo haec proponuntur: *a*) Vera Christi Ecclesia est catholica praesertim diffusione per orbem terrarum. Attamen ipsa laudat et, ubi salus animarum hoc exigit, sua facit omnia Evangelio conformia — non tantum ritus — quae extra eius visibiles limites in variis confessionibus christianis inveniuntur. *b*) Unitas Ecclesiae, sicut omnis vera unitas multorum, habet pro regula suprema non uniformitatem, in multis utique necessariam, sed unitatem in varietate. Etenim:

In natura rerum ubique viget hoc principium ontologicum: in omni ente creato habetur varietas elementorum quae in ipsius constitutionem ingrediuntur, quae varietas elementorum ad unitatem, corrispondentem naturae talis entis, reducitur per principium aliquod unificationis, connaturale naturae elementorum et entis.

Pari modo dicendum est de Ecclesia, Corpore Christi mystico: Ecclesia, cum sit non solum entitas « mystica », sed etiam « corpus », id est societas religiosa visibilis positiva, necessario habere debet in se aliquod principium supremum perfecte unificans eam in quantum est societas religiosa visibilis positiva; praeterea hoc principium debet suae naturae essentiali esse connaturale. Secus — si nempe Christus intendisset immediate et directe per se solum et per gratiam Capitis et actionem Spiritus Sancti unitatem efficere suae Ecclesiae etiam in quantum est societas visibilis — haberetur derogatio ab illo principio universali in natura rerum creatarum manifestum; de qua derogatione ex fontibus

revelationis positive constare deberet. De facto autem nullo modo constat de tali derogatione, immo contrarium constat. Unde intelligitur quod in Ecclesia sit aliquod supremum organum hierarchicum, in unitatem perfectam redigens omnia membra Ecclesiae, sive episcopos sive simplices fideles.

7. Orientales dissidentes maximi faciunt oboedientiam erga superiorem, ut fundamentum vitae spiritualis, praesertim monasticae. Ex alia parte, sequentes Alexium Chomjakov, affirmant oboedientiam erga singulos superiores aut erga « auctoritatem » esse omnino alienam a genuina indole Ecclesiae. Summi momenti est, si eos ad unitatem adducere volumus, eis ostendere hanc contradictionem et inconsequentiam.

Inde proponitur: Ecclesia est institutum sanctificationis; propterea ea est eiusdem naturae ac singula recte ordinata instituta sanctificationis quae ipsa continet, approbat et vivificat; ipsa eis non est dissimilis neque extranea. Cum autem vita spiritualis in his institutis fundetur in oboedientia omnium uni Superiori, ipsa quoque Ecclesia habet unum supremum Superiorem cui omnes pastores et fideles oboediunt; hoc modo hi in eximia et perfectissima humilitate crescunt et propterea magis sanctificantur gratia Christi Capitis, corde uno et anima una cooperantes in aedificationem Ecclesiae.

In Ecclesia, virtute gratiae Christi Capitis, concordia vel caritas fraterna et principium hierarchicum nullo modo se mutuo excludunt, immo se mutuo supponunt. S. Ioannes Chrysostomus docebat: « Ubique Deus instituit gradus et varietatem potestatis ut omnia in concordia manerent et in recto ordine » (cf. *Hom.* XXXIV, 3 in *1 ad Cor.,* Migne, P. G., 61, col. 290).

8. Hodierni dissidentes orientales valde improbant catholicam hierarchiam quae, secundum ipsos, omnino excludit laicos a proprie dicta vita Ecclesiae et a sua defensione contra suos adversarios. Putant laicos catholicos esse mere « passivos ».

Inde proponitur: Episcopi, ut pastores superiores a Summo Pontifice dependentes, partem habent in Ecclesia gubernanda et sanctificanda. Alii clerici et fideles laici eis aequales sunt quoad propriam sanctificationem et quoad communionem per gratiam Capitis cum tota Ecclesia. Sed episcopi, clerici inferiores et laici non sunt aequales in ministerio hierarchico et sacramentali sanctificationis. Sub ductu legitimorum pastorum clerici inferiores et laici Ecclesiam eiusque principia et instituta defendunt.

9. Dissidentes orientales saepe putant quod « iuridismus » et « hierarchismus » catholicus facile impediunt sanctificationem animarum, quod

est falsum, totaliter oppositum veritati. Insistendum est in eo quod Ecclesia Catholica est sancta in ipsa sua constitutione.

Ideo proponitur: Ecclesia est sancta quia eius principia dogmatica, moralia, ascetico-mystica ubique et semper innumeros fideles sanctificant; ipsa sancte servat suam Christo conformem et a Christo datam constitutionem, plene congruentem oeconomiae Incarnationis. Sua unitate, quae omnibus est accessibilis, ipsa est perpetua et sancta theophania amoris Dei erga homines.

10. Dissidentes orientales incessanter repetunt: Sola Ecclesia orthodoxa mansit Ecclesiae antiquae fidelis et in sua constitutione essentiali nihil innovavit. Ecclesia vero catholica mutationes substantiales induxit, ac proinde est nova aliqua Ecclesia, ab antiqua diversa.

Inde proponitur: Ecclesia naturam suam numquam mutavit. Primis saeculis theologicam terminologiam et dogmatum definitiones elaborabat, concilia convocabat, liturgiam perficiebat et etiam disciplinam hierarchicam, cultum iconarum et vitam monasticam. Talis fuit etiam saeculis sequentibus et talis semper manebit.

11. Valde diffusa est, et quidem non tantum inter dissidentes orientales, falsa opinio quod athei militantes *aequaliter* contra omnes religiones pugnant. Haec opinio facile ad indifferentismum confessionalem ducit. Veritatem in hac re proclamare est medium valde aptum ad dissidentes ad unitatem Ecclesiae reducendos.

Inde proponitur: Omnes athei militantes intendunt destructionem omnis religionis, quia in omni religione saltem aliqua elementa unicae verae religionis et verae doctrinae christianae habentur. Attamen ipsi peculiari infernali odio Ecclesiam Catholicam impetunt, praesertim Papatum et apologeticam catholicam, omni separatismo anticatholico favent semper, et numquam impediunt quominus Ecclesia Catholica a christianis noncatholicis oppugnetur. Quod indirecte probat veritatem Ecclesiae Catholicae.

Nota: Propositiones supra adducta non sunt fructus merae speculationis sed multarum meditationum et frequentis experientiae. Iam annis 1921-1922 auctor publice eas exponebat Constantinopoli coram Russis dissidentibus. Sub fine huius cursus fere omnes auditores aestimatione digni catholicam fidem amplexi sunt; inter eos erant tres theologi dissidentes; unus eorum dixit oratori: « Taurum per eius cornua arripuisti et profligasti ».

His propositionibus moti duo episcopi dissidentes in Ecclesiam ca-

tholicam ingressi sunt. Plures sacerdotes dissidentes dixerunt oratori: « Si doctrina quam proponis est doctrina ipsius Ecclesia Catholicae, fere omnes orthodoxorum obiectiones contra ecclesiologiam catholicam ruunt » (Stan. Tyszkiewicz, S. I.).

De amplitudine potestatis Summi Pontificis

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut Concilium Oecumenicum, retenta omnino definitione Vaticana de suprema Romani Pontificis iurisdictione et infallibili magisterio, explicet amplitudinem huius pontificiae potestatis quae, suapte natura, proprios habet limites:

sive relate ad plenitudinem potestatis Christi Domini cuius Romanus Pontifex vices gerit,

sive relate ad potestatem quam Episcopi iure divino sortiuntur,

sive relate ad sacerdotium, ad sacramenta, aliaque a Christo Domino in Ecclesia sua perenniter instituta.

1. Ea ratione magis magisque clarescent ea quae immutabilia sunt in hoc Romani Pontificis munere, ab iis quae essentialia non sunt, ac proinde labente tempore mutationibus sunt obnoxia.

2. Hac ratione quoque satis fiet nostris Fratribus separatis, putantibus semel posita hac plenitudine potestatis Romanorum Pontificum, Episcoporum potestatem omnino prorsus momento destitui; quin, vel ipsam Christi Domini in Ecclesiam potestatem de facto penitus tolli.

De natura et ambitu potestatis Episcoporum

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut Concilium Oecumenicum proponat plenam doctrinam de Episcopis nempe de natura et de ambitu illorum potestatis tam ordinis quam iurisdictionis.

1. In Constitutione Dogmatica de Ecclesia Concilii Vaticani *Pastor aeternus* nonnisi perpaucis, et quidem per transennam haec de Episcopis quaestio tangitur.

2. Non ab re erit accuratius perpendere quas partes Episcopi habeant in authentico ecclesiastico magisterio, praesertim si quaestio agatur de Collegio Episcoporum, sive per orbem dispersorum, sive in Synodis coadunatorum. Pariter nostrorum scriptorum sententia fluctuat circa immediatam originem divinam potestatis iurisdictionis Episcopis propriae.

3. Quodquid in commodum cedat Episcoporum, cum eo ipso nobis ostendat quomodo accipienda sit monarchica Ecclesiae species, non potest non munire viam ad Unionem, mitigans valde praecipuum quod remanet obstaculum: suprema auctoritas Romanorum Pontificum.

De doctrina Corporis Christi mystici

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut Concilium Oecumenicum iterum exponat conceptum illum magis intimum et plenum Ecclesiae quae est Corpus Christi mysticum, ad normam Schematis Primi Constitutionis de Ecclesia Vaticanis Patribus oblati, et Encyclicae *Mystici Corporis*.

1. Haec « genuina Ecclesiae species », quae satis commendari non potest, ut dicit, Schema I Vaticanum de Ecclesia, cum magis intimam atque sanctam rationem Ecclesiae praebeat, cumque Ecclesiam simul terrestrem et caelestem complectatur, aptissima est quae Orientalibus doctrinam rectam de Ecclesia persuadeat, imo, quae Orientalium separatorum animos nobis conciliet.

2. De facto, post Encyclicam *Mystici Corporis* latam, non defuerunt inter dissidentes boni nominis theologi qui scripserint hac via ipsum discrimen de Primatu Summi Pontificis in Ecclesia tolli bene posse.

II - De Deo, De Gratia, De Novissimis

De doctrinis palamiticis

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut Concilium Oecumenicum velit doctrinalem declarationem proferre:

a) circa divisionem inter essentiam et energias in Deo,

b) circa naturam gratiae ut est donum creatum,

c) circa inhabitationem personalem totius Trinitatis in anima iustorum,

d) circa visionem ipsius essentiae divinae qua sancti in caelo fruuntur, non autem cuiusdam solum operationis eius.

1. Sententias a Gregorio Palama prolatas usque ad nostra tempora nemo theologus catholicus existimavit admitti posse. Nuperrime autem hinc illinc non theologi quidem, sed catholici tamen pauci insinuare coeperunt nihil obstare quin palamiticae opiniones, spretis argumentationibus antiquiorum, reciperentur.

2. Certum est omnem fere simultatem et contentionem byzantinorum contra latinos, procedentibus temporibus, semper magis ad hoc confluxisse ut Gregorium Palaman propter systema ab eo excogitatum summum theologiae principem iactarent, et cum eo doctrinam de gratia sanctificante catholicam aspernarentur.

3. Hodie plurima scripta Gregorii Palamae divulgata sunt ita ut maiori cum fundamento de eius placitis iudicare possibile sit.

DISCIPLINA

I - De Curia Romana

Commissio pontificia de Communismo atheo

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut apud Sanctam Sedem instituatur Congregatio aut Commissio particularis quae res ad communismum atheum pertinentes coordinet et dirigat.

Quando magnum periculum Ecclesiae imminet, Sancta Sedes solet sollicite mediis aptis providere ut a fidelibus damnum irreparabile tempestive et efficaciter avertatur.

II - De ritu

De spiritu vere catholico promovendo

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut Concilium Oecumenicum omnibus commendet spiritum vere catholicum ostendere ubi agitur de catholicis orientalibus ita ut:

a) re vera omnes ritus in Ecclesia admissi aequali iure gaudeant,

b) evitentur, etiam in documentis officialibus, illi modi loquendi quibus significare videtur ritum latinum et linguam latinam esse simpliciter ritum et linguam Ecclesiae catholicae quasi alii ritus et aliae linguae in Ecclesia catholica non existerent aux vix tolererentur.

1. Hoc modo agendo omnibus patebit Ecclesiam non esse latinam neque graecam neque slavicam sed catholicam.

2. Hoc modo agendo et loquendo evidens erit unionem non esse subiectionem sub Ecclesiam *latinam* a qua subiectione Orientales dissidentes maxime abhorrent.

De ritu seligendo in conversione acatholicorum

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut canon 11 Motu proprio *Cleri sanctitati* modificetur eo sensu ut libertas eligendi ritum quem maluerint in sua conversione acatholicis concedatur *quibuslibet.*

1. Hoc postulare videtur aequalitas omnium rituum in Ecclesia catholica admissorum.

2. Acatholici occidentales proprie nullum ritum habent etsi ritui latino adscripti censeantur.

De respectu ad Orientalium consuetudines habendo

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut Latini in reformatione suae disciplinae et liturgiae prae oculis habeant disciplinam et liturgiam Orientalium.

1. Ad bonum Ecclesiae universae sane confert, salvis legitimis cuiusque Ritus legibus et consuetudinibus, eandem disciplinam ubique in orbe catholico vigere. Hucusque fere exclusive ex sola parte Orientalium exigebatur ut se disciplinae et consuetudinibus latinis conformarent. Aequalitas rituum autem postulare videtur ut, secundum casus, Latini disciplinam et usus Orientalium accipiant.

2. Quod optime factum est in Constitutione Pii XII f. m. quoad materiam Sacramenti Ordinis, in aliis similibus rebus fieri potest, v. gr. in determinandis festis de praecepto.

III - De Concilio Oecumenico

De « Commissione mixta » in Concilio instituenda

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut tempore Concilii Oecumenici instituatur « Commissio mixta » ad quam pertineant theologi et canonistae, tum catholici tum orientales dissidentes, ut opiniones dissidentium eorumque modi has exprimendi melius ac certius cognosci possint.

1. Ad ipsum Concilium dissidentes non invitabuntur; invitatio autem ad Commissionem huius generis (ad instar Instituti sic dicti « parastatalis ») beneficum influxum in ipsos dissidentes producet; videbunt enim Ecclesiam catholicam dissidentes non despicere sed unionem cum eis desiderare.

2. In personis seligendis inter dissidentes qui ad hanc Commissionem vocari possint, non existunt difficultates insuperabiles.

IV - De Patriarchis

De dignitate et potestate Patriarcharum Orientalium

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut Patriarcharum Orientalium dignitas, potestas et privilegia plenius agnoscantur:

a) mutando aut supprimendo aliquas limitationes quae frequentem recursum ad Sanctam Sedem imponunt aut eos obligant ad consensum Synodi permanentis obtinendum,

b) aequiparando eos, quoad praecedentiam, Cardinalibus,

c) supprimendo Patriarchatus latinos mere titulares.

1. Patriarcha est Caput et Pater Ecclesiae particularis, sub se Episcopos habens.

2. Modus quo cum Patriarchis orientalibus catholicis agitur, est causa maximi momenti quae dissidentes ab Ecclesia catholica amovet vel ad eam attrahit. Admittentes auctoritatem supremam et universalem Summi Pontificis, ab huiusmodi submissione refugiunt quae ab honore et dignitate suis Patriarchis debita aliquid detrahit. E contrario, si viderint Patriarchas debite honorari, facilius dissidentes unionem cupient.

3. Patriarchae, in tota traditione inde ab antiquoribus temporibus, ab omnibus et ab ipsa Sede Romana maxime honorati sunt, nec conveniens videtur, ut nostris temporibus, quando spes reditus dissidentium effulget, obstaculum interponatur ob diminutum honorem Patriarchis debitum.

V - De Episcopis

De conventu Episcoporum regionali in Occidente

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut in nationibus vel regionibus occidentalibus instauretur conventus nationalis vel regionalis Episcoporum, praeside Episcopo dignitate primatiali decorato, qui activitatem apostolicam totius regionis coordinet et cui detur leges edendi potestas, limitata quidem et presse definita.

1. In multis associationibus laicis et in ipso regimine civili existit magna cum utilitate talis auctoritas suprema nationalis vel regionalis; eadem commoda auctoritas ecclesiastica eodem modo constituta afferre possit.

2. Instauratio Primatis in Occidente multum conferret ut dignitas Patriarcharum orientalium non appareat tamquam res « anormalis et archaeologica » et apud Orientales dissidentes persuasionem creabit quod Ecclesiae, sub auctoritatem Summi Pontificis redeuntes, quandam veram « autonomiam » servabunt.

3. Hoc modo allevaretur labor Curiae Romanae; posset iste conventus v. gr. processus in tertia instantia examinare et dirimere.

De exemptione religiosorum

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut exemptio religiosorum, ut in Codice ordinata est, tam in Oriente quam in Occidente integre servetur.

1. Rationes, quibus SS. Pontifices exemptionem religiosorum voluerunt, totum vigorem etiam nostris temporibus servant.

2. Per immediatam a Sancta Sede dependentiam, melius et efficacius provideri potest multiplicibus necessitatibus Ecclesiae.

3. Exemptio necessaria videtur ad custodiendum in Ecclesia vitam religiosam secundum proprium spiritum, tam in institutione sodalium quam in regulari observantia.

VI - De Seminariis

De studiis rerum orientalium promovendis

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut Concilium Oecumenicum sua auctoritate omnibus clericis latinis ampliora rerum orientalium studia praecipiat.

1. Sacerdotes ritus latini, qui non ita raro vocantur ut res spirituales Orientalium curent, hac profundiore cognitione praediti, errores animis nocivos evitare poterunt.

2. Ecclesia Orientalis digna est ut cognoscatur sive ratione suae propriae excellentiae sive ratione suae intimae et saecularis relationis et commercii cum Ecclesia Occidentali.

3. Ex hac pleniore cognitione enascitur aestimatio et amor erga Orientales et non pauca praeiudicia dissipantur.

De Doctrina accurata circa statum perfectionis clericis exponenda

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut in Seminariis et Facultatibus omnes clerici de statu perfectionis bene instruantur ita ut fidelibus vitam religiosam melius illustrare et errores qui non raro in hac re circumferuntur, denuntiare et damnare valeant.

1. Ex accurata expositione doctrinae circa statum perfectionis fideles ad hunc statum amplectendum facilius movebuntur.

2. Ope huius cognitionis vitari poterit scandalum fidelium qui non ita raro opiniones non rectas de hac re ex ore sacerdotum audiunt.

3. Rectae doctrinae de statu perfectionis studio non paucae aemulationes inter clerum saecularem et clerum regularem vitari poterunt.

VII - De Confirmatione

De materia proxima Sacramenti Confirmationis

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut a Concilio Oecumenico declaretur authentice quaestio de materia proxima Sacramenti Chrismatis, id est, utrum ad validam materiam proximam huius Sacramenti requirantur unctio et simul manus impositio, an sufficiat vel sola unctio vel sola manus impositio, iuxta disciplinam propriam Ecclesiarum particularium.

Sciendum est catholicos ritus byzantini, armeni, syro-occidentalis et maronitici sola unctione Chrismatis sacramentum conferre, ritus autem coptici et aethiopici unctione et separatim impositione, denique dissidentes ritus syro-orientalis, qui numquam s. Chrisma cognoverunt, baptizatos in fronte signare (cum vel sine oleo) et deinde imponere manus; Catholici chaldaei autem, qui eundem ritum habent, formulis et actionibus Latinorum hoc sacramentum conferunt.

De ministro Sacramenti Confirmationis

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut in Ecclesia Orientali disciplina antiqua de presbytero ut minisrto sacramenti Chrismatis integre et ubique instauretur.

1. In multis regionibus orientalibus haec disciplina secundum usum traditionalem observatur, in quibusdam tamen solus Episcopus valide et licite hoc sacramentum confert propter rationes quae hodie iam non urgent sicut temporibus praeteritis.

2. Hae exceptiones animum dissidentium inutiliter, ut videtur, ab Ecclesia catholica abalienant.

De ministro Sacramenti Confirmationis

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut auferatur dubium circa sensum canonis 782, 5° qui dicit: « *Nefas* est presbyteris ritus orientalis, qui facultate vel privilegio gaudent confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, eandem ministrare infantibus ritus latini ». Verbum « nefas est » liceitatem an validitatem respicit?

Solvetur dubium: *a*) ad vitandum periculum validitatis sacramenti, *b*) ad tutius saluti animarum consulendum, *c*) ad tranquillitatem conscientiae ministri.

VIII - De Eucharistia

De usu panis fermentati et azymi in celebratione eucharistica

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut concedatur sacerdotibus, secundum proprium ritum celebrantibus, maior libertas in sacra Liturgia celebranda adhibendi panem ritus alieni.

1. Non semper nec ubique haberi potest panis proprii ritus, neque conveniens videtur sacerdotem ob defectum panis proprii ritus sancto sacrificio privare.

2. Quoad communionem eucharisticam fidelium facilior reddita est disciplina; sacerdotibus fere aequalis modus procedendi concedi posse videtur.

IX - De Matrimonio

De forma sacramenti Matrimonii

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut sive in disciplina orientali sive in disciplina latina facilior reddatur forma canonica matrimonii.

Diverso modo hoc fieri potest.

Pro Orientalibus, auferendo verba « modo sint ritus » in canone 86, 1°, n. 2 Motu proprio *Crebrae allatae* qui sic sonat:

« Parochus et loci Hierarcha valide matrimonio assistunt: intra fines dumtaxat sui territorii sive contrahentes sunt subditi, sive non subditi, *modo sint sui ritus* ».

Nam haec apposita conditio inefficacem reddit praesentiam parochi qui in sua ecclesia celebrat matrimonium duorum sponsorum qui ambo ad alium ritum orientalem ac suum pertinent. Hic casus non rarus est.

Pro Latinis, a) facilius concedendo delegationem generalem; *b*) decretando ne hac forma teneantur ad valorem ii de quibus canon 1099, 1°, n. 2 *Codicis Iuris Canonici,* nempe:

« Ad statutam superius formam servandam tenentur;

n. 1. Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi...

n. 2. Iidem, de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus matrimonium contrahant ».

Non raro evenit ut acatholici, obtenta dispensatione impedimenti a parte catholica, nolint matrimonium inire in ecclesia coram parocho catholico, sed alio modo caeremoniam celebrant. Tale matrimonium est invalidum secundum canonem citatum. Videtur sufficere si tale matrimonium declararetur illicitum.

De impedimentibus matrimonalibus reducendis

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut impedimenta sive impedientia sive dirimentia, sive in disciplina orientali sive in disciplina latina, quantum fieri potest, reducantur aut nonnulla ex dirimentibus fiant prohibentia aut saltem amplior potestas dispensandi iure communi Episcopo concedatur.

1. Sunt aliqua impedimenta quae iam nullum scopum practicum hodie habent, v. gr. cognatio spiritualis.

2. Sunt aliqua impedimenta quorum dispensatio, quando petitur, semper conceditur; non videntur ergo iam sustinenda.

De subdiaconatu ut impedimento matrimoniali

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut impedimentum matrimoniale subdiaconatus recenter apud Orientales introductum supprimatur.

1. In Iraq, Syria et Libano sunt vel fuerunt subdiaconi qui divinum officium in ecclesiis cotidie cantabant. Multi ex viris oppidorum aut pagorum ornati erant hoc sacro ordine et se responsabiles aestimabantur de celebratione publica officii liturgici.

Recenter introductum impedimentum matrimoniale impedit ne hi viri ordinentur antequam uxorem duxerint et in casu viduitatis ne secundas nuptias ineant nisi exercitio ordinis subdiaconatus renuntient.

Quapropter Patriarchae rituum chaldaici, syri et maronitici non iam subdiaconos ordinant nisi eos qui se ad sacerdotium praeparant. Periculum est ne propter defectum subdiaconorum omnino evanescat consuetudo celebrandi officium divinum in his Ecclesiis.

2. Obicere quis potest ut hi viri recipiant ordinem lectoratus qui sufficit ut possint officium in choro cantare. Sed respondendum est lectoratum viris nimis inferiorem apparere cum olim tantum pueri lectores ordinati sint.

3. In aliis Ecclesiis hoc recens impedimentum similiter multa incommoda causavit.

X - De Cultu Divino

De recentibus Ecclesiis omni imagine sanctorum destitutis

In dies crescit et propagatur forma ecclesiarum interna ubi, excepta imagine crucifixi, nulla aut vix ulla imago sacra exhibetur. Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut talis usus reprehendatur a Concilio Oecumenico propter has rationes:

1. Concilium Oecumenicum VII (Nicaenum II) cum damnaret iconoclastas, definivit liceitatem venerationis imaginum sanctorum, quarum usum ardenter commendavit. In sessione VII (Denzinger 302) legimus: « Regiae quasi continuati semitae, sequentesque divinitus inspiratum sanctorum Patrum nostrorum magisterium, et catholicae traditionem Ecclesiae... definimus in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosae ac vivificae crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas... in sanctis Dei ecclesiis... Quanto enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tanto, qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam et desiderium... ». Ergo contra litteram ac spiritum huius canonis hi agere videntur qui ecclesias imaginibus orbatas construunt. Ab sentibus enim illis, etiam earum veneratio impossibilis fit. Sublata vero iconodulia, ipsa veneratio sanctorum grave detrimentum patitur.

2. Absentibus imaginibus, facilius memoria sanctorum, deletur, nec ad illorum exempla tam efficaciter stimulamur.

3. Imagines sanctorum ipsi catechesi utilissimae sunt, quod enim per oculos intrat melius intelligitur ac tenacius haeret.

4. Absentia imaginum nata est graviter offendere Orientales omnes, qui de persecutione ac victoria propter inconoduliam gloriantur, qui hanc victoriam speciali festo commemorant quibus veneratio iconum maxime in corde radicata est.

5. Novus modus in aperta antithesi est cum traditione Ecclesiae, quae per duodecim saecula sub diversis artis formis, ecclesias sacris imaginibus decoravit. Obiciunt 1) Forma « barocca » imagines nimis multiplicavit. Sunt vero abusus inde quod fideles venerationi imaginum nimis propensi, Tabernaculum in quo Eucharistia reposita est, praetermittant. Respondendum videtur:

1) non licet propter « abusus » ipsum *usum* sanum ac sanctum e medio tollere,

2) abusus corrigi poterunt mediante instructione religiosa et etiam formis decorativis quae altare ac Tabernaculum excellere faciant. Verum est pariter usum imaginum varium esse posse. Videtur abun-

dantiorem esse ibi oportere ubi vel simplex populus vel pueri ac iuvenes ecclesiam frequentant, magis sobrium forsan apud religiosos quorum ambulacra et hortus non raro imaginibus decorantur. Aliud est autem usus temperatus aliud completa abolitio.

Obiciunt 2) Tolluntur imagines eo fine ut tota attentio fidelium durante Sacrificio Missae in ipsum altare convergat: iam vero imagines attentionem totalem disturbant.

Respondendum videtur:

1) Ecclesiae construuntur non solum pro Missae celebratione sed etiam pro toto cultu christiano et pro ipsis pietatis exercitiis. Iam vero nemo non videt v. gr. recitationem Rosarii maiore pietate coram imagine Beatae Virginis absolvi.

2) Non est verum sanctos « distrahere » attentionem in ipsa Missa. Sancti enim sunt corona et fructus Christi Sacerdotis et victimae. Ipse Canon Missae latinae bis commemorat seriem sanctorum eos nominando. Si ergo memoria sanctorum in Canone non est distractivus, neque imagines, tanquam corona supra aut post altare Missae, disturbare natae sunt.

XI - De Magisterio Ecclesiastico

De lectione librorum prohibitorum

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut leges de prohibitione librorum ita aptentur ut finis quem intendunt re vera obtineri valeat, et non sint tantum conscientiarum gravamen. Ordinariis amplior iure communi concedatur facultas permittendi lectionem librorum prohibitorum.

1. Multi fideles licentiam non petunt propter difficultatem eam obtinendi.

2. Episcopi, si ampliorem in hac re facultatem obtinent, melius ut magistri in suis dioecesibus agnoscentur.

XII - De Poenis

De iure poenali mutando

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut ius poenale quodammodo, mutetur, nimirum:

a) ut poenae latae sententiae, paucis omnino exceptis, tollantur aut potius in poenas ferendae sententiae convertantur;

b) ut interdictum, praesertim locale, penitus auferatur;

c) ut punitio plurium delictorum, quae hodie iure communi poena

latae sententiae plectuntur, iudicio Episcopi, debitis cautelis servatis, deferatur.

1. Nostris temporibus multae poenae ad finem suum obtinendum iam non aptae sunt et potius difficultates creant quam remedia.

2. Fini intento aliis mediis consuli potest.

De modo reconciliandi Orientales dissidentes

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut loco abiurationis, a dissidentibus reconciliandis petatur simplex professio fidei.

1. Reiecto falso irenismo, omni studio conandum est ut omnis offensionis occasio e medio tollatur sive in verbis et ratione loquendi sive in ipso modo reconciliationis peragendae absque ulla dissidentium Orientalium humiliationis specie.

2. Nemo non probabit illa omnia, quae necessaria non sunt, cum fructu omitti ut vitetur inutilis fratrum offensio quos Ecclesiae lucrari cupimus.

XIII - De Missionibus

De Missionibus committendis Orientalibus

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut Ecclesiis orientalibus quaedam territoria missionum apud paganos committantur, retento ritu suo orientali.

1. Hodie omnes missiones apud paganos exclusive clero latino committuntur quod aequum non videtur cum mandatum Domini docendi omnes gentes etiam pro Orientalibus valeat.

2. Ab Orientalibus exigere, sicut hodie fit, ut, si in missiones mitti cupiunt, ritu proprio relicto, latinum assumant, non congruere videtur cum principio non semel auctoritative declaratum nullum ritum in Ecclesia Catholica alio praestantiorem esse.

3. Hoc modo difficultas duplicis iurisdictionis in uno territorio vitatur.

4. Facile territoria missionum Orientalibus attribuenda in India et in Aethiopia inveniri possunt.

XIV - De Oecumenismo

De « Communicatione in Sacris » cum Christianis Orientalibus non-catholicis.

Pont. Institutum Orientalium Studiorum postulat ut disciplina modo vigens circa « Communicationem in Sacris » (respiciens celebrationem

S. Sacrificii, Sacramentorum administrationem et Suffragiorum elargitionem), quando agitur de Christianis Orientalibus non-catholicis, mitigetur.

Nota: Omnes huius Instituti professores unanimiter hanc postulationem praesentant.

Quand autem agitur de considerationibus theologicis quae mitigationem iustificant et de normis practicis statuendis, non in unam sententiam concordant. Quapropter diversas propositiones a duobus theologis et ab uno canonista oblatas hic praesentamus sub *A*) *B*) et *C*).

Eis brevem conspectum historicum, qui utilis esse potest, addimus.

A)

I. Mitigatio fiat hac lege: ut quotiescumque intercedat vel *summum animarum periculum,* vel aliud *gravissimum spirituale incommodum,* Sancta Sedes *copiam faciat sacerdotibus catholicis* admittendi ad Sacra Christianos Orientales non-catholicos; *fidelibus* autem Catholicis facultatem tribuat ea petendi a Christianis Orientalibus non-catholicis. In specie autem haec prae aliis videntur concedenda: quod videlicet

1) nostri sacerdotes valeant: *a*) Christianis Orientalibus non-catholicis in vitae periculo constitutis ministrare Paenitentiam, Eucharistiam et Extremam Unctionem; *b*) eisdemque vita functis funerea Officia praebere, deficiente proprio sacerdote; *c*) necnon, hoc in casu, illorum Matrimonio benedictionem impertiri;

2) fideles vero Catholici, diuturno temporis spatio proprio orbati sacerdote, valeant: *a*) in templis Christianorum Orientalium non-catholicorum accedere ad Sacramenta; *b*) eademque ab illis petere, mortis incumbente periculo.

II. Etiam aliis in adiunctis, iusta de causa, de Ordinariorum licentia, quandocumque haec mutua Sacrorum communicatio non appareat veri nominis communio ecclesiastica, sed tantum mutuae caritatis pignus, integrum sit catholicis cum Christianis Orientalibus non-catholicis quandam in Sacris communicationem habere; quatenus illis detur: *a*) agere testes in nostris Catholicorum Matrimoniis; *b*) Patrini munere ad Baptismum fungi, dummodo spondeant se curaturos ut quos a sacro fonte susceperint, catholica doctrina rite imbuantur; *c*) neque aditu ad Sacramenta nostris in Ecclesiis prohibeantur, si sponte ad illa accedant.

Huius Voti declaratio et quaedam quibus innititur fundamenta:

Liquido patet Votum — quaestione ad Orientales coarctata — exordiri a nova quadam, sane mitiore, ratione ineunda in disciplina quae « Communicationem in Sacris » moderatur. Et quidem, attento animarum

Ecclesiae concreditarum capitali discrimine, petitur ut generalis fiat particularis illa concessio « in periculo mortis », necnon aliis in casibus, qui secum ferunt gravissimum spirituale detrimentum, ut est privatio diuturna a Sacramentorum receptione. Atqui haec facultas generalis facienda est a S. Sede, non concedenda singulorum Antistitum arbitrio. Eis vero committitur potestas concedendi quandam « communicationem in Sacris », ad fovendam mutuam existimationem, quae paret viam ad Unionem. Ad triplex hoc Votum promendum nos movent haec fere argumenta:

a) 1) Ecclesia potest hanc disciplinam mitigare; siquidem normae circa « Communicationem in Sacris » sunt iuris ecclesiastici dumtaxat, non divini; quemadmodum, si agatur quaestio in genere, communis prorsus sententia tenet, ducibus S. Thoma [1] et Suarezio; [2] pariterque id est « verissimum » si agitur de haereticis vel schismaticis in specie, ut tradit De Lugo,[3] quo nostri omnes auctores tam in provincia Theologiae, quam in provincia Iuris Canonici uti solent.

2) De facto neque semper eadem ratio huic quaestioni fuit adhibita, neque Ecclesia reformidavit dispensationem concedere in casibus particularibus, ex. gr. in casu crypto-catholicorum, etc.

3) Nec solum Ecclesia potest disciplinam mitigare, verum etiam videtur, id respondere criteriis quibus regitur tota haec disciplina. Videlicet, Ecclesia fertur sua illa sollicitudine de salute omnium hominum procuranda, singulis subministrando illa omnia media sibi concredita,

---

[1] Lege Sanctum Thomam, 2, 2, q. 10, a. 9, rite distinguentem inter eos qui periculum subeunt in agendo cum acatholicis, et illos qui nihil tale patiuntur, ut concludat alteris licere, alteris vero non licere hanc « Communicationem ».

[2] Distinguens simplicem communicationem a communicatione formali, expresse dicit: « Est quaedam communicatio prohibita quia mala (*formalis*) et antecedens, ut sic dicam excommunicationem ipsam. Altera vero (*materialis*) est mala quia prohibita et per ipsammet excommunicationem introducta »; F. Suarez, *De Censuris, Disput.* XV, esct. II, n. 7. 8. Eandem tenet doctrinam antea, in *Disput.* X, XI, XII, agens de communicatione in Sacramentis et in Sacrificio Missae: « quia hoc est malum, nisi quia per ipsam censuram prohibitum est ».

[3] Quaestionem agit de haeresi, cui aequanda est conditio schismaticorum. « Quaerimus an ex hoc praecise capite, quod haeretici omnes excommunicati sunt reddatur illicita communicatio cum ipsis. Est autem duplex excommunicatio, altera sacra, seu in rebus sacris, altera civilis, seu in rebus profanis et civilibus, et de utraque potest quaestio procedere... De hac ergo excommunicatione quaeritur primo an sit iuris divini, an solum iuris positivi humani. Aliqui voluerunt esse iuris divini... Contraria tamen sententia verissima est, licet haereticus dignissimus sit hac poena, non esse tamen impositam nisi iure humano ». De Lugo, *De virtute fidei divinae, Disput.* XXII, sect. I; *Disput.* XXIII, sect. I. Suam vero « verissimam » sententiam pluribus roborat argumentis.

quibus egent ut vitam aeternam adispicantur, et quibus uti valent. Cum vero Christiani Orientales non-catholici fructuose participare valeant de Sacrificio, de Sacramentis, de suffragiis; cumque eorum Sacrificium et Sacramenta de facto valida sint et fructuose possint accipi,[4] videtur per se « Communicatio in Sacris » permittenda, nisi aliquid obstet.

4) De facto unum est obstaculum impediens vel tollens hanc Communicationem, nimirum *scandalum,* praesertim illud indifferentismi Ecclesiastici periculum generat; quemadmodum iterum iterumque legere est in responsis S. Sedis ad quaestiones Missionariorum inter Orientales. Verumtamen haec ratio scandali neque est unicum criterium, neque summa ratio, neque ita necessaria est ut de facto vitari scandalum nequeat.

b) His vero praeiactis, liquet in casibus omnibus quibus locum habet « periculum mortis », cui iure assimilatur gravissimum spirituale detrimentum.

1) *Animarum saluti scandalum,* cuiusmodi tandem sit, cedat oportet. Quinimo, gravius etiam pati possunt scandalum christifideles omnes, si morienti Ecclesiae sacramenta denegentur.

2) *De facto,* saltem si agatur de Extremis Sacramentis, haec praxis obtinet quibusdam in regionibus. Quid igitur prohibet quominus deveniat generalis et recepta disciplina?

3) Neque difficile est *scandalum vitare,* si declaretur id praecipi, non vi Indifferentismi nescio quem, sed propterea quod omnia Sacramenta et media salutis, etiam quae ab Orientalibus non-catholicis sunt confecta, propria esse unius verae Ecclesiae, cuius est illa dispensare iis omnibus quibus prodesse valeant.

4) Denique, ut « gravissimum spirituale detrimentum » ducimus, si de Catholicis agatur, diuturna privatio a Sacramentis, quae moraliter sunt necessaria ut quis in gratia perseveret; sin vero sermo fiat de non-catholicis ritus sacri Matrimonio et sepulturae adhibiti.

c) Atqui haec omnia, servatis servandis, bene consideratis temporum et locorum circumstantiis — quare Ordinarii iudicare debent utrum expediat necne — obtinent quoque, « iusta causa » intercedente, tribus illis casibus ad n. II positis. Nam:

---

[4] Videlicet, omnes quotquot salvantur, salvantur opera unius verae Christi Ecclesiae, ut expressis verbis notant auctores, ex. gr. M. J. CONGAR, O. P., *Chrétiens désunis,* p. 603, secutus Divum Augustinum: « si quod habent de Christi Ecclesia non esse dicamus ipsorum... quidquid eius (Ecclesiae et mediorum salutis) apud aliquem esse agnoscimus, nullo modo ei concedamus ut suum esse arbitremur »; S. AUGUSTINUS, *De Bapt. contra Donat.,* 1, IV, c. 10, n. 25.

1) relate ad munus « testis in Matrimonio » non videtur alicuius momenti difficultas, cum nihil aliud praestent quam fidem facere de consensu manifestato.

2) Neque in agendo Patrinum in Baptismate, licet hoc in casu cautela sane requiratur. Sed si satis fit in matrimoniis mixtis illa promissio coniugis non-catholici de catholica prolis educatione, cur similis promissio non satis fit quando agitur de Baptismate?

3) Denique, cum susceptio *Eucharistiae,* supposita interna communicantis gratia, fructuosa sit; pariter etiam susceptio Paenitentiae, supposito vero contritionis motu, fructuosa sit, iusta de causa videtur permittenda.

4) Denique, hoc praesertim in casu de « Communicatione in Sacramentis » *bona fides* requiritur; secus vero, si versetur « mala fide » et ut talis iure sit habitus, agendum est erga illum sicut agi debet cum publico peccatore, a Sacramentorum receptione arcendo sane. Quod si quis dicat, cur non expresse ponitur in Voto: « bona fide errantes », id fit ut vitetur illud periculum examinandi etc., quo practice « bona fides » labefactatur vel tollitur.

5) Cum hac praxi « Communicationis » quam postulamus connectitur illa concessio facta in favorem alumnorum dissidentium collegiorum Catholicorum in Oriente, quibus a duobus iam annis facultas facta est participandi in Sacramentis Catholicorum, si spes adeat, ut de facto adest, reditus ad Romanam Ecclesiam.

(R. P. MAUR. GORDILLO)

B)

De « communicatione in sacris » mitiganda in aliquibus casibus inter catholicos orientales et dissidentes orientales.

1. Primo loco postulatur, ut Concilium Oecumenicum velit declarare principia, quibus talis communicatio regatur.

2. Secundo loco petitur, ut Concilium Oecumenicum determinet, quibus in casibus particularibus talis communicatio admittenda esse videatur.

3. Tertio loco ex parte nostra *suggerimus*:

1) Curetur, ne ulla discrepantia oriatur inter doctrinam, quam Ecclesia de propria sua natura proponit, et praxim ecclesiasticam.

2) Indicetur communicationem formalem in sacris *per se* esse illicitam, cum communicatio in sacramentis supponat communionem fidei et regiminis (Summi Pontificis et episcoporum catholicorum); quod

triplex vinculum existit ex natura Ecclesiae a Christo tali modo fundatae.

3) Indicetur communicationem per se esse contrariam antiquo et saeculari usui ecclesiastico.

4) Indicetur communicationem formalem, i. e. participationem catholicorum in sacramentis separatorum *quatenus* separatorum, i. e. schismate aut haeresi formali aut materiali, et hinc illegitime, ab Ecclesia seiunctorum, esse intrinsecus malam nec umquam licitam esse posse.

5) Indicetur communicationem aliam, etiam formalem, i. e. participationem catholicorum in sacramentis separatorum, quae sunt de facto ab Ecclesia seiuncta, sed semper, licet illegitime ab Ecclesia avulsa et extra Ecclesiam confecta vel administrata, remanent proprietas Ecclesiae et sub dominio Ecclesiae, licitam esse per accidens, i. e. in certis circumstantiis extremae necessitatis animarum, tempore persecutionis vel oppressionis, in extremis vitae, etc.

6) Ut autem licita evadat communicatio in his circumstantiis, non solum cohonestari debet dictis rationibus gravibus, sed removeantur oportet pericula per se gravia coniuncta cum tali communicatione: periculum perversionis, apostasiae, indifferentiae, confusionis idearum, scandali, etc.

7) Indicetur duos casus natura sua esse diversos, nempe catholicorum, qui in sacramentis separatorum communicare volunt; et separatorum, qui ad sacramenta in Ecclesia catholica accedere cupiunt, quin prius ad Ecclesiam catholicam se converterint. Prior casus in *C.I.C.* — saltem quoad sacramentum paenitentiae — respicitur (can. 882; 2261): de altero autem casu in iure catholico explicito hucusque siletur.

8) Forte dici potest — sub aliquo respectu — facilius permitti posse, ut catholici in casibus extremis sacramenta extra Ecclesiam recipiant, cum talia sacramenta — et etiam, ut patet, sacrificia eucharistica — remaneant proprietas Ecclesiae, de qua Ecclesia semper disponere potest; difficilius autem permitti posse, ut christiani orientales dissidentes ad sacramenta Ecclesiae catholicae admittantur, cum per se sacramenta reserventur membris Ecclesiae; et cum ex recentibus declarationibus Ecclesiae (vide Encyclicas *Mystici Corporis, A. A. S.,* 35 [1943], pp. 202-203, et *Humani generis, A. A. S.,* 42 [1950], p. 571) circa membra Ecclesiae et circa identitatem Mystici Corporis Christi cum Ecclesia catholica Romana semper clarius pateat etiam bona fide ab Ecclesia catholica separatos, i. e. sic dictos schismaticos et haereticos materiales, non esse membra actu Ecclesiae, sed solum potentia et desiderio implicito.

9) Ex altera autem parte — sub alio respectu — difficilius communicatio catholicorum in sacramentis separatorum permitti posse videtur, quia sacramenta solum in Ecclesia catholica legitime adsunt, illegitime autem extra eius fines; et facilius dissidentes videntur posse communicare in sacramentis catholicorum, quotiescumque ipsi ad Ecclesiam catholicam accedentes vel saltem appropinquantes, a vera Ecclesia sacramenta petunt, quae iis ut renatis baptismate sacramenta concedere potest.

10) Inter alia praecaveatur, ne mitigatione communicationis in sacris orientales, sive catholici sive dissidentes, indifferentes evadant versus unicitatem et fidem verae Ecclesiae neve cum facilitate — ut mos est inter plures dissidentes — ab Ecclesia catholica ad aliquam hierarchiam separatam vel ab una hierarchia separata ad aliam transeant.

11) Caveatur, ne tali mitigatione communicationis augentur casus conscientiae ac dubia de apostasia a vera fide.

(R. P. BERN. SCHULTZE)

C)

Hae Modificationes can. 731 C.I.C. proponuntur:

§ 2. Vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis (formalibus), nisi prius erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint.

Ad 2. Nihil novi continet, sed separat clare haereticos et schismaticos formales a materialibus, de quibus in § 3.

§ 3. Christianis acatholicis vero, bona fide errantibus eaque petentibus, dummodo scandalum et periculum indifferentismi absint, Sacramenta, ex iusta causa, ministrare licet.

Ad 3. Ob bonum animarum: nam, absentibus scandalo et periculo indifferentismi, manet sola prohibitio ecclesiastica, quae utpote lex positiva non obligat cum incommodo gravi (cf. FERRERES-MONDRIA, *Compendium Theologiae moralis,* ed. 17ª, p. 182; HÄRING B., *La loi du Christ* II, p. 194, *nota* 114). Petitur proin mitigatio huius prohibitionis, seu ut non solum ex gravi causa, quae difficilius occurrit, sed ex iusta, ob bonum animarum, et ad facilius reddendam conversionem huiusmodi christianorum, quos non indignitas sed tantum externa ab Ecclesia separatio prohibet, Sacramenta ipsis ministrare liceat. (cf. VERMEERSCH, *Theol. Mor.* III, ed. 4ª. n. 180; Idem, *Practica disquisitio de sacramentis conferendis vel negandis acatholicis,* in *Periodica de re mor. lit. can.,* 18 [1929], 123-148).

§ 4. Catholicis autem a ministris acatholicis Sacramenta petere vel accipere, excepto casu gravis necessitatis atque simul deficiente ministro catholico, prohibetur.

Ad 4. Textus desumptus est fere identice ex Schemate II *Codicis Iuris Canonici Orientalis,* ut propositio Delegatorum Orientalium, qui « attenta in Oriente penuria sacerdotum, petunt ut praesens additio textui Codicis facta intuitu boni spiritualis fidelium Orientalium inter dissidentes commorantium et proprio catholico pastore orbatorum, proponatur Supremae S. C. S. Officii pro examine, et, si nihil obstat, approbatione; quae obtenta inseratur in paragrapho praesentis canonis (Nota del verbale) ».

(R. P. IOANNES ŘEZÁČ)

BREVIS CONSPECTUS HISTORICUS CIRCA « COMMUNICATIONEM IN SACRIS »

Magnam partem documentorum collegit P. CYRILLUS KOROLEVSKIJ in *Verbali delle conferenze patriarcali sullo stato delle Chiese orientali e delle adunanze della Commissione cardinalizia per promuovere la riunione delle Chiese dissidenti tenute alla presenza del S. Padre Leone XIII* (1895-1902). Pro manuscripto, S. Congr. Orient., 1945, pp. 537-637.

I. Incipimus hanc historiam tempore quo diversae Ecclesiae dissidentes saec. XVI-XVII unionem partialem cum Ecclesia Catholica fecerunt. Missionarii latini multum laboraverunt ad reducendos omnes dissidentes ad unionem. Ad hunc finem obtinendum PP. Cappuccini praesertim et Iesuitae praedicaverunt in ecclesiis dissidentium ibique confessiones fidelium acceperunt post privatam et brevem professionem ab eis emissam. Etiam qui iam uniti erant, saepe ex necessitate frequentabant ecclesias dissidentium, deficientibus ecclesiis catholicis, ibique recipiebant sacramenta. Et missionarii hanc praxim toleraverunt praesertim in Insulis graecis, in Aegypto et in Syria.

Missionarii tamen in hac re non habuerunt omnes eandem sententiam.

Cf. AGATHANGELUS A VENDÔME, O. F. M. Cap., *Epistola ad Propag. Fide 6 iunii 1637;* edit. a IGNAZIO DA SEGGIANO, *Documenti inediti sull'apostolato dei Minori Cappuccini nel Vicino Oriente* (1623-1683, pp. 26-29).

Pro-memoria LAURENTII COZZA, Custodis Terrae Sanctae, *10 april. 1711,* apud G. GOLUBOVICH, *Biblioteca Bio-Bibliografica della Terra Santa,* nuova serie IV, p. 113.

Pro-memoria BENEDICTI A TEANO, O. F. M., *anno 1721* apud W. DE VRIES, *Eine Denkschrift zur Frage der « communicatio in sacris » aus dem Jahre 1721,* in *Ostkirchliche Studien,* VII (1958), pp. 253-266.

CL. SICARD, S. I., *Libellus de communicatione in sacris,* anni 1725 apud Mansi, *Collectio ampliss.* 46, col. 169-176.

In hac prima periodo (1635-1729) Sancta Sedes, sive mediante Propag. Fide, sive mediante S. Officio, activitatem missionariorum moderavit decretis particularibus pro casibus particularibus; inter haec quaedam communicationem in sacris prohibent, quaedam tolerant, semper autem agitur de casibus particularibus. Multa enumerantur apud Mansi, 46, col. 105-110; item in *Codificatione Canonica Orientale, Fonti,* Fasc. II, *Testi vari di diritto nuovo,* Parte seconda, Vaticano 1931, pp. 73-137.

Ecce quaedam exempla:

1635: Propag Fide vetat catholicis adire ecclesias dissidentium ibique sacramenta recipere: Cf. GOLUBOVICH, *o. c.,* I, p. 89, n .76.

1668, 5 dic.: S. Officium idem vetat. Cf. DE MARTINIS, pars II, p. 146, n. 288.

1671, 20 aug.: S. Officium vetat catholicis recipere baptismum a dissidentibus, excepto casu necessitatis. Cf. *Collectanea Prop. F.,* I, p. 69, n. 198.

Eodem tempore concessiones dantur:

1639: Propag. F. tolerat ut catholici ordinationem sacerdotalem recipiant ab aliquo episcopo dissidenti. Cf. DE MARTINIS, pars II, pp. 83-84, n. 158, 5.

1643: Propag. F. approbat modum agendi missionariorum qui absolvunt a peccatis dissidentes post professionem fidei *privatam. Ineditum,* cf. *Archivum Prop. F., Lettere S. Congreg.,* vol. 21 fol. 323 v.

1683: S. Officium permittit sacerdoti catholico ut frequentet ecclesias dissidentium. Cf. J. P. TROSSEN, *Les relations du Patriarche copte Jean XVI avec Rome* (1676-1718), Luxembourg 1948, p. 26, nota 85.

1704: S. Officium permittit sacerdotibus catholicis ut, si necessarium est, s. Missam celebrent in ecclesiis dissidentium, adhibentes tamen propriam petram altaris. Cf. Mansi, *o. c.,* vol. 46, col. 108.

Item prohibitiones:

1709, maius: S. Officium vetat audire confessiones dissidentium. Cf. *Collectanea Prop. F.,* I, p. 92, n. 276.

1709, nov.: S. Officium iterat prohibitionem pro catholicis adeundi ecclesias dissidentium ibique recipiendi sacramenta. Cf. Mansi, vol. 46, col. 109 A.

Iterum concessiones:

1719, ian.: S. Officium dicit missionariis consilium petere a theologis circa quaestionem num licitum sit accipere baptismum a dissidentibus, coram eis celebrare matrimonium et ab eis petere ut mortuos catholicos sepeliant. Cf. Mansi, 46, col. 109-110.

1723, iun.: Propag. F. respondit missionariis ut consilium theologorum petant circa eorum dubia. Cf. Mansi, 46, col. 110 B C.

II. Anno *1729* incipit nova periodus in hac historia propter decretum Propag. F. die 5 iulii 1719 quo prohibetur omnis species communicationis in sacris. Hac decisione Propag. F. voluit terminum ponere discussionum et confusionum quae dividebant missionarios in hac materia. Haec fere erat eius argumentatio: ministri dissidentes non sunt ministri *legitimi* liturgiae Ecclesiae. Atqui in eorum ritibus sacris partem habere interpretari debet tamquam quaedam recognitio legitimitatis illorum ministrorum. Ergo vetitum est ab eis sacramenta recipere. Notandum tamen est decretum non affirmare communicationem in sacris esse necessario modo in seipsa illicitam. Sed affirmat eam, datis circumstantiis, regulariter prohibitam esse « iure naturali et divino » Cf. Mansi, 46, col. 100 D.

Anno *1752* Benedictus XIV professus est doctrinam minus rigidam ubi declarat: « Communicationem in divinis cum haereticis non posse nec debere tam facile ac tam generaliter pronunciari in omni penitus circumstantia in iure vetitam ». Provcat Papa ad matrimonia mixta admissa ab Ecclesia et ad communicationem in sacris pure passivam. Cf. De Martinis, pars II, Roma 1909, p. 324.

Anno *1753,* 10 maii, S. Officium se exprimit in hac materia sicut decretum Propag. F. 1729. Cf. De Martinis, pars II, pp. 315-327.

Anno *1755* in Constitutione *Allatae sunt* Benedictus XIV praescripsit ut a dissidente qui sacramenta desiderat recipere apud catholicos, exigeretur abiuratio et professio fidei *publica* ante sacramentorum administrationem. Cf. *Collectanea Propag. F.,* I, Roma 1907, p. 238, n. 17.

Anno *1809* S. Officium vetat catholicis ut accipiant ordines sacros a dissidentibus. Cf. De Martinis, pars II, p. 445, n. 753.

Anno *1898* S. Officium prohibet absolvere a peccatis dissidentes etiam si sunt in bona fide, excepto casu periculi mortis et tunc « remoto scandalo ». Cf. *Collectanea Propag. F.,* II, p. 372, n. 2012, *Resp.* ad 1.

Anno *1957,* iterum *concessio* conditionata: S. Officium concedit Legatis pontificiis Proximi Orientis facultatem permittendi ut, sub certis conditionibus, sacramenta administrentur scholarum nostrarum alumnis

qui pertinent ad familiam non-catholicam ritus orientalis. (Non publicatum).

Quaedam studia hanc quaestionem illustrant:

W. DE VRIES, S. I., *Das Problem der « Communicatio in sacris cum dissidentibus » im Nahen Osten zur Zeit der Union,* in *Ostkirchliche Studien* VI (1957), p. 81-106.

IGNATIUS I. SZAL, *The Communication of Catholics with Schismatics,* Washington 1948.

LJUBOMIR KUČAN, *De Communicatione in sacris. Quaestiones selectae,* Romae 1943.

PONTIFICIA UNIVERSITAS
LATERANENSIS

PONTIFICIA UNIVERSITAS LATERANENSIS

Roma, 4 maggio 1960

Illustrissimo e Reverendissimo Monsignore,

Mi reco a premura trasmettere i voti per il Concilio Ecumenico presentati dai Professori della Pont. Università Lateranense. Avrei desiderato che il contributo ai lavori preparatori del Concilio fosse più ampio e consistente, ma alcuni Professori, essendo già impegnati allo stesso lavoro nelle Sacre Congregazioni, hanno collaborato con l'Università solo in parte; altri Professori poi, presi da altri uffici, hanno ritardato la presentazione dei loro voti.

Sempre nel quadro delle iniziative della nostra Università in preparazione al Concilio, si sta curando un Numero Unico di Divinitas dal titolo « Il Magistero della Chiesa », e un Numero Unico di Aquinas « De reditu ad S. Thomam », che intenderemo offrire ai Padri del Concilio. La loro pubblicazione richiederà del tempo, ma non appena i due volumi saranno pronti, sarà mia premura farglieli avere.

Mi parrebbe fuori luogo — se a ciò non mi muovesse il desiderio di esprimere la nostra adesione e la nostra riconoscenza per il grande avvenimento nella storia della Chiesa — assicurarLa, anche perchè ne informi il Santo Padre, della nostra sia pur umile collaborazione per la riuscita del grande Concilio Vaticano II.

La nostra Università che per sovrana disposizione dei Sommi Pontefici si trova in una situazione di privilegio, deve vedere la sua missione in una luce universale, e perciò vorrebbe vivere le sue responsabilità nella certezza che, sotto la guida illuminata del Sommo Pontefice, saprà attuare la sua missione nel mondo.

Ill.mo e Rev.mo Monsignore, approfitto dell'occasione per rinnovarLe i sensi della mia ammirazione e del mio augurio, con i quali sentimenti Le porgo vivissimi ossequi

dev.mo
ANTONIO PIOLANTI
Rettore

FACULTAS THEOLOGICA

REVELATIO CHRISTIANA ET CULTURAE ORIENTALES

Problema adaptationis in Evangelii praedicatione et cleri institutione

(P. Dezza, S. I.)

Ex fide constat religionem a Christo revelatam omnibus hominibus cuiuscumque generis, nationis atque culturae destinatam esse atque Ecclesiam a Christo conditam ita supernationalem esse ut nulli genti exclusive pertineat, neque uni magis quam alteri, sed omnibus pari iure sit propria ac nullibi extera dici possit.

At pariter historice constat christianam religionem in mediterraneis oris ortam esse ibique Christum pro suo Vicario sedem elegisse atque Ecclesiam in occidentalis orbis parte ita propagatam esse, eius culturam intime assimilando, ut tota occidentalis cultura spiritu christiano paulatim imbuta fuerit ac latinae gentes, sive in Europa sive extra Europam degentes, non obstantibus tot saeculorum eventibus, christianae usque permanserint Romanae Ecclesiae unitae.

Idem dici nequit de gentibus quae ad alias culturas pertinent, praesertim in Asia et in Africa, ubi Ecclesia Christi, etiam post plura praedicationis saecula, valde minor pars est. Cuius facti causas, cum ex imperscrutabili divinae providentiae consilio imprimis pendeant, plane cognoscere neque audemus neque possumus. At licitum, immo debitum est iis qui christianae praedicationis officium habent, studiose inquirere num lentus christianae propagationis progressus, cum non ex divinae virtutis Evangelii defectu proveniat, nostrae culpae saltem ex parte tribuendus sit.

Quae culpa inde etiam fortasse oritur quod in Evangelii praedicatione et evangelicorum praeconum institutione non semper adfuerit illa tam viva ac prompta adaptatio, quae mira apparet in primaeva Evangelii praedicatione et apostolorum formatione, necnon apud optimos, etsi non omnes, labentibus saeculis Evangelii praecones.

Etenim haud raro accidit quod missionarii, ex antiquis regionibus christianis ad novas accedentes, simul cum doctrina christiana nimia elementa cum christianismo non necessario connexa afferrent, nec satis callentes linguam, culturam, historiam et religionem illarum gentium, immo ea omnia interdum despicientes, quemdam christianismum occi-

dentalem proponerent qui conversionibus difficultates causaret, quasi, ut quis christianus fieret, iis quae bona et nobilia in propria natione habentur renuntiare deberet ac patrias traditiones veluti negare alienamque agendi rationem induere etiam in externo orandi modo. Unde etiam periculum oriebatur ne christianismus veluti externa vestis superimposita maneret, nec principium internum fieret quod intimam mentalitatem et vitam penetraret ac veluti fermentum totam massam pervaderet atque transformaret.

Pariter in cleri auctochthoni institutione, simul cum optimo formationis clericalis nucleo, plura elementa, natura sua accidentalia et origine occidentalia atque alumnis minus accomodata, coniuncta sunt et tradita a magistris occidentalibus illarum regionum non satis gnaris; generatim vero tamquam libri textus usurpabantur occidentales libri, diversa mentalitate ac praeoccupatione conscripti; sic alumni studiorum cursum explebant nimis occidentales quodammodo facti ac veluti exteri in propria patria ideoque minus apti ad suae gentis problemata intelligenda atque opportunas solutiones iis inveniendas.

Quae omnia ansam dederunt non christianis ad religionem christianam cum cultura occidentali identificandam, ad praedicationem christianam veluti intellectualis colonialismi speciem ex parte Occidentis in Oriente concipiendam, et inde, nationalismo illorum populorum in dies crescente, ad religionem christianam inter elementa adnumeranda quae, utpote occidentalia, iam abicienda et expellenda sunt.

Haec tamen exaggeranda non sunt, cum recentiore praesertim tempore et in doctrinalibus documentis (cf. v. g. *Maximum Illud, Evangelii Praecones, Princeps Pastorum*) ab Ecclesia vera principia exposita sint, et in pastorali ministerio multae accommodationes factae sint; immo interdum in contrariam partem etiam exaggeratum est tum quoad doctrinam, theoriis indulgendo quae synchretismum sapiunt, tum practice, mores suscipiendo qui paulatim insueti apud ipsos orientales fiunt ob maiorem in dies propensionem ad quamdam uniformitatem cum Occidente in externa se gerendi ratione.

At mentalitas, cultura, traditio, praesertim apud populos antiquissimae culturae, diversae sunt et manent, nec mutatio brevi tempore praevidenda, immo forsan neque optanda vel fovenda est. Quare grave nunc quoque Evangelii praeconibus officium incumbit problemata adaptationis, tum in Evangelii praedicatione tum in cleri institutione, serio examinandi ac solvendi secundum tutas normas a Suprema Auctoritate Ecclesiastica statuendas. Quare humiliter proponitur votum ut proximum Oecumenicum Concilium, quin ad particularia descendat, normas quasdam generales tradat, quae leges vigentes confirment, retractent, com-

pleant, secundum universaliora principia quae supra commemoravimus, nempe:

Ecclesia Christi, quamvis ex Dei providentis consilio in occidentalis orbis parte orta sit ibique centrum habeat, vere catholica seu universalis natura sua est et agnosci debet, atque ita supernationalis ut nulli nationi exclusive pertinens neque ulli nationi quovis modo extera, sed omnibus propria habenda sit.

Quare Evangelii praecones, omnibus omnia facti atque sincera caritate permoti, constanter curent immutabile Verbum Dei revelatum, modo diversarum gentium psychologiae, moribus ac traditionibus accomodato, ita proponere ut ab omnibus gentibus facilius percipi atque assimilari possit.

Ad hunc finem magis in dies assequendum, futuri Evangelii praecones ita instituantur ut, substantiali unitate clericalis formationis servata, quae ex ipsa sacerdotii unitate promanat, in litterarum cognitione, atque historiae et religionis illius nationis in qua ministerium exercere debent, tali modo proficiant quo vere apti fiant ad evangelicum munus implendum.

DE DOCTRINA S. THOMAE IN SCHOLIS CATHOLICIS PROMOVENDA

(C. Fabro, C. P. S.)

I

Theologiae collapsus eiusdemque impugnatio saeculo XIX ineunte

Neminem latet quam gravi doctrinarum confusione detinerentur saeculo elapso scholae catholicae propter impetum philosophiae modernae quem haud raro ipsi magistri ecclesiastici patiebantur. *Principium immanentiae* sive conscientiae humanae absoluta autonomia in duplicem contrariam viam mentes impellebat vel ad *irrationalismum* fideisticum inclinando, prout cuiusvis veritatis criterium ratione obiecta ad interiorem sensum vel voluntatis optionem deferrebatur, vel *rationalismum absolutum* amplectendo qui rationis iura supra fidem ac divinum Ecclesiae magisterium temere exaltabat. Praecursor et dux infestus utriusque directionis haberi potest *Kant* qui contra rationalismum dogmaticum saeculorum XVII-XVIII affirmaverat ex una parte: « Debui *scientiam* tollere ut *fidei* locum *praeberem* » et ex alia « fidem rationalem » vel mo-

ralem supra revelatam seu ecclesiasticam (« statutariam » secundum Kant) laudaverat.[1]

Hinc inquietudo profunda oriebatur quae animos in appositas directiones pulsabat: quidam enim principio moderno autoconscientiae adhaerentes principium ipsum auctoritatis Dei revelantis et Ecclesiae veritatem proponentis despiciebant quasi humano progressui atque modernae speculationi infertum, quidam e converso concordiam plane philosophiam modernam inter et catholicam veritatem illico ventitabant, scholasticae theologiae non secus ac primi irridentes. Etenim sicut post mortem *Hegelii* (1831) iam in theologia protestantica sic dicta « dextera directio » quae idealismum cum veritate christiana conciliare moliebatur (Michelet, Rosenkranz, Hinrichs, Martensen, Erdmann...) et liberalismo theologico seu laicismo viam aperiebat, pariter quidam catholici praesertim ex iis qui publicis universitatibus doctrinam agebant — principium modernum immanentiae quam maxime aptum ad veritatem revelatam exprimendam aperte iam profitebantur. Deficiebat ipsis vel recta naturae et rationis notio vel fidei apta existimatio quia dereliquerant Magistrum ipsum harmoniae fidem inter et rationem, *Divum scilicet Thomam Aquinatem, quem iam Iohannes XXII* anno 1323 inter Sanctos recensendo super omnes Ecclesiae magnificaverat: « *Nos credimus quod frater Thomas est gloriosus in caelo, quia vita eius fuit sancta et doctrina eius non potuit esse sine miraculo... Quia ipse plus illuminavit Ecclesiam quam omnes alii doctores, in cuius libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae* ».[2]

Spiritus veritatis, qui Ecclesiam suam in Christi amore custodit et fieri nobis dignatus « via, veritas et vita » (*Io.* 14, 6), lumen suum in Christi Vicarios atque S. Petri successores, profundens tam gravem fidei iacturam tamque periculum arcere misericorditer dignatus est: cuius gravitas in fide labefactanda non secus quippe est censenda ac haeresis ariana saec. IV vel apostasia reformatorum saec. XVI. Utriusque filia quodammodo, utriusque errores in se cumulabat haec « via nova » quae fracturam insanabilem inter traditionem fidei et naturalem rationem profitebatur.

Supremi huius magisterii auctoritatem et vim Romani Pontifices per

---

[1] Cf. KANT, *Kritik der reinem Vernunft,* Vorrede zur zweiten Auflage, B. XXX; ed. R. Schmidt, Leipzig 1930, p. 28; *Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft,* III Stück, §§ 5-7, A 137, B 145 ss.; ed. Vorländer, Leipzig 1937, p. 117 ss.

[2] G. DE TOCCO, *Vita S. Thomae Aq.* c. 70, 12, in « Fontes vitae S. Thomae », ed. D. Prümmer, Tolosae 1911, p. 148 s.

duas phases manifestam fecerunt: *defensiva* una, errores ipsos declarando et impugnando — in qua praestat opera Gregorii XVI et Pii IX; [3] *constructiva* alia, quae veritatis catholicae expositionem ad purum tramen principiorum Angelici Magistri Thomae Aquinatis adducere firmis propositis statuit — in qua excelluit opera praesertim *Leonis XIII* ac *S. Pii X,* quam eorum successores firmiter confirmare et renovare impigre non destiterunt.

Talium ac tantorum Ecclesiae Summorum Pontificum operam ad Thomismum restaurandum liceat recolere in pervigilio S. Concilii Vaticani II a Ioanne XXIII f. r. solemniter indicti qui apud Pontificiam Laterani Universitatem medullam thomisticae veritatis alumnus hausit et illustravit magister.

II

Thomismi instauratio in Scholis Catholicis opera SS. Pontificum

Thomismi instaurationi, quam Summi Pontifices exeunte saeculo XIX et saeculo nostro percurrente fortiter in Ecclesia promoverunt, agnoscenda videtur praeservatio doctrinae catholicae in Universitatibus et Seminariis ne in pestem dilaberentur modernisticam ita ut « principii immanentiae » praeda fierent, prout e contra accidit et etiam nunc fit apud scholas protestanticas universas, non exclusa sic dicta *Theologia dialectica* a K. Barth propugnata quaeque a criticis ut magis orthodoxa habetur.

Thomismi instaurationem illustrare conabimur per ipsa praecipua pontificia documenta quae in Angelici Magistri honorem et commendationem insigne extruunt argumentum et monumentum.[4]

---

[3] A Gregorio XVI damnati sunt errores theologi kantianizantis G. Hermes (Denzinger 1618-1621), Lamennais (Denz. 1613-1616), traditionalistae Bautain (Denzinger 1622-1627); a Pio IX errores traditionalistae Bonetty (Denzinger 1649-1652), theologi Hegeliazantis A. Gunther (Denzinger 1655-1658), Ontologistarum (Denzinger 1659-1665), necnon acerrimi antithomistae et praecursoris modernismi Iac. Frohschammer (Denzinger 1668-1679) qui errores Hermesianos et Guntherianos renovavit atque primus Enc. leoninam *Aeterni Patris* impugnavit aperte opere nefasto: *Die Philosophie des hl. Thomas von Aquin Kritisch gewürdigt,* Brockhaus, Leipzig 1889.

[4] Documenta accipiuntur ab opere monumentali J.-J. Berthier, *S. Thomas Aquinas, Doctor Communis Ecclesiae,* I, Romae 1914.

ACTA LEONIS XIII

hic gloriosus Pontifex haberi potest in aetate moderna
ut authenticus vindex et firmissimus initiator thomismi

A) *Litt. Enc.* « *Aeterni Patris* » (datae die 4 augusti 1879).

Litterae hae celeberrimae inscribuntur: « *De philosophia christiana ad mentem S. Thomae Aquinatis Doctoris Angelici in scholis catholicis instauranda* ». Ubi titulus ipse programma et mentem S. P. clare exprimit: en praecipua puncta huius splendidi documenti qui programma thomisticum exhibet verbis ipsis Angelici Doctoris expressum.

1. Summus Pontifex, divina assistentia atque providentia fretus de divina veritate in Ecclesia servanda mentem suam aperiens, *colluviem errorum denuntiat quam novissimis temporibus moderni philosophi praesertim contra fidei veritatem atque concordiam rationis fideique moliri non cessarunt.* Perperam tamen: « Non enim frustra rationis lumen humanae menti Deus inseruit; et tantum abest ut superaddita Fidei lux intelligentiae virtutem extinguat aut imminuat, ut potius perficiat, auctisque viribus habilem ad maiora reddat » (p. 180).

2. *Etenim philosophia quae sana sit atque naturali rationi consentanea, quin sit fidei infensa, naturalem ad fidei* viam pandit, obstacula removendo atque iter parando et pro modulo suo *apte fidei veritates declarando*: « Ac primo quidem Philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram Fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter praeparare: quamobrem a veteribus modo praevia ad christianam Fidem institutio », modo « christianismi praeludium et auxilium », modo « ad Evangelium paedagogus » non immerito appellata est (p. 180).

3. Constat enim, pergit S. Pontifex, *Ecclesiae Patres atque Doctores iam a primaeva aetate harmoniam atque collaborationem celebrasse fidem inter et rationem,* quodque ipsa ecclesiastica Concilia praesertim oecumenica apprime testantur usque ad I Concilium Vaticanum cuius sunt verba: « Fides rationem ab erroribus liberat ac tuetur, eamque multiplici cognitione instruit ».[5] Unde ethnici philosophi, qui veritatis revelatae auxilio destituebantur, in plurimos lapsi sunt errores nec veritatis plenitudinem nancisci potuerunt: « ...de vera divinitatis ratione, de prima re-

[5] Conc. Vatic., Sess. III, c. 4, *De fide et ratione;* Denz. 1799.

rum origine, de mundi gubernatione, de divina futurorum cognitione, de malorum causa et principio, de ultimo fine hominis aeternaque beatitudine, de virtutibus et vitiis, aliisque doctrinis, quarum vera certaque notitia nihil magis est hominum generi necessarium » (p. 185).

4. Unde bene intelligitur, prosequitur S. P., cur in veritatis agnitionem magis ac magis creverint Ecclesiae Patres, cum Graeci tum Latini, inter quos eminet D. Augustinus. Scholasticorum Doctorum vero proprium fuit munus accuratiorem idearum elaborationem ac methodi rationem provehere in exponendis his quae a Patribus fuerunt. *Scholasticorum Doctorum omnium Summus habendus est Thomas Aquinas,* qui revera « inter scholasticos Doctores, omnium princeps et magister longe eminet ».

5. *Ad Angelici Doctoris meritum praecipue pertinet accuratior distinctio fidei et rationis ita quod utraque mutuo adiuvetur ad veritatem naturalem seu revelatam inveniendam vel declarandam atque firmandam:* « Illud etiam accedit, quod philosophicas conclusiones Angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis, quae quam latissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda » (p. 189).

6. *Hanc efficaciam Thomismi peculiarem in veritate catholica defendenda ac explicanda summo encomio celebrat* exultans S. Pontifex: « Quam philosophandi rationem cum in erroribus refutandis pariter adhibuerit, illud a se ipse impetravit; ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit. Praeterea rationem, ut par est, a Fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tum iura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere; neque Fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari, quam quae iam est per Thomam consecuta » (p. 189).

7. *Aquinatis Summae laudis est quod fere omnes Universitates, plerique Summi Pontifices, Oecumenica Ecclesiae Concilia atque praesertim Tridentini Patres magni et eius doctrinam fecerint eamque enixe commendaverint:* « Sed haec maxima est et Thomae propria, nec cum quopiam ex doctoribus catholicis communicata laus, quod Patres Tridentini, in ipso medio conclavi ordini habendo, una cum divinae Scripturae codicibus et Pontificum Maximorum decretis, *Summam* Thomae Aquinatis super altari patere voluerunt, unde consilium, rationes, oracula peteren-

tur » (p. 191). Nec mirum proinde si Novatores contra Thomam eiusque doctrinam numquam usque ad praesentes dies pugnare destiterint, sicut maximum catholicae veritatis propugnaculum.

Propositum suum firmiter contrahens, haec in conclusione S. Pontifex statuit:

8. *Eminentiam ipsius doctrinae thomisticae in Ecclesia*: « Caeterum, doctrinam Thomae Aquinatis studeant magistri, a vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare, eiusque prae caeteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant » (p. 194).

9. *Necessitatem attingendi doctrinam thomisticam directe in operibus S. Thomae*: « Ne autem supposita pro vera, seu corrupta pro sincera bibatur, providete ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur, aut saltem ex iis rivis, quos, ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est: sed ab iis, qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate » (p. 194 s.).

10. *Necessitatem inspiciendi S. Thomam sicut virtutum proprium Magistrum ac exemplar* »... qui numquam se lectioni aut scriptioni dedit nisi propitiato precibus Deo; quique candide confessus est quidquid sciret, non tam se studio aut labore suo sibi peperisse, quam divinitus accepisse » (p. 195 ss.).

B) *Dispositiones Leoninae praecipuae pro efficaci thomismi instauratione.*

1. *Fundatur Pont. Academia S. Thomae Aq. de Urbe* ad philosophiae thomisticae studium promovendum atque dilatandum (*Epist. ad Card. De Luca,* die 15 oct. 1879), eique Commissionem trium Cardinalium S. P. praesidere vult.

2. *Statuitur necessitas novae Editionis criticae* Operum Angelici Doctoris quam S. P. suis sumptibus munire intendit et sodalibus Ord. Praedicatorum committit.

3. Die 4 augusti 1880, anno primo recurrente ab Enc. *Aeterni Patris,* Doctor Angelicus *declaratur coelestis Patronus omnium Scholarum catholicarum* (Breve: *De Sancto Thoma Aquinate studiorum optimorum cooptando*).

4. Eodem anno, movente S. Pontifice, *instituitur* apud Univ. Cath. Lovaniensem *Institutum superius Philosophiae S. Thomae* quodque anno 1882 ope Can. D. Mercier suam activitatem exercere cepit.

5. Litt. Enc. *Depuis le jour* ad Clerum Galliae, d. 8 sept. 1899 seu XX anniversario post datas Litt. Enc. *Aeterni Patris,* S. Pontifex ad philo-

sophiam modernam apte diiudicandam et firmiter arcendam *a Seminariis et Universitatibus Catholicis* (unde paucos post annos « Modernismum » ortus est) *philosophiam thomisticam sequi decernit.*

6. Dubitatum non est Leonis XIII mentem fuisse ut *Angelicus Doctor* ab omnibus cuiusvis religiosi Ordinis sodalibus Magister habeatur. Unde et ipsos Franciscanos famosis hisce verbis alloquutus est: « *Discedere inconsulte ac temere a sapientia Doctoris Angelici res aliena est a voluntate nostra, eademque plena periculis...* Sanctum itaque sit apud omnes beati Francisci alumnos Thomae nomen: vereantur non sequi ducem quem bene scripsisse de se Iesus Christus testabatur » (Litt. ad Ministrum Gen. Ordinis, die 27 nov. 1898).[6]

ACTA S. PII X (1903-1914)

Actio Leonis XIII pro Thomismo instaurando ad duo maxime et firmiter intendebat:

a) *Doctorem Angelicum Scholarum Catholicarum omnium* patronum *atque* magistrum unicum *declarare.*

b) *Philosophiam thomisticam ab* omnibus *amplectendam esse.*

Hancque viam secutus est pari vigore Successor eius Angelicus Pontifex S. Pius X, qui iam ut Episcopus Mantuanae dioeceseos et Patriarcha Venetiarum praescriptiones Leoninas fidelissime exsecutus fuerat utramque Angelici Summam ipsemet aliquando explicando ad Seminarii sui alumnos.

Acta huius S. P. pro instauratione Thomismi promovenda videntur praescriptiones leoninas clarius aperire hoc sensu praeciso ut *Doctrinam ipsam thomisticam secundum characterem proprium et distinctivum,* praeter scholasticam quamdam genericam vel ambiguam, *commendare intendunt.* Ad hoc contulit amor S. P. erga S. Thomam atque collaboratio assidua quam ei dabant optimi quique thomistae (Billot, Mattiussi, Tabarelli, Lorenzelli, Hugon...) atque progressus in investigatione historica de formatione et originalitate thomismi (Ehrle, Denifle, Mandonnet, Grabmann...).

2. *Modernismi* lue fere ubique grassante, monet S. Pontifex ad phi-

---

[6] S. Pontifex, ut ambiguitatem omnem fugeret et thomismum authenticum servaret, quaestionem Rosminianam — iam a Pio IX tactam — reassumpsit et die 14 dec. 1887 per Decretum S. Officii 40 Propositiones ex Rosmini scriptis excerptas damnari iussit « in proprio sensu Auctoris » (Denz. 1891-1930).

losophiam S. Thomae, non ad cuiuscumque ex Scolasticis doctoribus doctrinam, esse redeundum: « *Quo rei caput est, Philosophiam Scholasticam quam sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus quae a S. Thoma Aquinate est tradita, de qua quidquid a Decessore nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et quatenus opus sit, instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus* ».[7]

3. *Motu proprio Doctoris Angelici,* d. 29 iun. 1914, qui Actus solemnior iure censetur inter omnes qui ab Apostolica Sede nostra aetate sunt editi pro Thomismo in Ecclesia instaurando, S. Pontifex explicite ibi declarat:

a) Adverbium *praecipue* in Enc. *Pascendi* adhibitum pro commendatione doctrinae thomisticae acceptandum *sensu stricte exclusivo,* semotis aliis Scholasticis si doctrinae thomisticae adversentur.

b) *Valorem permanentem praescriptionum tum a Leone XIII tum a seipso datarum* sive pro Universitatibus, sive pro Seminariis et religiosis Ordinibus.

c) *Thomismi efficaciam ad modernos errores profligandos,* praesertim *Materialismi, Monismi, Pantheismi, Socialismi, Modernismi* cuiusvis generis.

d) *Textum ufficialem in Facultatibus Theologiae unicum adhibendum* esse *Summam Theologicam D. Thomae.*

4. Die 27 iul. 1914 *XXIV Theses thomisticae* a S. Congr. Stud. adprobantur et iussu S. P. eduntur, ut firma norma thomismi speculativi ad omnibus retinenda.

BENEDICTUS XV (1914-1922)

Qui pontificatum gessit primo bello mundiali flagrante, totam activitatem suam atque sollicitudinem ad offensas bellicas minuendas et ad iura per bellum collapsa reparanda intendit. Constat tamen mentem eius benigne fuisse affectam ad Angelici Doctoris doctrinam eamque firmiter commendasse.

1. Die 31 dec. 1914: Motu Proprio *Non multo* de commendatione finis et activitatis Acad. Rom. S. Thomae Aquinatis a Leone XIII fundatae.

2. Die 7 martii 1916 Responsio S. Congr. de Sem. et Univ. circa sensum et valorem XXIV thesium S. Pii X auctoritate editarum.

---

[7] *Acta Sanctae Sedis,* 1907, p. 640.

3. Promulgatio anno 1917 Codicis Iuris Canonici (iam iussu S. Pii X incepti et parati) ubi habetur *praescriptio ufficialis de thomismo in scholis Ecclesiae sequendo.*

Can. 1366, § 2: « *Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant* ».

Can. 589, § 1: « *Religiosi in inferioribus disciplinis rite instructi, in philosophiae studia saltem per biennium et sacrae theologiae saltem per quadriennium, doctrinae S. Thomae inhaerentes ad normam can. 1366, § 2, diligenter incumbant, secundum instructionem Apostolicae Sedis* ».

PIUS XI (1922-1938)

1. Litt. Enc. *Studiorum Ducem,* d. 29 iun. 1923, pro VI Centenario Canonizationis S. Thomae datae, quae praescriptiones Leonis XIII, S. Pii X et *C.I.C.,* stricte in Scholis catholicis observandas iubet.

2. Constitutio Apostolica « *Deus scientiarum Dominus,* d. 24 maii 1931, praescribit:

Art. 29 a: « In facultate theologica principem locum teneat sacra Theologia. Haec autem disciplina methodo cum positiva tum scolastica tradenta est; ideo, veritatibus Fidei expositis et ex sacra Scriptura et Traditione demonstratis, earum veritatum natura et intima ratio ad principia et doctrinam Sancti Thomae Aquinatis investigentur et illustrentur ».

Art. 29 b: « Philosophia scolastica tradatur eaque ita ut auditores plena coherentique synthesi doctrinae ad methodum et principia Sancti Thomae Aquinatis instituantur. Ex hac autem doctrina diversa philosophorum systemata examinentur et diiudicentur » (p. 77).

PIUS XII (1939-1958)

Documentum magis insigne videntur Litt. Enc. *Humani Generis,* d. 12 aug. 1950, contra atheismum, materialismum historicum atque dialecticum, existentialismum atheisticum... nostri temporis.

Post declaratum valorem rationis quae praeambula fidei per prima principia demonstrare valet atque per signa divina ipsa fundamenta fidei christianae invincibiliter certificat, laudat S. Pontifex « sanam philosophiam » quae superiorem obtinet certitudinem prout ab Ecclesia as-

sumpta fuit ad veritatis divinae declarationem eaque in sua perenni veritate ulterius perficienda atque ad temporum novas conditiones aptanda.

Deinde pronuntiatur encomium solemne doctrinae Doctoris Angelici: « *Quae si bene perspecta fuerit, facile patebit cur Ecclesiae exigat ut futuri sacerdotes philosophicis disciplinis instruantur ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia* » (*C.I.C.*, can. 1366, 2), *quandoquidem plurium saeculorum experientia probe noscit Aquinatis methodum ac rationem sive tironibus erudiendis, sive in absconditis veritatibus pervestigandis, singulari praestantia eminere; ipsius autem doctrinam cum divina* revelatione *quasi quodam concentu consonare, atque ad fidei fundamenta in tuto collocanda efficacissimam esse, necnon ad sani progressionis fructus utiliter et secure colligendos* ».[8]

Sequitur firma reprobatio illorum qui hanc despiciunt philosophiam: « *Hac de causa quam maxime deplorandum est, philosophiam in Ecclesia receptam ac agnitam hodie a nonnullis despectui haberi, ita ut antiquata quoad formam, rationalistica, ut aiunt, quoad cogitandi processum, impudenter renuntietur. Dictitant enim hanc nostram philosophiam perperam opinionem tueri metaphysicam absolute veram exsistere posse; dum contra asseverant res, praesertim transcendentes, non aptius exprimi posse, quam disparatis doctrinis, quae sese mutuo compleant, quamvis sibi invicem quodammodo opponantur* » (l. c.).

Contrarium e contra est affirmandum: « *Quare philosophiam nostris traditam scholis, cum sua lucida quaestionum descriptione ac solutione, cum accurata sua notionum determinatione clarisque distinctionibus, utilem quidem esse posse concedunt ad propaedeusim scholasticae theologiae, mentibus hominum medii aevi egregie accommodatam; non tamen praebere philosophandi rationem, quae hodiernae nostrae culturae ac necessitatibus respondeat* » (l. c.).

Laudat deinde S. Pontifex Doctorem Angelicum propter egregiam doctrinam circa habitudinem voluntatis ad intellectum in ordine supernaturali:

« *Immo Doctor Communis censet intellectum altiora bona ad ordinem moralem sive naturalem sive supernaturalem pertinentia, aliquo modo percipere posse, quatenus experiatur in animo affectivam quamdam* connaturalitatem *cum eiusdem bonis sive naturalem, sive dono gratiae additam;* (cf. S. Thom., *Summa Teol.*, II-II, quaest. 1, art. 4 ad 3 et quaest. 45, art. 2, in c.) *ac liquet quantopere vel subobscura huiusmodi cognitio investigationibus rationis auxilio esse valeat* » (p. 574).

---

[8] *A.A.S.*, 42 (1950), p. 573.

Haec declarare voluit S. Pontifex ad errores nostri temporis fugandos: « *Quae omnia ut Decessorum Nostrorum Leonis XIII et Pii X aperte adversantur, ita cum Concilii Vaticani decretis componi nequeunt. Has quidem a veritate aberrationes deplorare supervacaneum esset, si omnes, etiam in rebus philosophicis, qua par est reverentia ad Magisterium Ecclesiae animum intenderent, cuius profecto est, ex divina institutione, non solum veritatis divinitus revelatae depositum custodire et interpretari, sed ipsis etiam philosophicis disciplinis invigilare, ne quid detrimenti ex placitis non rectis catholica patiantur dogmata* » (p. 575). Quae omnia in laudem et commendationem Doctoris Angelici esse nemo est qui possit negare.

III

Conclusio

De mente S. S. Pontificum pro Thomismo instaurando

Firmiter constat exinde S. S. Pontifices nostri temporis, ad tantam veritatis christianae iacturam reparandam, S. Thomae Aq. doctrinam et exemplum proposuisse, quam non qualemcumque sive genericam sed sensu stricto sumendam esse oportet. Eminet praesertim firmissima mens S. Pii X, qui rem semel pro semper diiudicavit in Litt. Enc. *Sacrorum Antistitum* (d. 1 sept. 1910); mandatum Litt. Enc. *Pascendi* fere iisdem verbis renovavit: « *Ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus, ut philosophia scolastica* studiorum sacrorum fundamentum ponatur... Quod rei caput est, *philosophiam scholasticam quam sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus, quae a Sancto Thoma Aquinate est tradita; de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et, qua opus sit, instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus* ».

Ne quis autem sensum adverbii « praecipue » traheret extra locum suum ut Thomismum sensu generico acciperet prout S. Thomae doctrina cum aliis Scholasticis inveniretur conformis, S. Pontifex firmiter et auctoritative declarare voluit: « Iam vero, cum dictum hoc loco a nobis esset " praecipue " Aquinatis sequendam philosophiam, non unice, nonnulli sibi persuaserunt nostrae sese obsequi aut certe non refragari voluntati, si quae unus aliquis e Doctoribus scholasticis in philosophia tradidisset quamvis principiis Sancti Thomae repugnantia, illa haberent promiscua ad sequendum. At eos multum animus fefellit. *Planum est, cum praecipuum nostris scholasticae philosophiae ducem daremus Thomam,*

nos de eius principiis maxime hoc intelligi voluisse, quibus, tamquam fundamentis, ipsa nititur ».

Quae S. Pontificis admonitio magis ac magis in dies ab omnibus urgenda est cum constet non modo ex altero fronte seu modernae philosophiae insolentior fieri impugnatio contra veritatis christianae fundamenta (Eucken, Rougier, Saitta...), sed ab ipsis quibusdam catholicis principiis modernis adeptis Angelicum Doctorem aperte impugnari eique « principium immanentiae » impudenter opponi (v. gr. I. Hessen presb. dioec. Coloniensis. Orteghiani catholici in Hispania, Spiritualistae christiani in Italia, G. Bontadini in Univ. Cath. Mediol., H. Duméry in Gallia — qui damnatus fuit — aliique hinc inde plurimi quorum longus esset sermo). Unde « linguarum confusio » sine fine, praesertim apud laicos cultos et iuvenes Sacerdotes qui novum aerem respirare eligunt, sobriam viam metaphysicae thomisticae ignorantes ac spernentes.

Adest ergo *periculum in actu, immo fractura iam facta conspicitur* in vita Ecclesiae nostri temporis cum *duae viae* conspiciantur; *alia pro clericis* in Seminariis qui thomismum sequi tenentur, *alia pro laicis catholicis* qui saepe sequi relinquuntur principium et methodum immanentiae. Cuius situationis quale sit periculum et qualis exitus non solum in expositione dogmatis sed et in vita ethica, sociali et politica, nemo est qui non videat (in Gallia, Italia, Hispania...).

Situatio ergo nostri temporis, si illam firma facie spectare volumus, eadem fere apparet ac illa quae Conc. Vaticanum I praecessit:

eadem acceptatio diffusa principii ac methodi immanentiae,
eaedem negationes de valore ac vi naturalis rationis,
eadem negatio de distinctione ac harmonia fidem inter et rationem,
eaedem fere tendentiae irrationalisticae et rationalisticae mutato nomine,
eadem lucta et aliquando aperta oppugnatio contra doctrinam thomisticam.

DE GENUINO THOMISMO SEQUENDO IUXTA PONTIFICIAS NORMAS PROPOSITIONES QUAEDAM

1. Ad instar Litt. Enc. *Aeterni Patris, Pascendi,* vel Motu Proprio *Doctoris Angelici, Documentum aliquod Solemnis magisterii detur de Thomismo intelligendo atque servando,* aperiendo novos errores nostri temporis sive apud atheos sive apud sic dictos « spiritualistas christianos » (in Gallia, Italia, Hispania...) qui proficientes a principiis et methodo idealismi putant Christianam veritatem salvare immo melius, aiunt, quam philosophia thomistica efficere possit.

2. *Praescriptio can. 1366, § 2 compleatur, illam extendendo expresse ad Universitates et Facultates Catholicas, nec non ad Instituta Superiora cuiusvis ordinis vel gradus.*

3. *Theses XXIV a S. Congr. Studiorum anno 1914 publicatae* in vigore restituantur atque, iuxta recentiora studia critico-historica, illae quae tamquam magis characteristicae habentur (v. g. *doctrina actus et potentiae, unitas formae substantialis, distinctio essentiae et esse, quinque viae ad Dei existentiam probandam...* in metaphysica) ad profundiorem investigationem destinentur.

DE MOMENTO THEOLOGIAE BIBLICAE

(Th. Garcia, O. F. M.)

Theologia Biblica est illa disciplina — intra vastissimum ambitum studiorum biblicorum —, quae studet investigationi scientificae et expositioni systematicae religionis revelatae, quatenus in Sacra Scriptura habetur, tam quod attinet ad dogmata fidei quam ad regulas morum. Ideo est scientia subsidiaria theologiae tum dogmaticae tum moralis; praebet enim eis argumentum praecipuum, ex auctoritate irrecusabili S. Scripturae.

A) *Origo et dignitas Theologiae Biblicae.*

Ut scientia a se, propriis utens principiis et methodo, Theologia biblica est recens, ad finem saec. XIX orta, sed nostro saeculo XX ita evoluta ut hodie dici possit eam ius plenum civitatis obtinuisse inter biblicas disciplinas; et copia librorum eam tractantium, sive ab auctoribus catholicis sive praesertim ab acatholicis exaratorum, in dies crescere conspicitur.

Catholicis viam praeparaverat Leo XIII notis illis verbis Enc. *Providentissimus Deus* (18 nov. 1895): « maxime optabile est et necessarium ut... divinae Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam, eiusque prope sit anima »: et adducto exemplo Patrum et praeclarissimorum theologorum qui id cum magno fructu semper praestiterunt, dicit: « tam insignis locus inter revelationis fontes divinis Libris debetur, ut nisi eorum studio usuque assiduo nequeat theologia rite et pro dignitate tractari »; et insuper: « gravi eruditoque theologo minime negligenda est demonstratio dogmatorum ex Bibliorum auctoritatibus ducta » (*Ench. bibl.*, n. 144).

Pius vero XII in Enc. *Divino afflante Spiritu* (30 sept. 1943) eandem terens viam, dum proponit magistris S. Scripturae quasi programma studii biblici alumnis tradendi, dicit: « ... ostendant potissimum quae sit singulorum Librorum vel textuum theologica doctrina de rebus fidei et morum, ...ut ... theologos doctores adiuvent ad fidei dogmata proponenda, confirmandaque... » (Ench. bibl., n. 551).

Ex hoc patet in votis Ecclesiae esse ut studia biblica ordinentur tandem in hunc finem praecipuum hauriendi ex illo fonte theologicam doctrinam de fide et moribus: et hoc Ecclesiae votum concordat fini Dei Scripturam inspirantis, qui, ut dicit S. Augustinus, « noluit homines facere mathematicos sed christianos », « nec docere ea quae nulli saluti essent profutura » (*De Gen. ad litt.* 2, 9, 20: *PL.* 34, 270).

Iamvero haec doctrinae theologicae in S. Scriptura contentae collectio, enucleatio, propositio, est obiectum Theologiae biblicae.

Theologia biblica est culmen exegesis et fructus maturus eiusdem; exegesis enim quae sistat in examine philologico, critico, historico sacri textus, quin doctrinam theologicam et ideam religiosam in eo contentam intendat, « corticem rodit, medullam non attingit » (S. Greg., *Moral.* XX, 2; *PL.* 76, 149). « Pour nous chrétiens, l'exégèse historique de la Bible est sans intérêt, quand elle ne s'achève pas en théologie ou en pensée religieuse » (J. Levie, S. I., *La Bible, parole humaine et message de Dieu* », p. VIII: Paris 1958).

B) *Normae servandae.*

Sed in statuenda doctrina religiosa S. Scripturae non est leviter et arbitrario procedendum; nam fidelis custodia et authentica interpretatio S. Scripturae non theologis aut exegetis privatis commissa est, sed Ecclesiae infallibili magisterio (Enc. *Humani generis,* Ench. bibl. n. 611): ideo prima norma esse debet « sensus Ecclesiae », cum aliqua formalis declaratio iam exstet; « et pauca tantum sunt, monet Pius XII (Enc. *Div. affl. Spiritu,* Ench. bibl. n. 565), quorum sensus ab Ecclesiae auctoritate declaratus sit, neque plura ea sunt de quibus unanimis SS. Patrum sit sententia ». In his casibus ducatur exegeta aliis principiis, habita semper ratione *analogiae fidei,* ita ut veritas quam invenit vel invenisse putat, nulli veritati fidei sit contraria, sed cum omnibus consentiens (Leo XIII, Enc. *Provid. Deus* Ench. bibl. n. 109).

Cavere etiam debet exegeta qui theologiae biblicae incumbit, ne mentem suam, catechesi saeculari et theologia traditionali efformatam, velit intrudere sic et simpliciter S. Scripturae: esset enim error methodi, qui praecluderet viam cognitioni veritatis; nostra enim interest quid de

facto Scriptura doceat, non quid docere debeat iuxta nostram mentem et desiderium.

Consideranda sunt quoque adiuncta temporis et ambientis culturalis et religiosi in quo scripserunt singuli hagiographi; progressus etiam gradualis revelationis, oeconomia Legis et oeconomia gratiae; tempus praeparationis et plenitudo temporis, indoles religiosa historiae Israël, quatenus nempe est historia salutis in eo et per eum inchoatae, sed nonnisi in novo populo (Israël Dei) per Christum perficiendae. Ita mens exegetae menti hagiographi quasi incorporata, poterit de eius sententia magis obiective iudicare, et sensum eius religiosum tutius attingere, atque sic theologiam biblicam veri nominis, et non theologiam simpliciter saec. xx lectoribus offerre.

C) *Scopuli vitandi.*

In Theologia biblica vitanda sunt duo extrema pariter vitiosa: 1) eorum qui *per excessum* peccant, vel adstruentes veritates revelatas ubi non sunt, vel ultra mensuram et gradum quo sunt, non habentes rationem evolutionis gradualis revelationis, neque complexum eiusdem in integro ambitu S. Scripturae, vel respective Veteris aut Novi Testamenti, sed considerantes textus singulos extra contextum proximum et remotum: et b) eorum qui *per defectum* peccant, profitentes minimismum quemdam dogmaticum in Biblia, praesertim Veteris Testamenti, et fere nonnisi revelationem quamdam naturalem in eo admittentes, veritatum nempe quae etiam sola ratione cognosci possunt, uti exsistentia Dei, Unius, Creatoris, Providentiae, et etiam in Novo Testamento nimium restringentes sensum dictorum Christi et Apostolorum. Ita S. Scriptura esset fons valde ieiunus revelationis, et exiguae omnino utilitatis pro Theologia. At huic conclusioni obstant documenta magisterii ecclesiastici supra citata Leonis XIII et Pii XII: quomodo enim posset S. Scriptura in universam influere theologiam, eiusque esse anima, si tam paucae in ea veritates revelatae invenirentur? Pius XII in Enc. *Humani generis* (12 augusti 1950; Ench. bibl. n. 611), loquens de Scriptura et Traditione dicit: « uterque doctrinae divinitus revelatae fons *tot tantosque continet thesauros veritatis,* ut numquam reapse exhauriantur ». Accedit quod doctrina revelata potest esse talis non solum explicite, *sed etiam implicite,* uti constat ex magisterio Ecclesiae, ideoque ditescit thesaurus veritatum quas Theologia biblica, semper iudicio Ecclesiae, « cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione S. Scripturae », considerare debet.

Media itaque via tenenda est, et obiective procedendum; hinc qui-

dem parcendo exaggerationibus, (quae iam feliciter obsoleverunt), illinc vero vitando minismismum quorumdam, etiam catholicorum, qui doctrinam religiosam Sacrae Scripturae praeter rationem restringunt.

D) *Sanctitas et dignitas Veteris Testamenti vindicanda.*

Dolendum est V. Testamentum in magnam abiectionem apud multos decidisse, et haberi ut inutile ob absentiam doctrinae quae hodie valeat, aut quod peius est, ut damnosum et scandalum faciens, propter facta immoralia quae narrat, propter crudelitates a Deo ipso iussas, cum occisione innocentium, propter odium inimicorum (non quidem praeceptum sed de facto vigens), propter imprecationes malorum in hostes populi, et vel in hostem personalem, etc.

Haec exhibitio pessimistica V. Testamenti, quae systematica fuit apud Germanos « nazismo-razzismo » infectos, et hodiedum apud quosdam, etsi mitigata, perdurat, magno dedecori est Libro divino et religioni revelatae: quapropter nequaquam est toleranda, sed omni nisu impugnanda.

Quod ut fiat efficaciter, debet Theologia biblica imprimis offerre solutiones rationabiles harum difficultatum quae contra V. Testamentum obiciuntur, quaeque reales sunt; et via sic complanata, ostendat deinde thesauros doctrinae religiosae ibi a Deo positos, et sapienti oeconomia moderatos; exhibeat Vetus Testamentum tamquam praeparatorium temporis melioris, perfectioris, temporis nempe messianici. Proinde munus speciale quod Theologia biblica hodierna sibi proponere debet, est: « reaffirmare valorem religiosum V. Testamenti, et perennem eius actualitatem in multis »; fovere eius existimationem, praeprimis qua Libri divinitus inspirati, divinam revelationem sine errore continentis, deinde etiam qua libri praeclaris dotibus humanis instructi, et cuilibet homini probo se commendantis; puta, ob eius antiquitatem, ob probitatem historicam, ob litterariam pulchritudinem, etc.: difficultates cuiuslibet generis, maxime ordinis moralis, obiective ponderentur, et, quoad licet, solvantur. Exhibeatur, ut scandalum in divinam potius laudem convertatur, divina condescendentia (*synkatabasis*) in sustinenda humana infirmitate, qua voluit se accommodare moribus rudioribus illius populi quem sibi elegerat, quemque volebat ut esset trames salutis omnibus hominibus (« salus ex Iudaeis est », *Io.*, 4, 22): hanc educationem filii sui Israël non praebuit Deus iam ab initio perfectam, sed gradatim, temperando doctrinam sive dogmaticam sive moralem capacitati culturali et ethicae populi, quae paulatim progressu temporis se elevabat, usquedum pervenit ad illum gradum praefinitum a Patre: tunc demum, plenitudine temporum adveniente, Christus, Verbum Patris, Re-

velator, et filius illius populi, perfectam attulit revelationem dogmaticam et moralem, et salutem « multifarie multisque modis » per Prophetas annuntiatam operatus est.

E) *Revelatio biblica in praehistoria populi Israël.*

Ad hanc condescendentiam et divinam paedagogiam pertinet quoque modus ille primitivus, simplex, popularis tradendi revelationem praesertim in prioribus XI capitibus Genesis, adeo vexatis quoad eorum valorem historicum et religiosum, ut in eorum interpretatione, vel inter ipsos catholicos, insignis confusio vigeat, cum tamen certum sit in ipsis narrari facta quae « christianae religionis fundamenta attingunt » (Ench. bibl., n. 338, 581); ideoque eorum studium non possit sine detrimento religionis parvipendi, quinimmo omni nisu illud prosequi oportet, donec plena lux fiat. Ad hoc movere etiam nos debet critica fidelium conditio, qui superficiali tantum de his quaestionibus cognitione praediti, scire desiderant et continuo interrogant quid de singulis ibi narratis debeat teneri. Ne spes eorum iusta defraudetur, cum periculo amittendi fidem de auctoritate S. Scripturae et reverentiam ipsi debitam, congruum responsum eis dari debet.

Exstant quidem declarationes pontificiae et organorum competentium S. Sedis circa plura puncta in his cc. Genesis contenta. Sed quidni alia etiam quae nondum tractata sunt, declarentur; vel ea quae iam sunt declarata, nova declaratione firmentur vel compleantur, *addito pondere auctoritatis Conciliaris?*

Ita v. gr. factum est in Conc. Vaticano I respectu Conc. Tridentini quoad doctrinam de inspiratione S. Scripturae, quam complevit.

Votum

Ex omnibus superius expositis liceat proponere S. Oecumenico Concilio Vaticano II, qua par est reverentia *sequens votum* tribus paragraphis expressum:

§ 1. Cum Theologia biblica tanti sit momenti, optatur ut, sicut fecit Conc. Tridentinum (sess. 5, *de reformatione,* cap. 1) cum studio S. Scripturae in genere, praecipiendo eius lectionem in ecclesiis cathedralibus, Collegiatis, Seminariis, monasteriis et domibus religiosis (Ench. bibl., nn. 65-72), ita *Concilium Vaticanum II* faciat cum studio *Theologiae Biblicae,* iubendo ut ubicumque clerici ad sacerdotium efformantur, ea tradatur ut specialis disciplina, a proprio magistro, in studiis biblicis Licentiam saltem habente, et de ea alumni examen subeant.

§ 2. Cum quaestiones in Gen. I-XI tot sint tantique momenti sub

aspectu religioso, et tanta in earum expositione vigeat auctorem discrepantia, cum consequenti fidelium, qui de his instrui cupiunt, conscientiae turbatione et fidei periculo, ratio officii pastoralis ab Episcopis et sacerdotibus gerendi videtur postulare ut *Concilium Vaticanum II* aliquid practicum in hac re provideat, ut dicta pericula vitentur; v. gr. *a*) renovare, pondere auctoritatis Conciliaris, ea quae iam magisterium ecclesiasticum alias declaravit, complendo illud quod nondum fuit declaratum; vel *b*) *instituere specialem Commissionem* seu Consilium virorum peritorum in scientia biblica aliisque disciplinis quae ad quaestiones horum capitum Gen. I-XI enodandas concurrere debent. Huius Commissionis, (quae posset etiam esse ea quae iam exstat, Pontif. Commissio biblica, sed cum auxilio virorum peritorum, ut supra), speciale munus esset incumbere studio serio horum capitum Genesis, et singularum narrationum eorum, et praeparare schema veritatum religiosarum, a S. Sede approbandum, et fidelibus in libris et in praedicatione proponendum. Ita munus pastorale evaderet facilius et efficacius.

§ 3. Cum cognitio S. Scripturae, et in specie Theologiae biblicae, tam utilis et necessaria sit pro Theologia dogmatica et morali, ut iuxta sententiam Leonis XIII (Enc. *Providentissimus Deus,* Ench. bibl., n. 114), « eiusdem prope sit anima », et « sine eius studio usuque assiduo nequeat Theologia rite et pro dignitate tractari » (ibid.), proponitur *Concilio Vaticano II,* ut, sicut ad gradus academicos in S. Scriptura consequendos statuta est praevia Laurea (Pius X) vel Licentia (Pius XI) in S. Theologia, ita exigatur aliquis gradus academicus, puta *Licentia in S. Scriptura* (non quidem ad gradus in S. Theologia, secus esset circulus vitiosus), sed *ad docendam* S. Theologiam, saltem pro magistris huius disciplinae in Universitatibus vel Athenaeis ecclesiasticis, et in Seminariis metropolitanis et interdioecesanis. Ita obtinebitur aequilibrium inter utramque sacram disciplinam tam arcte inter se connexas, et ambo mutuum hinc inde auxilium sibi praestabunt, quod in utriusque profectum et in commune bonum Ecclesiae redundabit.

ROMANUS PONTIFEX IURISDICTIONIS IN ECCLESIA IMMEDIATA ORIGO

(H. Lattanzi)

Propositio demonstranda

Hac ratione Hierarchiam in Ecclesia Christus instituit, quod voluit ut B. Petrus collatam sibi iam iurisdictionis fori externi potestatem cum Apostolorum Collegio communicaret; quo factum est ut Romanus Pontifex, qua eiusdem B. Petri in primatu successor, totius iurisdictionis id genus in Ecclesia immediata esset origo.

Quaestionis ratio.

1. Potuerat sane Christus ea ratione Monarchiam in Ecclesia instituere ut *unus* Petrus imperii atque magisterii iurisdictionis potestate polleret i. e. ut nulli ordinarii Pastores, sed tantum vicarii Petri haberentur. Attamen talem Monarchiam noluit Christus instituere, quia ligandi solvendique potestate, Petro iam singulariter promissam (*Mt.* 16, 19), atque re collatam (*Io.* 21, 15-17), toti quoque Apostolorum Collegio se daturum promisit (*Mt.* 18, 18), atque reapse contulit (*Mt.* 28, 19). Quo factum est ut Apostolorum Collegium, suprema atque ea plena iurisdictionis fori externi potestate donatum ut Hierarchia in Ecclesia constitueretur.

Cum autem, Hierarchiam Christo instituente, Petrus ipse, in medio Apostolorum Collegio exsisteret, intimum inter Monarchiam atque Hierarchiam intercedere nexum inferimus, qui Papatum inter ac Episcopatum intercedat quoque necesse est.

Questionis historia.

2. De hoc nexu in Concilio Tridentino Patres acriter disputarunt (Cf. Pallav. *Hist. Conc. Trid.* XVIII, 14); nihil tamen decreverunt: alii quippe aliter de intima Apostolorum munerum natura sentire videbantur.

Quandoquidem autem ipsi, non ex Scripturae locis utpote qui desint, sed *ex factis,* in Scriptura ipsa descriptis, speramus fore ut propositionis veritatem inferamus, cui ceterum non modo Patres quidam ac Romani ipsi Pontifices non pauci suffragantur (Cf. hac de re M. Maccarrone: *Petrus initium Episcopatus* in « *La dottrina del primato papale dal IV al-l'VIII secolo, nelle relazioni con le chiese occidentali,* Spoleto, 1960 pp. 55-86), verum etiam theologica ratio ipsa consentit, ideo visum est

Votum hoc exhibere, quod Magnificus R. Universitatis Lateranensis, a me, Theologiae Fundamentalis magistro, sedulus profecto exquisivit.

Praeiudiciale principium.

3. Cum Romanus Pontifex, divino de iure, in primatu iurisdictionis, in locum Petri succedat, necesse est eadem omnino iurisdictionis potestate iisdemque praerogativis, ad iurisdictionem quod attinet, idem donetur, quibus ipse Petrus, ut Ecclesiae primas pollebat; quam ob rem fieri nequit ut primatialis Romani Pontificis potestas minor vel maior sit quam Petri: id enim immutabilis Ecclesiae exigit constitutio.

Consectarium.

Quam ob rem, si qua, vi primatus, Romanus Pontifex potestate exornari probatur, eadem et Petrus donatus fuisse dicendus est; atque vicissim, si qua Petrus, vi primatus, potestate praeditus fuit, eadem omnino Romanus Pontifex pollet.

Itaque aut uterque, iurisdictionis fori externi, ut immediatus fons in Ecclesia agnoscendus est, aut neuter, ita ut si alterutrius mediatio probetur eandem alteri omnino tribuendam esse evincatur.

Consectarii applicatio.

Illogice ergo magni quidam Theologi, hac de re senserunt, qui, cum ex una parte, iurisdictionis fori externi Apostolorum fontem immediatum Petrum fuisse negaverint (Cf. S. R. BELLARMINUS: *De Rom. Pont.* l. IV, c. 23; SUAREZ: *De Fide,* Disp. 10, sect. I, n. 3-4; WILMERS: *De Ecclesia* n. 196), ex altera tamen parte, praerogativam hanc iidem Romano Pontifici tribuerunt (Cf. S. R. BELLARMINUS: *De Rom. Pont.* n. IV, c. 24; SUAREZ: *De Leg.* l. IV, c. 4 n. 8; WILMERS: *De Ecclesia* n. 198).

Qua de re cohaerentius constantiusque summi quidam Theologi hanc praerogativam, una eademque de causa, tum Beato Petro tum Romano Pontifici vindicarunt (Cf. I. TURRECREMATA: *Summa de Ecclesia* 11, 54; PETAVIUS: *De Eccl. Hier.* 1, 5; LAYNEZ qui in *Disput. Trid.* (ed. Crisar vol. I, p. 97 ssq.) magna mentis acie eruditioneque ex Scriptura, Patribus, ratione theologica communem hanc Petri Romanique Pontificis mediationem, probare conatus est).

Praenotanda.

4. Ne ambiguitate tota quaestio haereat, opportunum videtur, de omnibus Apostolorum praerogativis muneribusque definita ratione tractare,

quo facilius propositionis ambitus circumscribatur eiusdemque sensus luculenter emineat.

Verum quaestio de Apostolorum praerogativis atque muneribus ab altiore principio nobis repetenda est, si quidem de illis praerogativis muneribusque, in universum, sermo est, quae Christo Pater, quaeque porro Apostolis Christus exercenda concredidit. Dicit enim Apostolis Iesus: « Sicut *misit* Me Pater, et Ego *mitto* vos » (*Io.* 20, 21; Cf. *Io.* 17, 18 et *Mt.* 28, 18).

Quam ob rem messianica Iesu Christi munera nobis omnino recensenda sunt, quo definitius noscamus quaenam, ex suis muneribus, Apostolis idem transmiserit.

Messianica Christi munera.

Imprimis subnotandum est divinam sibi Christum *missionem* vindicasse: « .. aliis civitatibus oportet me evangelizare Regnum Dei; quia ideo *missus* sum » (*Lc.* 4, 43); « Non enim *misit* Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum » (*Io.* 3, 17; cf. *Io,* 3, 34; 5, 36; 7, 29; 8, 18; 17, 3). Quam doctrinam in universum Apostoli sed praesertim Ioannes (I *Io.* 4, 10) et Paulus (*Gal.* 4. 4-5; *Rom.* 8, 3-4) enucleate tractarunt. Quapropter *Apostolus* Iesus presse appellatur (*Hebr.* 3, 1).

Cum vero tum ad Regnum Dei evangelizandum (*Lc.* 4, 43), tum ad mundum salvandum (*Io.* 3, 17) tum denique ad iudicium ferendum (*Io.* 5, 17) idest ad prophetae, sacerdotis, regis, munera, in universum, multiplex missionis Christi causa spectaret, multis idem praerogativis facultatibusque debuit exornari, quibus ad missionis suae onus ferendum aptaretur; qui porro *Christus* a Deo factus est (*Act.* 2, 36; cf. *Io.* 4, 25; 7, 41). quia prophetae, sacerdotes, reges, in V. T. oleo sancto pariter ungebantur, ex quo uncti (in vers. LXX christoi vel christos) appellari iidem consueverunt (Cf. Ps. 104, 15; 2 *Sam.* 3, 39).

Praerogativae Christi messianicae.

a) *Christus propheta.*

Iesum *prophetam* Scriptura vocat (*Act.* 3, 22-23), immo ipse sibi prophetae nomen Iesus vindicavit (Cf. *Mt.* 13, 57; *Lc.* 13, 33), videlicet quia per ipsum Deus hominibus locutus est (*Hebr.* 1, 1); qui idcirco ut Dei *praeco* illa nobis nuntiavit quae revelare hominibus iubebatur (*Io.* 12, 49-50; cf. *Lc.* 10, 22) et ut *testis* vitae Patris (*Io.* 3, 11) Patris mysteria enarravit (*Io.* 1, 18).

b) *Christus Sacerdos.*

Praeterea *Pontifex* factus est a Deo (*Hebr.* 2, 17; 3, 1; 5, 5; 6, 20;

7, 26; 8, 1; 9, 11) Sacerdos magnus (*Hebr.* 10, 21) Pontifex magnus (*Hebr.* 4, 14) qui porro, cum semetipsum Deo immaculatum obtulerit, Sacerdos idemque Victima fuit (*Hebr.* 7, 27; 9, 14; *Eph.* 5, 2; *1 Pt.* 2, 24) hominum *Redemptor* atque Salvator: in ara quippe Crucis, lapsos homines redemit (*Eph.* 1, 7) reconciliavit (*Rom.* 5, 8-9; *Col.* 1, 22) iustificavit (*Rom.* 5, 9). Christus igitur Agnus Dei est (*Io.* 1, 29; *Act.* 8, 22; *1 Pt.* 1, 19) remittendorum peccatorum potestate pollens (*Mt.* 9, 6), hominum advocatus apud Patrem (*1 Io.* 2, 1; Cf. *Hebr.* 7, 25) mystici Corporis Caput vivificans (*Eph.* 1, 23; 4, 16, *Col.* 2, 19).

c) *Christus Rex.*

Rex tandem Christus constitutus est (*Lc.* 22, 29; *Io.* 18, 37; Cf. *Mt.* 13, 41; 16, 28) qui propterea iurisdictionis potestate in universum exornatur (*Io.* 5, 22; *Act.* 17, 31). Ad regendi potestatem supremus ipsius in Ecclesia pertinet Episcopatus, item Pastoratus: *Episcopus* quippe est Iesus (*1 Pt.* 2, 25) idemque *Pastor* (*Io.* 10, 11; 1 *Pt.* 2, 25) Pastor magnus (*Hebr.* 13, 20) *Iudex* vivorum et mortuorum (*Act.* 10, 42; cf. *Io.* 5, 27) atque *Legislator* (*Mt.* 28, 20; cf. *Mt.* 5, 17-48).

Cum autem princeps regum terrae, rex regum et dominus dominantium Christus sit (*Ap.* 1, 5; 17, 14; 19, 16) non modo in Ecclesia, verum etiam in ipsa quoque civili societate regendi potestate Iesus potitur; quippe eius est, ex merito suae passionis et mortis in omnes creaturas absolutissime *dominarii* (*Phil.* 2, 9-11).

d) *Christus thaumaturgus.*

Ut vero divinam missionis suae originem in universum probaret (*Mt.* 9, 6; *Io.* 15, 24) tum daemones exorcizandi tum miracula quaelibet patrandi potestate Christus instruebatur.

Quae cum ita sint, ex hisce *praerogativis* quaenam Apostolis fuerint a Christo transmissae, perpendamus oportet, pro universali quidem principio, quod ipse Christus iterum iterumque in universum edixit: « Sicut misit Me Pater et Ego mitto vos » (*Io.* 20, 21; Cf. *Io.* 17, 18 et *Mt.* 28, 18).

Apostolorum munera.

Sicut ergo Christus a Patre, ita Apostoli a Christo missi sunt, et sicut Christus Apostolus ita et Duodecim discipuli a Christo Apostoli definite appellantur (*Lc.* 6, 13).

Iuvat tamen notiones potissimas quae Apostolatus essentiam constituunt, ex Novo Testamento colligere; quia multa hac de re a multis permixte dicuntur.

Iamvero ad hoc ut aliquis Apostolus Christi haberetur, haec quae sequuntur, requirebantur omnino:

Primo: ut Dominum Iesum « omni tempore, quo intravit et exivit » ipse vidisset (*Act.* 1, 21).

Secundo: ut ab ipso Christo immediate esset electus (*Io.* 15, 16; *Mc.* 3, 13-15; *Lc.* 6, 13).

Tertio: ut congruenter cum iis quae primo loco diximus, Vitae Christi in universum, et resurrectionis eius potissimum, ab ipso Christo ut testis esset constitutus (*Act.* 1, 8; 1, 22 etc.).

Quarto: ut ab ipso Christo immediate pariter missus esset qui aliis *muneribus* fungeretur, quae, ad normam similium Christi munerum, ad tria haec genera: prophetae, sacerdotis, regis, pertinebant.

a) *Apostolus propheta.*

Haud obscure Apostoli a Christo *prophetae* appellantur (*Mt.* 23, 34; *Lc.* 11, 49), in quibus porro ipse Spiritus loquebatur (*Mt.* 10, 20) item Christus (*2 Cor.* 13, 3).

Apostolus ergo Christi *praeco* et ipse constitutus est, utpote qui universae creationi ad modum praeconum Evangelium nuntiare (*Mc.* 16, 15) atque pro Christo legatione fungi (*2 Cor.* 5, 20; *Act.* 9, 15) iubetur; qui insuper revelationis publicae organon habetur (*Io.* 16, 13; Cf. *Mt.* 10, 27; *Gal.* 1, 12).

b) *Apostolus Sacerdos.*

Cum ex una parte Corporis et Sanguinis Christi Sacramentum et Sacrificium consecrare et offerre, in ultima coena, Apostoli iuberentur (*Luc.* 22, 19) et ex altera parte, ut ex prima ad Corinthios fas est colligere (*I Cor.* 11, 26) eiusdem Sacramenti et Sacrificii perennitati consulere tenerentur, Sacerdotes primi ordinis, idest Episcopos consecratos fuisse arguimus, utpote qui non modo consecrare et offerre possent, verum etiam sacerdotes ad finem usque mundi, possent procreare, cum hoc tantum pacto, ad Parusiam usque « mortem Domini » annuntiare potuissent. Qui insuper peccata remittunt (*Io,* 20, 23).

c) *Apostolus Rex.*

Regalem suam dignitatem cum Apostolis Christus communicare se edixit (*Lc.* 22, 29-30). qui proinde ligandi solvendique potestate, imperii scilicet atque magisterii iurisdictione, in Ecclesia, in universum, potiuntur (*Mt.* 16, 15-19; *Mt.* 18, 18; *Io.* 21, 15-17; *Mt.* 28, 19; *Act.* 15, 28: *1 Cor.* 5, 3; 11, 2 et 34; *2 Cor.* 10; 5; 13, 2 et 10; *1 Tim.* 1, 20).

d) *Apostolus thaumaturgus.*

Ad has praerogativas tum miracula patrandi (*Io.* 14, 12; *Mc.* 16, 18) tum qua Apostolorum missio erat confirmanda (*2 Cor.* 12, 12; *Act.* 5, 12) tum daemones eiiciendi (*Mc.* 6, 13; *Lc.* 10, 19; Cf. 16, 17) potestas accessit.

Munera Christi cum Apostolis comparata

5. Inter munera Christi et Apostolorum munera, magna equidem similitudo non aequalitas intercedit: differre quippe evincuntur, si pro ratione obiecti priora cum alteris comparamus.

Princeps caput in eo stat, quod dum missio Christi, non modo ad subiectivam, sed ad ipsam quoque obiectivam Redemptionem attinuit, quae, Deo auctore, per unum tantum Christum facta est (2 *Cor.* 5, 18-19). Apostolorum missio, ad unius tantum Redemptionis subiectivae ambitum, idest ad Corpus Christi aedificandum, ex rei natura, spectabat.

Fines ergo certi statuti sunt, quibus Apostolorum missio atque praerogativae (quibus Apostoli ad missionis suae ferendum onus aptarentur) circumscriberentur, quos Pius XII hisce verbis descripsit: « ... in Cruce emoriens, immensum Redemptionis thesaurum Ecclesiae suae, nihil ea conferente, dilargitus est; ubi de eiusmodi thesauro distribuendo agitur, id efficiendae sanctitatis opus, non modo cum intaminata sua sponsa communicat, sed ex eius etiam opera vult quodammodo oriri » (*Myst. Corp. A.A.S.*, 35, [1943] p. 213).

Quam ob rem Christi munera ac praerogativae, cum Apostolis comparata, etsi terminis iisdem significentur, haud univoca sed tantum analoga habenda sunt; quod quam luculentissime apparebit si, per summa capita, tria genera munerum: prophetae, sacerdotis, regis, in Christo et in Apostolis perpenderimus.

a) *De munere prophetico.*

Dum Christus, per se agens, vitae intimae Patris testis fuit idemque praeco, Apostoli haud Patris, sed ipsius Christi vitam, mortem resurrectionemque testati sunt.

b) *De munere sacerdotali.*

Dum Christus Sacerdos idemque victima fuit, Apostoli haud semetipsos sed Corpus Christi et Sanguinem consecrant et offerunt.

Insuper dum Christus Sacramenta novae Legis, ut Redemptor instituit, Apostoli instituta Sacramenta administrant.

c) *De munere regali.*

Dum regalis Christi potestas non modo ad Ecclesiam directe extenditur, verum etiam ad societatem ipsam civilem, Apostolorum iurisdictio in una tantum Ecclesia directe exercetur (*I. Cor.* 5, 12).

Apostolorum praerogativae pro diversis rationibus perpensae.

6. Quo facilius Apostolorum praerogativarum naturam intelligamus, definiamusque quonam pacto in locum Christi iidem successerint, praerogativas ipsas, pro suis cuiusque rationibus, rimemur oportet; et *primo*:

de iis, qui ex Apostolis, praerogativis hisce donabantur; *secundo*: de temporis puncto in quo iidem praerogativis his donati sunt; *tertio*: de modo; *quarto*: de nomine; *quinto*: de foro in quo suas quisque Apostoli praerogativas exercebant; *sexto*: de temporis spatio per quod easdem exercere iussi sunt.

a) *De iis, qui ex Apostolis, praerogativis donabantur.*

Ad Apostolorum praerogativas quod spectat, id potissimum liquet haud singulos Apostolos iisdem omnino praerogativis fuisse exornatos: si quidem alias uni Petro, alias vero omnibus simul Christus quoque exercendas commisit; quas oportet singulatim recensere, atque per summa capita perpendere.

1) *Praerogativae quibus singuli Apostoli praediti sunt*:

i) ut essent pari iure Apostoli;
ii) ut essent pari iure Evangelii praecones;
iii) thaumaturgi;
iv) exorcistae;
v) in consecranda Eucharistia episcopi;
vi) in peccatis remittendis Christi Domini vicarii;
vii) revelationis publicae viva Spiritus Sancti instrumenta.

2) *Praerogativae quibus unus Petrus singulariter donabatur.*

Unus Petrus singulari de iure, suprema aeque plena iurisdictionis fori externi potestate, in Ecclesia, donabatur, quae tribus promissionis symbolis significata (*Mt.* 16, 15-19) sub uno tantum symbolo pastoratus eidem fuit collata (*Io,* 21, 15-17).

3) *Praerogativae quibus Apostoli collegialiter instruebantur.*

Apostolorum Collegium supremae eiusdemque plenae iurisdictionis fori externi potestate potiebatur, quae ligandi solvendique potestatis symbolo significata (*Mt.* 18, 18) mandato Christi: « Docentes eos servare omnia etc. » (*Mt.* 28, 19), re fuit instituta eidemque Collegio collata.

b) *De puncto temporis in quo suis quisque praerogativis donati sunt.*

Pro puncti temporis ratione sex haec momenta distinguimus:

1° In vita publica Domini Apostoli renuntiati sunt (*Lc.* 6, 13) et thaumaturgi iidemque exorcistae pari iure creati (*Mc.* 6, 13);

2° in coena paschali consecrantur Episcopi (*Lc.* 22, 19 coll. cum *1 C.* 11, 26);

3° in die Resurrectionis remittendorum peccatorum potestate, ut Christi vicarii, augentur (*Io.* 20, 23);

4° ante ascensionem Domini Petrus, supremus Ecclesiae pastor, immediate a Christo constituitur (*Io.* 21, 15-17);

5° in ipsa ascensionis die triplici potestate: prophetae, sacerdotis, regis, in universum donati, reapse mittuntur (*Mt.* 28, 18-19);

6° in die Pentecostes ut publicae revelationis viva instrumenta a Spiritu Sancto assumuntur (*Lc.* 24, 49 coll. cum *Io.* 16, 13).

c) *De modo quo praerogativis suis Apostoli fungebantur.*

Pro libertatis momento (autonomia) in exercendis hisce praerogativis dimetiendus esse modus videtur. Iamvero pro libertatis momento, tres distinguimus modos: ministri, vicarii, instrumenti.

1° *Modus Ministri*: in exercendo regali munere inerat; ampla quippe, in praerogativa hac exercenda, libertatis extensione, ut ex ipsis textibus constat, Apostoli donabantur;

2° *Modus Vicarii*: exercendis Sacerdotii muneribus congruebat; quia ad Sacerdotalia munera quod spectat, « in persona Christi » agere Apostoli iubebantur, ut S. Thomas docet: « Sacerdos novae Legis in persona ipsius (Christi) operatur » (*S. Th.* III, 22, 4. c.);

3° *Modus instrumenti,* utique vivi, ad ceteras Apostolorum praerogativas: prophetae scilicet et thaumaturgi, pertinebat; propheta quippe, sive futura contingentia, Dei lumine illustratus, vaticinetur, sive, ut Dei praeco, eiusdem Dei voluntatem annuntiet, ut ipsius Dei vivum organon agit; ad miracula vero patranda quod spectat, aliter atque Christus manifesto Apostoli operabantur: dum enim Christus « quasi ex propria potestate miracula faciebat » (S. THOMAS: *S. Th.* III, 43, 4), Apostoli non ex sua quisque virtute agendo, sed orando eadem patrabant (*Act.* 3, 6-12). His in casibus, docet S. Thomas, « Deus principaliter operatur qui utitur instrumentaliter vel motu interiori hominis, vel eius locutione, vel etiam aliquo exteriore actu seu etiam aliquo contactu corporis etiam mortui » (*S. Th.* II-II, 178, 1, 1).

d) *De nomine vi cuius suas quisque praerogativas Apostoli exercebant.*

Tribus modis, quos descripsimus, totidem nomina congruunt, vi quorum suas quisque Apostoli praerogativas muneraque exercebant, scilicet: iurisdictio, consecratio (S. Ordo), missio.

Itaque ministri, vi iurisdictionis; vi consecrationis, vicarii; vi missionis tandem, suas quisque praerogativas, Spiritus S. organa exercebant; quod ad modum ministri, iurisdictionis fori externi titulus nomenque pertinent; cum vicarii modo, consecrationis seu S. Ordinis titulus congruit; modo tandem instrumenti, missionis nomen respondit.

e) *De foro in quo praerogrativae exercebantur.*

Tribus, quae iam diximus, nominibus totidem fora congruere pariter evincuntur: Ecclesiae, Dei, orbis.

1° *In foro Ecclesiae* iurisdictionis potestas imperii et magisterii, ab Apostolis, nomine proprio, exercetur.

2° *In foro Dei* porro sacerdotali remittendorum peccatorum potestate Apostoli funguntur. Utraque haec potestas iurisdictio sane appellatur; sed prior ab altera maxime differt: una quippe ad bonum commune, altera vero ad singulorum bonum ordinatur: prior aliter atque altera, etiam ab iis qui S. Ordinis potestate carent, potest haberi; altera a titulari, ut a principali causa, seu ut a ministro; ista, ut a vicario Christi, exercetur. Essentialiter ergo altera ab altera differt, ut L. Card. Billot adnotat: « ... iurisdictio quae Ecclesiae collata est, in proprio eius foro exercenda, non potest esse eiusdem omnino rationis cum ea quae exercetur in proprio ac reservato foro Dei » (*Tract. De Eccl. Christi,* Romae, 1921 th. XXI, p. 452); et in hoc Canonistae ipsi consentiunt; ex. g. H. Jone scribit: « .. inter utramque potestatem substantialis habetur differentia, etsi utrique nomen est iurisdictio. Potestas in foro interno ideo tantum vocatur potestas iurisdictionis, quia ordinatur potestate fori externi » (*Comm. in Cod. I. Can.,* can. 196, Paderbornae, 1950).

3° *In foro orbis* tandem ea munera Apostolis exercenda erant, quae ad propheticum eorumdem munus, in universum, referebantur: itaque ut Evangelium ad modum praeconum nuntiarent; ut revelationis publicae organa seu viva Spiritus S. instrumenta haberentur; ut resurrectionis Christi essent testes; ut miracula atque exorcismos, quibus missionis suae veritas confirmatur, in virtute Christi, patrarent.

f) *de spatio temporis, per quod suas quisque praerogativas exercere Apostoli iussi sunt.*

Fundamentale principium statuendum videtur. Cum Apostoli et a Christo *missi,* et praerogativis, quas diximus, *exornati* essent, ut Christi Corpus mysticum aedificarent (*Io.* 17, 20 et *Mt.* 28, 19) idemque ad statutam perfectionem impigre continenterque adducerent (*Eph.* 4, 11, ssq.), suas quisque praerogativas in universum successoribus tradere, divino de iure, iubebantur; causa quippe, propter quam eaedem Apostolis erant exercendae, scil. Corporis Christi aedificatio, ad finem usque mundi, perseverat (*Mt.* 28, 20), ita ut si qua, ex hisce praerogativis, a fundamentali hoc principio excepta, *haud in perpetuum, sed ad tempus* exercenda esset,id, sive ex natura rei, sive ex Christi voluntate, manifesto constare debuerat.

Quam ob rem, si quid nobis, hac de re, probandum demonstrandumque sit, id sane non ipsa *de successione* est Lex, sed una tantum statutae, divino de iure, huius *Legis exceptio*; quod libenter profecto contra acatholicos subnotamus, qui de Apostolorum praerogativis omnia permixte sentientes, ipsam hanc de successione Legem esse mordicus negant.

Iamvero ex omnibus quibus Apostoli instruebantur praerogativis, binae tantum erant quae, haud in perpetuum, *sed ad tempus* collatae esse evincuntur:

prior: ut Apostoli resurrexisse Christum testarentur, si quidem ille tantum qui resurrexisse Christum a mortuis vidisset, hoc equidem testari poterat;

altera: ut revelationis publicae viva Spiritus S. instrumenta essent; quippe de Dei voluntate factum est ut publica revelatio, Apostolis vita functis, clausa esset omnino. Etenim, cum hinc viventibus Apostolis, ad perfectionem haec revelatio esset adducta (*Io.* 16, 13), inde, Apostolorum successores « Depositum » haud augere, sed tantum custodire iuberentur (*1 Tim.* 6, 20 coll. cum *Mt.* 28, 18-19) clausam eam fuisse merito arguimus inferimusque.

De una tantum miracula patrandi potestate haec in universum dicenda sunt, eam ad totam Ecclesiam, divino de iure, refluxisse, ut ex textu: « Signa autem *eos qui crediderint* haec sequentur... » (*Mc.* 16, 17-18) inferre equidem possumus.

Quam ob rem, si Ecclesiae praerogativas cum Apostolis comparamus, pauciores eas esse conspicimus; at, quae in Ecclesia ab Apostolis traditae perseverant, *eaedem* omnino esse probantur.

Liquet ergo de illa tantum nos praerogativa tractare, qua tum unus Petrus, tum *Apostoli collegialiter* donabantur, qua scilicet hinc *Monarchia* inde *Hierarchia,* in Ecclesia, constituuntur.

Facta super quae propositionis demonstratio fundatur.

7. Bina facta ex Evangeliis colligere fas est, quae recensere atque definite describere oportet, utpote quae propositionis veritatem contineant.

Prius factum.

Antequam Dominus Hierarchiam in Ecclesia instituit, idest antequam Apostolorum Collegium alloquens, supremam atque eam plenam iurisdictionis fori externi potestatem eidem contulit — quod tunc factum est cum in eo Dominus erat ut in coelum ascenderet — *unus Petrus suprema eaque plena hac potestate iam praeditus erat.*

Etenim quae Dominus in resurrectionis die, Discipulos alloquens, edixerat: « Sicut misit Me Pater et Ego mitto vos » (*Io.* 20, 21) missionem, *in universum,* significant, quam in sacerdotali oratione, triduo ante, Christus annuntiaverat: « Sicut tu Me misisti in mundum et Ego misi eos in mundum » (*Io.* 17, 18). De illa quippe missione agitur quae causa fuit cur Discipuli Apostoli appellarentur et iidem multis praerogativis

instruerentur; ex quibus remittendorum peccatorum potestas erat, qua, in ipsa resurrectionis die, definite donati sunt (*Io.* 20, 22-23).

Constat ergo Apostolorum Collegium, ut a Petro distinctum, usque ad diem Ascensionis, nulla iurisdictionis fori externi potestate fuisse exornatum.

Alterum.

Quando Dominus, in die Ascensionis, iurisdictionis fori externi potestatem Apostolorum Collegio conferens, Hierarchiam in Ecclesia instituebat, ipse Petrus, in Apostolorum Collegio medius erat, quod ex ipso quoque Petro Apostolorum Collegium complebatur.

Quae cum ita sint, fundamentales hypotheses, quae fieri, *in se,* possunt, recenseamus oportet, ut nexus qui inter Monarchiam et Hierarchiam in Ecclesia intercedit, emineat.

Iamvero tres tantum hypotheses, si illas excipiamus, quae harum variationes habentur, fieri posse videntur.

Prima hypothesis.

Hac ratione Hierarchiam Christus instituit, ut statim ac illa constituta est, Monarchia Petri, ceu flos, qui, adventante fructu, ab ardore decidat, *in Hierarchiam ipsam tota difflueret* atque in eam totaliter dissolveretur.

Secunda hypothesis.

Hac ratione Hierarchiam Christus instituit, ut in eiusdem essentiam constitutionemque, Petrum ipsum, in Apostolorum Collegio existentem, non quidem qua principem, *sed qua unum ex Apostolis includeret.* In hac hypothesi, hinc Monarchia, inde Hierarchia, supremae iurisdictionis potestatis bina equidem subiecta essent, ceu consules bini qui quotannis in Romanorum republica creabantur. Si enim, hoc pacto, Hierarchiam Christus instituisset, ipso facto Petrus, non aliter profecto atque ceteri Apostoli, Hierarchiae essentiam constitutionemque compleret. Nec multum referret — en alia hypothesis quae huius variatio est — ut, in iurisdictionis potestate hac exercenda, Monarchia Petri, ut iuridica norma, a Hierarchia ipsa haberetur: Hierarchia quippe, essentia constitutioneque, ut alterum subiectum, adaequate distinctum, a Monarchia, se omnino praeferret.

Tertia hypothesis.

Hac ratione Hierarchiam Christus instituit ut in eiusdem essentiam constitutionemque Petrum ipsum, non qua unum ex Apostolis, sed

qua eorundem principem, et caput includeret, ita ut Hierarchia, ceu persona quae ex binis comprincipiis constat, in ipsa essentiae linea, tum ex Monarchia Petri tum ex Apostolis ceteris, compleretur. In hac hypothesi Hierarchia moralis persona esset, a Christo instituta, in qua bina haec principia, scilicet Monarchia et Apostoli, ut a Petro distincti, compingerentur. Hierarchia compositum esset. Cum autem fieri nequeat omnino ut compositum aut ex binis potentiis, aut ex binis actibus constet, restat ut Hierarchiae compositum ex binis comprincipiis compleatur, quae ut anima et corpus equidem referantur. Cumque Petrus, aliter atque Apostoli ceteri, in essentia Hierarchiae complenda, qua iurisdictionis fori externi potestate donatus, *unus* intervenerit — ceteri quippe huius potestatis *capaces* tantummodo habebantur (Cf. *Mt.* 18, 18) — inferendum est, Petrum unum ut animam, Apostolos vero, ut corpus, in complenda Hierarchiae essentia intervenisse. Atqui proprium est animae, *esse et agere* cum corpore communicare. Ergo Petrus ut Hierarchiae anima in hac hypothesi haberetur, qui iurisdictionis fori externi potestatem cum Apostolorum Collegio, tanquam cum suo corpore communicat et cum eodem exercet.

Atqui ex tribus hisce hypothesibus prima et secunda sane excludendae sunt: prima quidem quia *perennitati* Kephae, secunda vero quia eiusdem *unicitati,* quae ex textibus quam clarissime constant (Cf. *Mt.* 16, 15-19 coll. *Io.* 21, 15-17), plane adversantur.

Ergo una tantum tertia hypothesis admittenda est.

Confirmationes.

8. Binae demonstrationes huius praesto sunt: prior quae ex Vetere Testamento colligitur; altera quae in Novo insinuatur.

a) Pro certo habentes omnia in figura Israëli contigisse (Cf. *I Cor.* 10, 11) ea quae in Libro Numer. legimus, instituendae Hierarchiae, iure, ut antitypo, applicamus.

Atqui nonnisi per Moisen, quem iam ut supremum pastorem, in Ecclesia Veteris Testamenti (Qehal Jawheh) Dominus constituerat, 70 senioribus iurisdictionis potestatem exercendam Dominus ipse commisit.

Legimus quippe: « Ait (Moises) ad Dominum... Non possum solus sustinere hunc populum, quia gravis est mihi... Et dixit Dominus ad Moisen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël... et auferam de spiritu tuo, tradamque eis ut sustineant tecum onus populi et non tu solus graveris... Descenditque Dominus per nubem, et locutus est ad eum auferens de spiritu qui erat in Moise, et dans septuaginta viris... » (*Num.* 11, 11-25).

b) Divinum hunc modum in Hierarchia instituenda servasse se haud

obscure Christus significavit. Legimus enim in Luca: « Ait autem Dominus, Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos » (*Lc.* 22, 31-32).

Ideas notionesque proferamus quae in miro hoc textu, ad B. Petri mediationem quod attinet, continentur.

1) Omnes Apostoli, qui, uno Iuda Iskariote excepto, « fideles » Christo fuerunt: « Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis » (*Lc.* 22, 18), a Satana, Deo permittente, quam vehementissime cribrabuntur; quod Christus, quamvis de communi Apostolorum sorte agebatur, uni Simoni praedicit.

2) Verum Christus qui potuerat sane tum pro Petro tum pro Apostolis ceteris Patrem rogare, tamen, sicut communem sortem uni Petro praedicit, ita pro uno Petro Patrem rogavit, ne Petri Fides deficeret.

3) Inde arguimus Satanam caritatem non modo, verum etiam Theologicam Apostolorum Fidem, tentatione sua, concussurum esse. Attamen, ad Petrum quod attinet, dum pro tempore deficiet Petri caritas, Fides quam ille Caesareae fuerat confessus nunquam de facto deficiet, quia certum effectum Christi rogatio obtinebit (*Io.* 11, 42).

4) Verum id faciet Petri confirmatio quod fecit Christi rogatio; alioquin pro omnibus pariter fratribus Christus Patrem rogasset. Certum ergo effectum confirmatio Petri obtinebit.

Atqui certum effectum equidem non obtinebit si tantum fratres hortando comiterque suadendo idem confirmare putaverit. Ergo ut fratrum confirmatio sit efficax habeaturque certus confirmationis effectus necesse est Simon magisterii iurisdictione fratres in Fide confirmet. Quod ceterum ab ipso textu innuitur, si quidem Dominus Petrum fratres iubeat confirmare, dicens: « Confirma »; quod mandatum est, cui ferendorum in Fide canonum in Petro ius congruit. Divinus itaque ordo hic insinuatur, de quo ceterorum Fides, *per Petrum* est servanda, quem Leo Magnus hoc modo profert: « Commune erat omnibus apostolis periculum de tentatione formidinis et divinae protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro Fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur; et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas quae per Christum Petro tribuitur, *per Petrum Apostolis conferatur* » (*Serm.* 4, 3. PL 54, 151-2).

5) Cum autem fratres, apostoli scilicet, ipsi quoque fidelium Fidem de Christi lege confirment, ligandi quippe solvendique potestate colle-

gialiter donantur (*Mt.* 18, 18) in qua iurisdictio magisterii inest, sapientiae Christi congruit, ut qui nonnisi per Petrum in Fide theologica confirmantur, nonnisi *per Petrum* iurisdictione hac magisterii donentur: incongruum est enim ut qui, *haud immediate* a Christo sed mediate, per Petrum, in Fide confirmantur, iidem haud per Petrum, sed *immediate* a Christo iurisdictione hac instruantur. Atqui magisterii iurisdictio iurisdictionem fori externi simpliciter complet. Ergo *nonnisi per Petrum* fratres hac iurisdictione fori externi a Christo profecto donantur.

c) Petri haec mediatio universaliori Dei processui congruere omnino probatur, quem S. Thomas ita describit: « Habet autem hoc naturalis ordo rerum divinitus institutus, ut quaelibet causa primo operetur in id quod est sibi propinquius et per illud operetur in alia magis remota; sicut ignis primo calefacit aerem sibi propinquum, per quem calefacit corpora distantia et ipse Deus primo illuminat substantias sibi magis propinquas, per quas illuminat magis remota, ut Dion. dicit cap. 13 Coel. Hier. (parum a principio). Et ideo Verbum Dei primo tribuit vitam immortalem corpori sibi naturaliter unito et per ipsum operatur resurrectionem in omnibus aliis » (*S. Theol.* III, 56, 1. c.). Atqui « propinquissimus » omnium Petrus fuit Christo, quia ei tam intime adiungitur, ut paene regni socius ab eodem Christo eligatur. Etenim praerogativae, quae ad supremam Christi potestatem alludunt, ut Kepha (*1 Cor.* 10, 4), ut Claves (*Ap.* I, 18) et potissimum Pastoratus (*Io.* 10, 11-14) ipsi Petro singulari de iure a Christo tribuuntur. Et hoc quam argutissimum habemus, quod Christus, per Petrum, non modo pro se, sed et pro ipso quoque tributum solvere templo voluerit: « Vade ad mare et mitte hamum; et eum piscem qui primus ascenderit, tolle: et aperto ore eius, invenies staterem; illum sumens, da eis pro Me et pro te » (*Mt.* 17, 27).

Consectaria.

1) Utraque Christi institutio, Monarchia scilicet ac Hierarchia divino de iure ut persona moralis habetur (Cf. can. 100 *C.I.C.*).

2) Monarchia et Hierarchia ut anima et corpus (in homine) distinguuntur.

3) Monarchia, utpote quae in Hierarchia sit anima, iam independenter a Corpore Apostolorum, subsistit et agit; sed non vicissim, Hierarchia, vel melius Apostolorum Corpus, independenter a Petro subsistere et agere potest, ceu flumen quod a fonte in suo esse dependeat.

4) Hierarchiae actus qui in Concilio Oecumenico elicitur haud sum-

ma singulorum Patrum potestatum est sed *unum* qui Hierarchiae toti, ut uni morali personae tribuitur.

5) Conciliaris concilii actus habetur, cum pars Patrum in ligando solvendoque Petro consentiat.

Canonis adumbratio:

Si quis dixerit Romanum Pontificem totius iurisdictionis fori externi immediatum fontem in Ecclesia non esse: A. S.

SUGGESTIONES CIRCA METHODUM SEQUENDAM

(F. Lambruschini)

Hodie non impetuntur singula dogmata Ecclesiae ab impiis hominibus; potius totus christianismus discussioni ac crisi subicitur, immo funditus reicitur a diversis ideologiis grassantibus, etsi inter se contrariis.

Revera in eamdem religionis negationem reincidunt rationalismus (originis kantianae) et positivismus philosophicus, cum utrique communis sit basis agnostica erga Deum; itemque liberalismus et marxismus, cum utrique sit basis communis progressus materialis humanitatis; itemque existentialismus et situationismus, cum utrique sit communis basis laicismus.

Omnes huiusmodi errores non sunt tantummodo quibusdam scholis circumscripti verum sat diffusi mediis modernis, ut sunt libri, ephemerides, folia diurna, transmissiones radio tv., theatrum, cinema etc.

Catholici sunt forsitan immunes ab his systematibus, prout in scholis apertis verbis proclamantur, minime vero prout in aere sparsi inevitabiliter respirantur.

Errores igitur in linea doctrinali et systematica reiecti, accipiuntur in linea morbidarum tendentiarum quasi patrimonium commune societatis hodiernae, quin eorum venenum subtile conscientia percipiatur.

Non desunt catholici, qui eo usque perveniunt ut conentur aberrationes tales cum traditione catholicismi conciliare.

In re, sicut modernistae quaerebant rationalismum cum christianismo componere, ita progressistae, qui vocantur, catholici, nunc vellent dogmata cum marxismo componere.

Non sunt plures isti catholici et cum eorum bona fides nequeat perseverare optimum erit eorum falsam mentalitatem denuntiare, praecipue iuxta Enc. *Humani Generis*.

At longe maior pars catholicorum venenatas theorias passivo modo subit, quasi ex superficialitate, ex defectu reflexionis et educationis formativae.

Si in primis est excessus problematicae et obstinata voluntas theoricae accommodationis, in istis adest insufficientia formationis et practica accommodatio. Atmosphaera morbida simul est attenuata et profundior, sicut cursus maris (correnti marine) eo periculosiores, quo profundiores, aut sicut aer industriis corruptus, qui diu inspiratus, organismi salutem frangit.

Difficilius evadit catholicos huiusmodi illuminare: fere inutiles esse possunt formulae elaboratae sine sufficienti adhaesione realitati aut quasi ab extrinseco propositae. Est enim pars venenatae mentalitatis respuere omne id, quod ab extrinseco videtur impositum vel sub praetextu abstractionis.

Quin ansa praebeatur erratis praeiudiciis, fatendum est non extare, si definitiones dogmaticas excipias, formulas thaumaturgicas, ex quibus sit remedium definitivum expectandum. Putaverim ad rem posse plurimum conferre personas tutae doctrinae ac prudentiae, quae mentalitatem tam nefariam bene noverint quaeque sine urgentia, longa reflexione ac diuturno labore se colligant in commissionibus specializatis, ad studium profundius promovendum super tendentias aberrantes diffusas, ut valeant dare indicationes opportunas, Patribus postea submittendas pro decisione.

Agitur de rebus sat complexis et revera nostra aetate nihil est amplius, quod simplicitatem sapiat: omnia sunt sat complicata et non obstantibus complicationibus oportet tradere fidelibus ideas claras, in eorum vitam catholicorum acute incidentes.

At nemo dat quod non habet: si ideae clarae non habentur, nequeunt communicari; neque licitum est recurrere ad subtilitates vel ad astutias rethoricae. Tradere vero ideas machinosas et inextricabiles non est solvere quaestionem, sed potius peiorem facere conditionem horum catholicorum, ad populum fidelem pertinentium; populus enim habet vocabularium valde limitatum et magis « slogan » quae dicuntur, movetur, quam difficilibus elecubrationibus. Si valet comparatio putaverim commissiones, de quibus supra, debere invenire sapientiores « slogan » pro vita spirituali et religiosa populi christiani, sicut optime fecerant Patres nostri praedecessores pro fidelibus sui temporis. Illi enim noverant et invenerant ideas essentiales pro fidelium sana educatione in religione nostra: at lumina rationalistica et agnostica omnia funditus everterunt.

Fatendum est munus nostrorum Antecessorum longe minus fuisse, quia vita hominum ordinata erat a saeculis, patrimonium idearum funda-

mentalium ab omnibus retinebatur praesertim quod respicit existentiam Dei, immortalitatem animae, revelationis valorem, munus insubstituibile auctoritatis etc.

Nunc vero nihil ita tenetur ut non subiciatur discussioni ab aliis: v. g. non desunt catholici qui ipsi atheismo positivitatem agnoverunt et agnoscunt.

Aberrationes et dispersiones hodiernae difficiliorem reddunt missionem ipsius Ecclesiae, quod maius postulat studium ex parte virorum doctorum et experientia praeditorum.

Ruinae plurimae sunt: sedulo inspiciendum et considerandum est quid possit super ruinas construi, quid vero oporteat ex novo construere.

Recriminationes et lamentelae ad nihil inserviunt eoque minus utiles erunt polemicae contra novitates: quia si nequeunt dari nova principia, certo certius dantur nova problemata, quibus principia applicanda sunt. In omnibus organismis est pars decidens et pars permanens: non videtur relinquendum esse bono sensui unius personae, etsi sit superioris ingenii, munus separandi lolium et zizania. Sub hoc aspectu non auderem compilare argumenta et contentum novi Concilii ex argumentis et ex comparatione argumentorum, quae Pius XII, etsi magnopere benemeritus doctor aetatis nostrae, collegit densis voluminibus.

Melius viderem consilia colligere non hominum enthusiasmo ductorum, sed competentium doctrina solida, fidelitate traditionali ac sapienti experientia. Definitionibus dogmaticis Patribus Concilii vel Summo Pontifici reservatis, non sunt similiter reservandae uni alterove viro theologo solutiones quaestionum extra definitiones.

Angulum visuale unius personae complendum est angulis visualibus aliarum personarum: decisio unius potest esse magis accomodata cuidam determinato momento, vel quibusdam circumstantiis. Omnes sciunt qua facilitate circumstantiae mutantur: si vero plures intendunt in eamdem rem, melius percipere valent quid est magis stabile in mutationibus.

Sit pro exemplo: nonobstantibus iteratis et auctoritativis interventibus Summorum Pontificum pro linea theologica-philosophica S. Thomae, non est rarum invenire in clero quoque, praecipue in iuvenibus, radicalem diffidentiam erga thomismum, etiamsi proveniant ex nostris scholis romanis.

Neque inter alumnos desunt, qui volentes nolentes, praeiudiciis imbuti, tendunt ad considerandum thomismum ut cortinam opacam inter Deum et humanam cogitationem et malunt immediatum contactum quaerere extra schemata theologiae.

Huius rei non dantur pessima consectaria tantum in theologia dogmatica, sed in morali quoque, quod mea magis interest, cum magi-

sterio huius materiae fruar. Hodie facillime alumni, spiritu critico sano sensu nondum praediti, obviam habent libros et praeserti ephemeridum articulos, proclamantes necessitatem theologiae moralis evangelicae, kerigmaticae, supernaturalis, sacramentalis etc. Res posset valide considerari per se: at apertis verbis, aut ex suggestionibus minus evidentibus, talis theologia moralis opponitur tum lineae S. Thomae, tum lineae S. Alphonsi, quia utraque ut negativa exhibetur.

Quid faciendum ad praecavendas confusiones in mente alumnorum? Sufficitne iterum et quidem fortioribus verbis indicare S. Thomam ut angelum theologicarum scholarum? Esset calculum praecedentibus additum, quod difficillime afficeret deprecatas ac deprecabiles tendentias.

Melius putaverim amplissimo studio considerare media efficaciora ad attingendam et corrigendam mentalitatem.

Generica exaltatio thomismi minus efficax videri posset, eo vel magis quod nequit ut totum systema imponi: sunt enim et in thomismo res caducae, etsi non essentiales in linea principiorum.

Caeterum illicitum est praesupponere inveniri in thomismo solutionem omnium problematum hodiernorum et aliquo modo contraproducens, ut dicitur.

Maioris est momenti sedulo distinguere inter principia, applicationes principiorum et nova problemata: principia immutabilia sunt, problemata vero valde mutata, si considerantur in circumstantiis.

Principiorum applicationes cum magna cautela mutari queunt et debent, quin periculum mutationis inducatur in ambitu ipsorum principiorum.

Hodiernae problematicae non sunt commensurandae solutiones seu applicationes principiorum factae temporibus actis, sed ipsa principia, quibus non indicantur solutiones iam factae, sed solutiones faciendae. Hoc valet praecipue in ambitu rerum socialium et politicarum.

Praeterea non sunt cum thomismo confundendi defectus tempori immaturo imputandi, ut excessiva indulgentia symbolismo, abstractioni et rationibus convenientiae. Invanum quaereretur usus criticae in citationibus v. g. Augustini et Aristotelis, qui sunt duo fontes maiores Summae theologicae, quibus tamen Angelicus utitur sat independenter, licet sciat Augustinum esse testem traditionis, Aristotelem vero novitatis (res fuerunt aliquomodo introversae nunc, quia linea aristotelica nunc habetur pro traditione, linea vero augustiniana pro novitate).

Merito scholastici comparati sunt architectis sui temporis, qui saxa monumentorum paganorum acceperunt ad ecclesias fundandas et palatia.

Distinguatur oportet in S. Th. inter materiale deperibile et elementa, quae traditionem catholicam ingressa sunt, praecipue in ordine ad inevitabiles comparationes cum structuris cogitationis hodiernorum, tum iuxta conceptionem occidentalem, tum iuxta alias conceptiones, ut africanam, sinensem, indianam.

Non modo in thomismo, sed et in toto christianismo oportet scire et distinguere id quod est essentiale ad finem salutis et id quod est secundarium, id quod est immutabile et valet pro omnibus et id quod est mutabile et valet tantummodo pro quibusdam.

Cum mundus hodiernus tendat ad unificationem magis magisque, unusquisque conatur imponere suam mentalitatem: agitur de re difficillima inter omnes, quia nemo habet lineam immutabilem et irreducibilem, ad quam potius omnia reduci debent, si Ecclesiam excipias. Varia systemata, quae mundum sibi disputant, non habent principia communia: ad summum possunt consentire in linea pragmatistica, ad tempus: una Ecclesia fundatur in base principiorum naturali et supernaturali necessaria, invidiabili et invidiata. At res quae deberet afferre catholicis maximum commodum, potest verti in maximum incommodum, quia si non satis distinguit inter essentiale et accidentale, potest foxilizare, inertiam parere, rigorem excessivum producere.

Maximi momenti erit enumeratio et enucleatio essentialium elementorum, ut sunt realitas Dei et animae immortalis, valor primorum principiorum vitae intellectualis et moralis humanitatis, dualismus inter Deum et mundum, inter Deum et homines, inter mundum et homines, inter animam et corpus, unitas hominis, etsi ex anima et corpore compositi, ordinatio hominis ad Deum et subordinatio per suprematiam animae et alia huiusmodi sunt principia mordicus et absolute tenenda.

Iam tamen ab initio excludenda videtur intentio et illusio tractandi in Concilio Oecumenico de omnibus quaestionibus: plures enim inutiles forent, quia iam modo definitivo tractatae ac solutae in praecedentibus Conciliis aut pontificalibus documentis.

Concilium debet relationem dicere ad praecedentia in constanti linea traditionis catholicae, quin necesse sit aut utile repetere. Praeferenda videretur tractatio argumentorum, quae motivum Concilio dederunt.

Quaestiones moventes homines hodie, sicut iam tempore Apostolorum, pertinent ad ordinem moralem, potius quam dogmaticum: plurimi expectant Concilium sub aspectu practicitatis. Cum vero dicimus ordinem ad practicam, minime intelligimus Conc. practicisticum, eoque minus non dogmaticum.

Fundamenta prima etiam in ordine moralitatis ab intellectu incipiunt: est enim homo creatura rationalis: contra pseudo-exaltationem rationis

humanae Concilium debet adfirmare verum valorem positivum conoscitivum rationis. Ideam mere practicisticam videntur habere, qui omnium quaestionum solutionem Concilio proximo remittunt. Est enim nunc mos sat diffusus cuiusdam provisorietatis et insufficientiae, quasi expectandum sit ut Concilium provideat omnibus quaestionibus exurgentibus.

Non putaverim alimentandam esse illusionem quod Concilium in eo sit ut sanet omnes insufficientias in ambitu praecipue quaestionum socialium et politicarum, in quibus unusquisque sibi monopolium inspirationis vult reservare cum periculo in actu confundendi proprias personales optiones cum ipsa linea orthodoxiae catholicae. Huius rationis agendi et cogitandi consectaria pessima erunt et fructus amaros colligent catholici post nostram generationem succedentes.

Cum practicum auguramur Concilium de sensu realistico intendere volumus in quaestionibus acriter nunc agitatis.

Nemini licet sibi fingere mundum abstractum, iuxta suam mensuram et suum ideale: neque necesse est ut phantasia inventemus problemata mundi sub aspectu religioso et morali, quia non debemus solvere falsa problemata, sed vera, quae nobis ab observatione rerum imponuntur.

Caracteristica S. Thomae fuit semper procedere ab observatione rerum, quin ipsis substituamus nostram phantasiam.

Mundus hodiernus v. g. afficitur tremenda carentia sensus religiosi tum in singulis personis, tum in familiis etiam traditionaliter christianis, tum potissimum in societate: mundus operariorum est longe a nobis: iuvenes utriusque sexus non sequuntur evangelium et Ecclesiam: praxis religionis etiam diebus festis est in continua diminutione. Hoc dicentes non indulgemus pessimismo; scimus enim optima germina sanctitatis florescere in officinis, in scholis, in campis.

Si volumus omnia facere et resolvere, nihil facimus: ipse Deus exemplum gradualitatis dedit sex diebus creans mundum.

Problemata sine problematicismo urgentiora vel series problematum urgentiorum considerentur synthetice, unitarie, quatenus inter se connectuntur: postea singula problemata specializata enucleari possunt. Ad rem requiri debent theologi cordati, spiritu synthetico dotati, in sanis traditionibus catholicis bene fundati, modernitati sat sensibiles et quodam optimismo moti, ut omnia ordinent in vitam christianam, quin inveniantur aerem verberare.

Viri huiusmodi colligantur a quattuor ventis et non tantum ex clero regulari ob causam minorum expensarum.

Oportet ut cognoscantur aspectus positivi et negativi, ut primi promoveantur, caeteri compescantur, derelictis visionibus utopisticis.

Sunt a nobis salvandi homines nostri temporis, quos non possumus considerare ut ceram mollem, paratam ad nostrum signum dociliter recipiendum: forsitan erunt iam signo satanae signati et opus nostrum longe difficilius fiet.

Inutile, immo damnosum putaverim tempus terere in confutatione errorum antiquorum vel etiam in continuata polemica contra errores diversorum systematum nostri temporis. Sacerdotes iam inclines sunt mille causis ad polemicas; si Conc. eos ad polemicam incitet, sacerdotes dimidiam partem sui temporis dicabunt polemicae contra paganos et haereticos, alternam vero dimidiam partem contra caeteros catholicos, qui non sint suo temperamento accommodati. Ita ingentissimae vires catholicorum erunt polemicae dicatae, etsi clare videatur indifferentia fidelium his diatribis.

Veritates dogmaticae sunt utique firmiter proponendae ac mordicus defendendae; at extra lineas ab Ecclesia indicatas diffidentiam haberem circa solutiones empiricas, a singulis propositas ut valituras per omnia saecula venientia.

In re sociali praecipue sunt res valde mobiles et currimus periculum protrahendi polemicae in indefinitum contra solutiones adversariorum, quae numquam extiterunt, vel superatae sunt in sua provisorietate.

Quaestiones sociales possent magnam partem Conc. constituere tum ad resumendam doctrinam genuinam Ecclesiae, tum ad rectas directivas impertiendas.

In omnibus problematibus, at praecipue in re sociali, valet sequens principium generale; si thema et programma fuit bene centratum, res bene procedet, etiamsi errores in via committantur: si thema et programma non recte instituitur, series falsorum problematum creatur, ex quibus recta solutio quam maxime retardatur et aliquando semel pro semper compromittitur.

Termini circulares fiunt ad nucleum centralem, quin nucleus umquam attingatur, ita ut saepe magis conveniat solutionem novis viis quaerere, quam tempus terere in reformanda errata praeparatione.

Praeterea omnia problemata tractanda in Conc. semper sub aspectu religioso considerentur, ne detur facilis occasio falsae accusationi, quod Ecclesia de omnibus rebus agat unice in propriam utilitatem, sub aspectu humano.

Hodie valde diffusus est et magis diffunditur indifferentismus: religio exhibetur ut aliquid personale, socialiter inutile, immo contrarium evolutioni progressivae humanitatis. Attamen saeculo elapso et initio nostri saeculi prope infinitae sunt operae litterariae religioni dicatae.

Sed plerumque religio inspicitur et analizatur ut aliquid archaicum, in musaeis claudendum.

Non est certo culpa catholicorum, si philosophi cuiuscumque tendentiae tractaverunt de religione tali sensu negativo: at posset nobis imputari quod non edidimus opera eiusdem momenti ac diffusionis in favorem religionis, tum ob pauperiorem nostram industriam et zelum, tum ob minorem comprehensionem praxis religiosae in vita moderna.

Concilia videntur optima occasio ut problemata actualia pertractentur in luce principiorum antiquorum in ordine quoque ad solutiones futuras.

Maximi enim est momenti aliquando anticipare tempora et hoc non deberet impossibile esse iis, qui habent ditissimam traditionem, experientiam et radices. Utilitatem in re afferre queunt, qui magis appropinquant ad sensibilitatem modernorum, muneribus, ut patet, Ecclesiae competentibus, integre servatis.

Ecclesiae enim, praecipue per Sacram Hierarchiam, potissimum per Summum Pontificem et per Concilia, triplex munus competit ad religionem spectans, sc. conservare et renovare spiritum religionis in fidelibus, diversas communitates christianas ad unitatem fidei afferre et infideles ad christianismum adducere.

Ad triplex munus exequendum sunt omnia utilia inquirenda, coordinando (et promovendo) actionem catholicam, congregationes religiosas etc. Parandae sunt « élites » quae dicuntur, quin communitatibus fidelium sufficiens alimentatio omittatur.

In tali promotione vero respui debent monopolia orthodoxiae inter fideles et praesertim inter « élites » diversa sentientes in re sociali et politica, dum concordes sint in rebus fidei et morum et disciplinae.

Officia religiosa prima sunt inter omnia et nullum obstaculum constituunt pro sano progressu, etiam materiali, humanitatis: hoc omnibus modis (« slogan ») repetendum est ut imprimatur profunde, amplissima facta libertate inquantum est possibile in materiis non pertinentibus ad fidem catholicam, ad moralem et ad disciplinam, extra casus fidei et morum, iudicio insindacabili sacrae Hierarchiae.

Moderni quam plurimum sibi fingunt mythum autonomiae personalis aut collectivae et saepe hanc autonomiam proclamant in primis a Deo. Tota ratio modernorum est areligiosa (laicismus), quando non est antireligiosa.

Videntur enim supponere contradictionem vel saltem separationem inter religionem et autonomiam humanam. Non est haec idea ad quosdam limitata, sed in omnibus diffusa omnibusque mediis diffusionis. Si agitur de autonomia absoluta, tota revelatio ipseque ordo supernaturalis, in

humanitate absorbetur; huic errori alium errorem contraponunt catholici viri, qui vellent potius ordinem naturalem in supernaturalem resolvere.

Ecclesia sapientissima ac provida utrumque errorem iam pluries profligavit: aequivocationes vero et ambiguitates sub superficie perseverant. Autonomia modernorum aberrantium fundatur in exclusione de facto aut etiam de iure ipsius Dei, qui est culmen et centrum totius metaphysicae: aliis verbis in ordine morali construitur et ut valor moralis ponitur, non metaphysicus.

Concilium, meo modestissimo iudicio, studium profundum instituat de hac re, ut sanas conclusiones indicare valeat: ordo naturalis non excludit, immo postulat ordinem supernaturalem. Autonomiam humanam et catholici tenere queunt, non utique absolutam, sed relativam, limitatam a Deo et a sua lege naturali et positiva.

Theonomia non destruit sed fundat autonomiam recte intellectam.

Huc maxime facit thomismus, non quidem prout a quibusdam monopolisatur, sed in suis positionibus essentialibus, in principiis sc. ab omnibus firmiter tenendis. Thomismi, immo scholasticae in genere, universa traditio concentratur in defensione dualismi fundamentalis, ne homo confundatur cum Deo et viceversa ne Deus confundatur cum homine.

Quae vero libere inter theologos disputantur non sunt in Concilio tractanda, nisi opportunum sit fines determinare citra quos libera discussio non admittitur.

Hoc studium sat delicatum esse poterit, quia non videntur deficere opera catholicorum, quae plus nimio cedunt phaenomenologiae, psychanalisi, moralitati descriptivae, quae dicitur contra moralitatem normativam omnino tenendam, marxismo, existentialismo situationistico etc.

Fines vero, de quibus supra, unanimi certitudine determinandi sunt, ne valor absolutus, metaphysicus, dogmaticus etc. tribuatur optionibus particularibus, personalibus, empiricis etc., quod confusiones augebit praesertim in ambitu socialitatis et politicae vel in materia de sexto praecepto Decalogi: in his omnibus materiis infiniti prope dissensus inter catholicos ipsosque sacerdotes habentur.

Salvo meliori iudicio et maxima humilitate innixus

DE THEOLOGORUM FUNCTIONE AC DE AUCTORITATIS CRISI IN ECCLESIA

(F. Lambruschini)

I

De functione ac munere theologorum in Ecclesia

Conditiones evolutionis materialis et spiritualis humanitatis hodiernae immania ponunt problemata theologis catholicis: nihil mirum si unusquisque res modo quodammodo suo inspicit. Hoc vero non est ita malum, at malum est, meo parvo consilio, quod unusquisque putet suam rerum visionem coincidere cum Ecclesiae doctrina officiali.

Putaverim non esse derelinquendum singulis, quamtumvis altissimi ingenii ac vastissimae eruditionis, munus et responsabilitatem cogitandi pro omnibus aliis iisque dictandi suum peculiare punctum visuale, quod necessario semper erit partiale.

Conclusiones circa id quod est tenendum vel damnandum nequeunt ab uno theologo venire, sed a comparatione multorum Auctorum, cum uni Summo Pontifici ac Concilio Oecumenico creditum fuerit a D. N. I. C. munus discernendi in controversiis quid sit fidei, moribus vel disciplinae Ecclesiae incorporandum.

Peropportunum igitur videretur comparationem instituere inter Auctores etiam diversae tendentiae, ita ut constructio fiat super solidam petram. Comparatio inter Auctores est quasi cribratio tritici vel auri: scoriae decident, granum aut aurum manebunt.

Erunt discussiones etiam diuturnae; erunt forsitan et graves dissensiones: hoc inevitabile est si omnes pandunt sincere et libere animum suum. Nemo enim tenetur se subicere alii, nisi Ecclesiae, cui tamen ab omnibus concedendum est quod possit insindacabili iudicio suggestiones doctrinales vel disciplinares certas seligere ac proprias facere.

Qui libere pandit animum suum, nisi sit in errore pertinaciter iam radicatus, ultroneas conclusiones Ecclesiae accipiet mentem suam uniformans.

Ex historia Conciliorum scimus dissensiones quoque acres habitas fuisse simul vero unanimem concordiam in accipienda Ecclesiae doctrina. Et hoc plurimum contulit ad formationem conscientiae christianae.

At si theologi invicem se accusant proditionis fidei, quomodo praesument ut ascultentur a fidelibus?

V. g. acres quaerimoniae dantur inter thomistas: unusquisque credit se

authenticum Angelici interpretem: quomodo poterunt systema suadere et imponere non thomistis?

Res longe peior fit, si thomismo substituimus ortodoxiam.

Si rarissimi obviam dantur homines scientiae addicti putantes se omnia scire in ambitu scientiae, difficilius concedendum est philosophis aut theologis se omnia scire in ambitu philosophiae aut theologiae. Haec ultima enim est scientia scientiarum, altissima inter omnes: theologi omnino caveant illusionem de omnimoda scientia, quia de Deo cognoscimus potius quid non sit quam quid sit, lumine rationis et quod revelationem spectat scimus vetulam fidelem posse magis progredi in virtute ac in theologia, prout communionem cum Deo importat, quam cacumen theologorum.

Quomodo igitur posset quis ita se theologum considerare, ut caeteros omnes non admittat, nisi pronos discipulos, attentos suis effatis?

Neque difficile est praeterea invenire sacerdotes et laicos, qui ex pluribus causis, ita res confundant, ut optiones suas personales, ex motivis non semper limpidis derivantes, identificent cum doctrina traditionali vel etiam cum definitionibus Ecclesiae.

Res est particularis evidentiae in viris abeuntibus in dexteras vel sinistras partes politicorum et socialium virorum. Nemo dicat has confusiones commoda Ecclesiae afferre. Confusio ad summum aliam confusionem afferre potest et caritatem pessumdare, quod pro christiano non est paululum.

Cum tendentia ad se substituendum magisterio Ecclesiae sit valde diffusa, non erit inopportunum, si Concilium lucide et auctoritative, Patribus et Summo uni Pontifici reservet attributionem notarum orthodoxiae, eo vel magis quod ratio praevalens in ponendis quaestionibus hodie sit potius ordinis moralis et practici, etsi nequeat praescindi a principiis dogmaticis.

Ubi vero est necessarium, talia principia sunt in mentem omnium revocanda: secus libertas discussionis et rationis se gerendi omnibus relinquatur.

Tendentiae ad quaestiones potius ordinis moralis textus qualificatus extitit ipse Pius XII, f. r., qui ultimos annos vitae suae reservavit responsionibus magistralibus pro casibus sibi subiectis in re morali, probe distinguens et proponens ut certum, id quod certum est, ut clarificandum, id quod non est adhuc certum.

Theologi malunt pugnare inter se, potissimum cum res male procedunt, semper inquirunt usque dum inveniant caprum expiatorium, a se semper distinctum et separatum, ac tempestive indicatum, in quo colligant omnes culpas et responsabilitates. Verum caput expiatorium mihi videretur perniciosa tendentia ad absolutum Dei cum propriis optionibus

confudendum; quoties enim absolutum necessarium, peremptorium in ordinem temporalem transferimus, aliquid subtrahimus valori universali nostrae fidei.

Materia amplissima liberae disputationi relinquitur non tantum in exercitationibus nobis a saeculis prolapsis traditis sed etiam, immo potissimum, in quaestionibus nostri temporis.

Ne igitur theologi ita inter se pugnent, quasi unus sit necessario alteri haereticus in fide aut in moribus et super omnia meminerint obligationem pugnandi contra innumeros inimicos homines, zizania seminantes in agris optimis Patris.

Perversa tendentia eo usque pervenit, ut quis se substituat hierarchicae auctoritati, vel quod longe peius est, quidam se iudicem constituat arbitrario modo. Non est ita rarum audire sacerdotes et laicos accusantes episcopos quoque suos heterodoxiae ob simplicem diversitatem optionum socialium et politicarum.

Consectarium nefastum in genere confusionis inter sanam theologiam et temporales optiones, in ordine practico facit saepe ut clerus malit se dare operibus socialibus, quae dicuntur, quam religionis, operibus lŭsoriis quam cultui et administrationi sacramentorum.

Optimas benemerentias sibi Concilium acquiret, si sacerdotes et laicos, in primis vero theologos, revocet a mutuis obiurgationibus et accusationibus ad longe maioris momenti obligationes illuminandi fideles circa mysterium christianum, veritatem Evangelii, realitatem theandricam Ecclesiae, paternitatem Dei, quem omnes offendimus ignorantia et malitia, valores moralitatis absolutos, sensum profundum christianae vitae, mysterium redemptionis nostrae, sensum peccati, moderamina in diversivis, sensum responsabilitatis in comparatione ad adversarios et ad confratres, aequivocationes evolutionismi et techinicismi, pericula rationalismi et laicismi, etc.

Technica fuit laudata magna admiratione a Pio XII, qui tamen defectus et limites eiusdem clare manifestavit: rationalismus prout diffunditur est minus aggressivus, sed item magis deleterius, quatenus mysterium, gratiam, ordinem supernaturalem, Deum ipsum attenuat et abicit.

Non sunt multiplicanda magisteria infallibilia: sufficiunt enim in re Concilia et unus Romanus Pontifex, quorum tamen interventus sollemnes non sunt ita communes.

Frequentiores sunt interventus magisterii ordinarii, quod in Encyclicis, in allocutionibus, in nuntiis radiophonicis, in sermonibus habentur. Munus autem talium interventuum est manuducere, exhortari, praecavere pericula, doctrinam servare, disciplinam determinare.

Dicta documenta pontificia maxima auctoritate gaudent, licet non assurgant ad fines infallibilitatis.

Theologi vero meminerint se non posse sibi arrogare non modo infallibilitatem magisterii extraordinarii, at neque auctoritatem ordinarii; haec quoque ad Summum Pontificem et subordinate ad Episcopos reservetur oportet, quibus spectat dare indicationes generales in ambitu doctrinae et disciplinae: continuitas doctrinalis traditionis catholicae est enim a tali magisterio mensuranda, non ab opinionibus, sententiis et interpretationibus singulorum theologorum.

Putaverim argumentum de relatione singulorum theologorum vel etiam cuiusdam scholae cum doctrina catholica esse alicuius momenti.

In praxi, in ordine ad Concilium amplissima deberet fieri cuiuscumque tendentiae theologis disputandi facultas (iudicio definitivo semper reservato Patribus, ut patet). Roma habet theologos sat cordatos, qui bene noscentes et theologiam et traditiones Ecclesiae, pro sua sapientia et prudentia valent moderari discussionibus et dirigere.

Forsitan ita caderet diffidentia theologorum Germaniae et Galliae et etiam Italiae erga Romam, quia videndo suas opiniones pro discussione acceptatas, melius disponentur ad conclusiones ultimas communes subiciendas Patribus, sive agatur de possibilitate definitionum dogmaticarum, vel tantum de praescriptionibus moralibus et disciplinaribus.

Ita factum est in Conc. Tridentino: theologi diversarum opinionum post acerrimas discussiones vix difficultatem habuerunt ad adhaerendum decisionibus Patrum, in voto theologorum quorundam.

In Conc. quoque Vaticano paucissimi fuerunt qui non acceptaverint conclusiones communes.

Sicut Ipse Summus Pontifex f. r. in sermone natalitio decembris 1959 disposuit ut Cardinales dioecesium Romae praesentes participent Congregationibus Plenariis Curiae, ut testes fiant serietatis tractationis rerum, a pari theologi magnae notae possent participare discussionibus praeconciliaribus: ita melius videbunt debilitatem suarum positionum.

Opinio publica in re religiosa et morali dependet in singulis nationibus pro maxima parte a theologis: inde valutanda est utilitas conferendi cum ipsis. Nec dicatur Romam non habere theologos capaces et paratos dirigere discussiones theologicas. Si habet pro consultis SS. Congregationum, etsi non semper revelentur, debet habere pro publicis disputationibus.

Neque difficultatem facessit quod theologi aliarum nationum doctiores vel eruditiores videantur: si enim essent et doctiores et eruditiores, essent quoque paratiores ad concedendum in re non ita agi de maiori acumine mentis vel de minori eruditione, sed de recta doctrina statuenda, quo in munere iudicium ultimum ad Hierarchiam spectat.

II

De auctoritatis crisi

Argumentum maximi momenti tractandum in Conc. posset esse studium et analysis crisis auctoritatis in genere et ecclesiasticae in specie, ut meliora remedia inveniantur.

Crisis existit et constatari potest in diversis nationibus.

Quidam inimici infensi Ecclesiae oppositonem denunciant inter ipsam et mundum hodiernum, cuius Ecclesia non agnosceret valores positivos. Revera sunt hostes, qui nolunt Ecclesiam agnoscere ut societatem externam. Cum haec doctrina laicistica inficiat ipsos catholicos minoris formationis aut saltem minoris resistentiae spiritualis, Conc. adfirmet totam doctrinam, prout est a Deo revelata et Ecclesiae concredita.

Clare dicendum est non esse in potestate Ecclesiae talem aptationem suae doctrinae falsis exigentiis rationalisticis cum detrimento veritatis et morum, prout ex revelatione ducuntur.

Appellant aliquando ad Ecclesiam intemporalem et invisibilem, quam solam incontaminatam considerant: quae appellatio reicienda est, si praetendit excludere Ecclesiam visibilem, hierarchicam, iuridicam, ut dicunt, ut eius auctoritatem parvipendant.

Nemini agnoscatur ius appellandi ad Ecclesiam spiritualem Christi, Evangelii, Corporis mystici, ut se subtrahat auctoritati vel organisationi ecclesiasticae, sub auctoritate legitimorum pastorum.

Favendum est utique contactibus personalibus cum Christo, sicut iam fit a primaeva historia christianismi in sacramentis, in S. Scriptura etc. verum ut falsum damnari debet quod Ecclesia, provida mater, tales contactus vitet, cum officio suo vere materno ducat fideles, ut filios ad D. N. I. C.

Pseudo-exaltationi Ecclesiae invisibilis respondet in genere depreciatio et excessiva humanisatio Ecclesiae visibilis, quae consideratur in deterius ligata factionibus, tendentiis particularibus, conantibus imponere visionem insufficientem mundi sub aspectu sociali et politico praecipue.

In utroque casu effectus idem sunt, scilicet se subtrahere auctoritati Ecclesiae eiusque interventibus, utpote qui supponuntur dictati a rationibus empiricis et utilitatis immediatae.

Munus est Conc. confusionibus in materia finem facere, revocando verum et genuinum sensum auctoritatis ecclesiasticae eiusque legitimum interventum.

Nulla sane auctoritas potest nullificare personales valores, hi vero nequeunt anarchiae relinqui, sed ab auctoritate coordinari et subordinari. Hoc autem magis verum est in Ecclesia, quia non sunt singuli fideles depositarii revelationis, ut quidam protestantes autumarunt et fideles quoque laicismo imbuti aliquo saltem modo praetendunt, sed Ecclesia in sua hierarchica institutione, in qua oboedientia amplissimam habet partem.

Haec vero oboedientia non est destructiva, sed conservativa et positiva quoad personales valores.

Sub hoc respectu plures dantur aequivocationes dissipandae, ut indicatur sufficienter fortuna novarum expressionum de maturitate laicorum, de aetate adulta fidelium, de promotione democratica operariorum etc.

Promovere sensum adultorum, criterium in formatione personali, bona est res ad elevationem humanitatis, ad dominium extendendum super passiones. Simul vero cavenda sunt pericula, quasi quis per aetatem adultam aut per maturitatem possit se subtrahere aut quod peius est se opponere Ecclesiae auctoritati.

Item sat communis est accusatio integrismi auctoritatibus facta ad se subtrahendum earum indicationibus; at pariter falsissima.

Quid enim intenditur nomine integrismi? Si totalitas fidei et morum, Ecclesiae auctoritates non possunt non esse integristae et cum illis omnes fideles consentire debent. At falsissimum est accusare easdem auctoritates, quasi si specie integrismi fidei opponantur progressui humanitatis.

Ex historia apparet quomodo Ecclesia scivit utilizare veritates partiales theoricas et morales ex philosophia et in genere ex cultura paganorum Auctorum: a pari sciet Ecclesia sibi assimilare veritates partiales vagantes in gurgite vasto societatis hodiernae, quia omnis progressus merito Christo adscribi oportet.

Videtur quoque illustranda ac dissipanda separatio inter ambitum doctrinalem fidei et morum ab ambitu disciplinari: sunt fideles dispositi ad oboediendum auctoritatibus intervenientibus in re doctrinali: quid enim remansit de murmurationibus circa opportunitatem definiendi Assumptionem B. M. V.?

Inveniuntur e contra tenaces resistentiae contra interventus auctoritativos in ambitu disciplinari et praesertim sub hoc respectu est sat diffusa crisis auctoritatis ecclesiasticae: circa obligationem verae oboedientiae in ambitu disciplinae fideles (et sacerdotes) clare et lucide illuminandi sunt.

Unitas urgenda est in disciplina, sicut in moribus et in dogmatibus.

Discrepantiae inter catholicos dantur circa modalitates adfirmandi auctoritatem Ecclesiae: quidam enim plus nimio democratiae cedentes, inutiles et damnosos reputant interventus auctoritativos Ecclesiae: alii vero ex eo quod facile democratia in demagogiam vertitur maiorem energiam et vim exigerent ex parte auctoritatum ecclesiasticarum.

Ecclesia nihil habet commune in sua institutione et constitutione cum democratia politica vel cum regimine auctoritario. Sub hoc respectu est ordinis divini, non humani.

Attamen ad pleniorem auctoritatis instaurationem vel restaurationem praerequiritur ut confusiones in fidelibus, meliore quo fieri potest modo, clarificentur.

Iter vero ad crisim auctoritatis superandam neque breve neque facile retineatur.

Efficaciores solutiones non improvisantur: poterunt vero procedere a studiorum commissione et quidem quatenus comparantur conclusiones et experientiae ad invicem viva voce communicandae, quin sufficiens retineatur excerpta extrahere ex votis scripto traditis.

Salvo meliori iudicio et maxima humilitate innixus.

DE ORGANISATIONE

(F. Lambruschini)

Ex multiplici parte, inter principales carentias hodiernas Ecclesiae, defectus organisationis lamentatur: non inutiliter attentio Conc. his quaestionibus practicis postulatur. Plurimae tractationes in Conc. inutiles fient, si earum executioni non invigiletur.

Perperam proponerentur decisiones, praesertim in ordine disciplinari, si committeretur bonis voluntatibus: melius esset leges non condere, quam permittere ut conditae frangantur.

Organa aptiora instituenda sunt ad prosperam realisationem decisionum.

1. Primo quidem plures audiuntur non modo extra Romam, sed inter ipsos curiales, lamentantes lacunosam organisationem SS. CC. RR. Quaerimoniae dantur in hoc, quod organisatio actualis Curiae potissimum respicit privilegia et gratias concedendas, dum requireretur organisatio centralis propugnatrix idearum, systematum et methodorum prompta, ita ut influxum positivum exercere valeat in peripheriam.

Praeter definitiones dogmaticas et interventus praeceptivos secundum necessitatem, valde opportuna essent documenta directiva, fines indicantia discussionum, magis consona tendentiis et erroribus arginandis.

Hae positivae indicationes expectarentur praesertim ex S. C. Studiorum, ex Prop. Fide, ex Concilio, ex Sacramentis etc.

Legationes pontificiae, Nuntiaturae etc. deberent esse magis roboratae, etsi non sit necessarium sequi elephantiasim legationum civilium. Res est utique delicatissima ob relationes cum Guberniis civilibus et cum Hierarchia locali nationali, ob diffidentiam erga Repraesentantes Pontificios.

Sana reorganisatio Curiae Romanae est certissime in ambitu competentiae S. Sedis, at Patres Concilii contributum positivum dare queunt ad evertendam perniciosam diffidentiam.

2. Nova organisatio Hierarchiae residentialis optimos effectus posset dioecesibus afferre. Hodie problemata spiritualia, moralia et disciplinaria saepe eadem ponuntur pro provinciis et nationibus vel etiam pro universo mundo, qui tendit ad unificationem.

Si unaquaeque dioecesis talia problemata tractat marte suo, insufficientia hominum viriumque et mediorum laboret.

Praeterea multum interest, ut quaedam uniformitas habeatur in dispositionibus datis pro fidelibus. Verum est quod unaquaeque dioecesis regitur ab Episcopo determinato, qui potest ab alio differre in multis rebus: at fideles habent nunc faciliores communicationes et mutuo communicant sibi invicem ideas, mores, traditiones, tendentias, initiativas etc.

Age nunc, diversitates in dispositionibus Superiorum, illogicae apparent, etsi immerito, et scandalum aut indifferentismum pariunt, quasi ex imprudenti ac personali arbitrio Superioris procedant.

In organisatione Commissionum episcopalium per provincias aut etiam per nationes maiora media praesto sunt pro studio et pro rectis indicationibus ad sacerdotes et fideles destinatis.

Revera Commissiones episcopales institutae sunt fere apud omnes nationes: at videretur bonum esse resolvere praesupposita quaedam fundamentalia circa praerogativas Episcoporum in singulis dioecesibus, vel aliis verbis, stabiliendi sunt fines inter singulos Episcopos et Commissiones.

Melius erit principia in Concilio statuere, quam organisationem totaliter relinquere initiativae singularum nationum: agitur enim de quaestionibus sat delicatis, ipsam hierarchiae constitutionem respicientibus.

Organisatio vero activitatum episcopalium magis apta conditionibus

hodiernis nullo modo officere debet hierarchiae, prout fuit a C. D. instituta.

3. De organisatione paroeciarum.

Paroeciae videntur, hodie quoque, centra potiora non burocratica vitae christianae sensu pleniori acceptae.

Etenim in paroecia, nisi sit plus nimio numerosa ut accidit in suburbiis, sacerdotes contactus personales et communicationes formativas habent, vel saltem habere possunt, cum omnibus fidelibus sibi subiectis, praecipue occasione baptismi, matrimonii, morborum et funerum, etc.

Nisi habeatur novus modus organisationis paroecialis, defendenda esset quam maxime paroecialitas et resistentia opponenda periculo burocratizationis: periculum habetur pro baptismo in civitatibus magnis, tum quia plures baptizati vivunt sine religione, tum quia nativitates fiunt generatim in clinicis et non amplius in domibus privatis. Ita occasione mortis extant societates omnia curantes, quae facienda sunt, et, nomine familiae defuncti, contactus habentes cum sacerdotibus paroeciae.

Contra paroecialitatem invenitur occupatio, seu labor: plurimi enim relicto labore artigiano, fabricas petunt, quae paroecias non agnoscunt. Item diebus festis, vel in vigiliis, familiae completae domum relinquunt et rus petunt vel mare a mense aprili ad octobrem.

Quae omnia aliaque sedulo pensanda sunt, ne praeiudicium afferatur vitae christianae paroeciae, cuius organisatio tuenda est. Nihil vetat quod novae formae in organisatione paroeciali studeantur: ita v. g. non intelligitur quomodo serventur parochi in paroeciis montanis centum vel ducentarum animarum, dum alibi sacerdotes omnino insufficientes sunt in adsistentia religiosa fidelium.

At etiam in novis formis, omnia debent paroecialitati subordinari: sub hoc respectu nullum vulnus inferendum est paroeciis.

4. Curanda est organisatio actionis catholicae, quae nunc in Italia est potius conservativa et stagnativa: curae spirituales impenduntur pueris, iuvenibus et viris: durante itinere et transitu aetatum plura elementa amittuntur, dum personae manentes in adsociationibus catholicis non retinent sufficientem vim propulsivam motus catholici.

Simul vero dantur prope infinitae initiativae diversi generis, ab Ordinibus religiosis promanantes, quae fere semper easdem personas attingunt, ita ut una persona plures tesseras possideat. Creatur ita illusoria vis organisativa, dum re habentur parvi coetus, invidi, apathici, clausi in semetipsis, gradum vitae vegetativae in linea spirituali vix attingentes.

Et tamen Ecclesia eget viribus novis laicorum organisatorum.

5. Ordo desideratur in ephemeridibus: colluvies habetur epheme-

ridum, foliorum diurnorum, compassionem suscitantium in lectoribus. Talia folia erunt efficacia in collectis faciendis, non vero pro efformandis conscientiis christianis, pro diffundenda sanctitate.

Contra fragmentarismum in hac materia necessaria est omnino solida organisatio in ambitu nationis, provinciarum, dioecesium et paroeciarum.

6. Oportet introducere organisationem etiam in caritate. Unaquaeque familia, in elenchis telephonicis numerata, recipit decem-quindecim folia propagandistica, cum folio « conto corrente ». Caritas est libera natura sua, cum in personalitate fidelium fundetur. At providendum est ut caritas colligatur sine ludis, sine offensione boni sensus, sine appropriatione meritorum aliorum, sine invadentia aliorum ambitus etc. Formae peculiares non authorizatae in ambitu nationis, dioecesis et paroeciae non sunt admittendae.

Quin officiatur conditionibus peculiaribus in exercitio caritatis promovendo, utilia sunt quaedam principia communia ad compescendam anarchiam. Sana organisatio caritatis est maximi momenti nostris temporibus: est enim diffusa tendentia ad negandam caritatem in favorem iustitiae: sub influxu demagogiae marxisticae valde obnubilatae sunt ideae fidelium et sacerdotum circa caritatem et iustitiam.

Caritas non est item confundenda cum proprio arbitrio: est enim virtus suprema, mater virtutum pro christianis.

Nescirem utrum aedificationem afferat nostris diebus mendicatio ad portas singularum familiarum, etiamsi exerceatur a traditionalibus Ordinibus mendicantibus, qui habent aliunde, saltem in magnis civitatibus, Ecclesias et domus ditissimas. Deploranda quoque videretur tendentia petendi eleemosynam in tabernis horis sumptionis cibariorum. Ego ipse vidi fratrem eleemosynam petentem in statione hora 23.

7. Organisatio requiritur in instructione religiosa. Omnes concordes sunt in assignanda ignorantia religionis, ut causa prima defectuum christianorum: concordia desideratur in remediis indicandis.

In quibusdam regionibus habetur nostra organisatio catechesis, v. g. in Veneto, dum in aliis, catechesis impartitur in scholis elementaribus et mediis, cui accedit catechismus praeparationis ad Primam Communionem et ad S. Confirmationem. In Italia diffunditur nunc usus confirmandi in aetate tardiore, ut habeantur pueri et puellae ad catechismum etiam post usum rationis: hoc dum in aliis regionibus conamen habetur regrediendi ad traditionem aetatis rationis pro confirmatione.

In catechesi pro Sacramentis recipiendis memoriae mandantur quaedam formulae, quin cura habeatur de earum comprehensione. Ad hoc

reducitur saepe tota religiosa instructio: parum omnino. Minus florida est conditio instructionis religionis pro adultis.

Usque ad hodiernos dies retinebatur, quod catechismus adultorum non erat amplius frequentatus, ex eo quod horis vespertinis fideles distractionibus vacarent. Agebatur de ratiocinatione omnino aprioristica, quia Missae vespertinae recens introductae plurimos attrahunt fideles.

Omnis vero aprioristica ratiocinatio est falsum problema, cui consequenter nequit recta solutio afferri.

Omnes concordant in proponenda catechesi. Catechismus, catechismus, catechismus, repetunt Episcopi parochis, isti vero vicariis aliisque sacerdotibus, qui sua vice rem deferunt fidelibus. Sed quis facit catechismum et quibus facit, si bona organisatio desideratur? Voces in deserto auditae nullam echum habent!

Cum vero fideles Missam frequentent sufficienti percentuali (at etiam in hoc non sunt illusoria colenda), plures proponunt substitutionem catechismi homiliae explicativae textus evangelici.

Quod item sapit falsum problema: oportet enim unum facere et aliud non omittere. Quaestio gravissima praesupponitur: est primum Evangelium vel theologia? Quid fideles melius intelligunt et quid est magis consonum formationi conscientiae christianae, catechismus theologicus vel explicatio Evangelii? Hic adnectitutr quoque quaestio de s. Liturgia.

Officia sacerdotum et fidelium in ordine ad instructionem religiosam, etiam theologicam, maxime necessaria hac nostra aetate, profunde tractanda sunt et quidem efficaciori modo: minime spernenda sunt in re contributa pedagogiae, psychologiae, mediorum exteriorum, experientiarum.

Non expectantur definitiones dogmaticae, sed directivae practicae.

Non sunt utiles polemicae et si aliquando necessariae sint polemicae, non adhibeatur excessiva rethorica.

Oportet in re essentialisare catecheticam expositionem: si Conc. putat utilem instructionem quoad catechesim, iam extat S. Congr. Concilii ad curandam realisationem instructionis.

8. Organisatio est maxime necessaria pro scholis nostris, ut sint formativae conscientiae christianae et civilis.

Conamina instituantur reintroducendi magisterium theologicum in universitatibus civilibus. In condicione actuali studia profana, classica et praecipue technica, sunt in maximo honore apud omnes, dum studia theologica sunt vilissimi valoris et quasi clero circumscripta.

Sicut favendum esset sacerdotibus excellentibus in studiis profanis quoque, quia constituerent validissimum argumentum apologeticum, in

scientiis potissimum, longe melius omnibus verbalibus polemicis, ita maxime favendum esset culturae theologicae laicorum ad « élites » efformandas, quarum momentum in societate actuali nemo ignorare potest.

Cum in re habeatur competentia S. Congr. Seminariorum et Studiorum non est hic utile descendere ad alias practicas applicationes, v. g. ad ipsas facultates theologicas, iuridicas etc. reformandas, ad studia in Seminariis promovenda, praehabita programmatum revisione, ad scholas, quas « liberas » vocant efficaciores reddendas pro formatione alumnorum, pro magisterio religionis in scholis publicis etc.

At inutile non erit si ex Conc. novus impulsus veniat novae organisationi studiorum in catholicis, opportunis normis directivis editis, quasi indicationibus generalioribus.

9. Urget organisatio oeconomiae. Sufficiat pauca innuisse.

Ex pluribus annis in parlamento italico proelia committuntur ut congrua parochorum adaequetur necessitatibus vitae: videtur quasi totum interesse religionis in eo esse, ut necessitatibus cleri illis adaequationibus provideatur.

Sunt certo laudandi sacerdotes, qui in favorem confratrum huiusmodi sancta proelia duxerunt et iniuria adversarii clerum accusant, quasi si ita perciperent mercedem suae actionis electoralis in favorem partium politicarum d. c.

Nescio vero utrum haec fuerit via unica aut saltem melior pro sustentatione congrua cleri tuenda et nemo scit quousque sint leges augmentationis congruae valiturae; futurae enim auctoritates politicae possent se retinere non amplius ligatas ex rapinis factis bonis Ecclesiae saeculo elapso.

Olim clero providebatur decimis impendendis a fidelibus Ecclesiae: si familiae catholicorum hodie non dico decimas, sed centesimas impenderent Ecclesiae, iam haberetur provisio sufficiens pro clero.

At valor decimarum non est tantum oeconomicus, quatenus et clerus habet necessitates oeconomicas satisfaciendas, sed et formativus et educativus: si fideles dant decimas ut contributum imperatum a lege divina melius sentiunt Ecclesiam et sacerdotes ut sua: si non dant contributum, parati erunt ex demagogia ad consideranda Sacramenta non ut mysteria salutis, sed ut media ad captandam pecuniam fidelibus, praesertim occasione baptismi, matrimoniorum et iustorum funebrium.

Non videtur igitur guberniis relinquendum onus sustentandi Ecclesiam et clerum et a pari neque divitibus: caeterum hoc ultimum falsum experientia duce demonstratur.

Optimam rem faceret Conc. si hoc problema tractaret, dando ideas claras in re, suggerendo aequilibratas solutiones, ut magis apprecietur

valor spiritualis religionis, obligationem omnium fidelium in memoriam revocando ut honestum contributum pro parte sua Ecclesiae tradant, sicut iam fit in quibusdam regionibus. Hoc vero nullo modo importat ut Ecclesia, v. g. in Italia, sponte abrenuntiet contributis gubernii, quae se habent in ambitu iustitiae secundum theoriam verissimam restitutionis post furtum.

10. Directivae maxime utiles erunt in dirigendis catholicis quoad vitam socialem et politicam. In re sana organisatio est maximi momenti. In quibusdam nationibus proclamatur altissimum disinteresse pro quaestionibus politicis, v. g. pro electionibus deputatorum et administratorum: in aliis e contra interventus dantur Curiarum usque ad voti determinationem.

Non est in re necesse exemplificare, quia exempla patent coram omnibus. Neque est in dubio ponendum quod Episcopi possint urgere maiores determinationes in suis directivis pro rerum necessitatibus non tantummodo in ambitu stricte dogmatico et morali, sed et in ambitu disciplinari.

Attamen peropportunum viderem quod Conc. determinet certos fines et limites interventuum in re politica, quae saepe intime connectitur cum re sociali. Excessivi interventus quam maxime favent formationi conscientiae laicalis etiam in catholicis praticantibus.

Res est eo urgentior quod oppositiones et contradictiones non habentur tantummodo inter fideles, sed et inter sacerdotes et confessarios, quibus ponuntur problemata conscientiae gravissima, ac denique inter ipsos Episcopos, quorum alii aliter sentiunt in re.

Conclusio

Enumeratio, de qua supra, est tantum exemplificativa: alii alia suggerere queunt. At certum est organisationem esse necessitatem nostri temporis et non esse ita facilem. Non sufficit unus ad faciendam sufficientem organisationem, etiamsi altissimi ingenii et auctoritatis; in charta utique organisatio est facilis: organisatio vero, quae manet in charta timorem nulli incutit. Est, meo modesto consilio, casus protestationum contra immoralitatem publicam ephemeridum, cinematographi etc. Fatendum est nationes catholicas (non ut catholicas, uti patet) certare cum aliis in productione spectaculorum immoralium et in eorum frequentatione.

Organisatio seria, valida, efficax in duplici elemento potissimum fundatur: ex una parte requiritur auctoritas, ex altera plurium competentium collaboratio. Vae misero sine auctoritate, vae soli et inepto! Putaverim Conc. Oecum. et auctoritate et collaboratione competentium inniti posse.

Salvo meliori iudicio et maxima humilitate.

EPISCOPATO E PRIMATO PAPALE

Note storiche sulla dottrina dal iv all'viii secolo

(M. Maccarrone)

Una fondamentale questione dottrinale è stata al centro dell'attenzione dei due ultimi Concili Ecumenici, il Tridentino ed il Vaticano, turbando in certi momenti le discussioni conciliari ed influendo negativamente sullo svolgimento dei concili stessi: la questione del rapporto tra Episcopato e Primato del Romano Pontefice nella divina costituzione della Chiesa.

Il Concilio di Trento affrontò il problema indirettamente, quando trattò dell'obbligo della residenza dei Vescovi, se fosse o no di diritto divino, e poi più ampiamente nelle discussioni, assai tese, durante il terzo periodo del Concilio, sull'origine della giurisdizione episcopale, se *immediate* dal Papa o da Dio. I forti contrasti provocati dalla questione derivano principalmente dal fatto che a Trento non fu approfondita la dottrina del Primato papale, nè si potè giungere in quel Concilio alla definizione di tale dottrina, con grande danno della teologia e della ecclesiologia in specie, cui mancò un fondamentale caposaldo.

Il Concilio Vaticano ebbe il merito di dare questa definizione, ampia e completa per ciò che riguarda la natura della potestà papale, esposta nel cap. III della costituzione *Pastor aeternus*. Tuttavia le discussioni vaticane non furono serene, come è noto, e la ragione non è da cercare soltanto nei dissensi che dividevano i Padri circa la proposta definizione dell'infallibilità pontificia, bensì anche nel fatto che si trascurò di affrontare e definire la dottrina, strettamente connessa, delle relazioni tra potestà papale e potestà episcopale. L'esigenza di tale trattazione fu sentita dai Padri del Concilio Vaticano e per venirvi incontro fu aggiunto il terzo paragrafo del cap. III, mancante nel testo discusso dalla Deputazione della Fide, nel quale in forma negativa si accenna al rapporto tra Primato ed Episcopato (« Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas *officiat* ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua episcopi... ») confermandolo con la citazione di un passo di San Gregorio Magno: « Meus honor est fratrum meorum solidus vigor etc. ».

Oggi, dopo che la definizione vaticana ha felicemente liberato il terreno dagli errori e dalle incomprensioni nei riguardi del Primato papale insorti nell'ambito dell'ecclesiologia cattolica dal xvi al xix secolo, la teologia

si trova nelle migliori delle condizioni per affrontare il problema su cui si affaticarono i Padri di Trento e quelli del concilio Vaticano, coronando l'opera compiuta da questi ultimi con lo studio e l'eventuale definizione della dottrina cattolica dell'Episcopato, considerato in primo luogo nella sua origine e sua vera natura, vale a dire in rapporto al Primato papale ed alla definizione datane al Concilio Vaticano.

La questione è stata da me studiata sotto l'aspetto storico, e relativamente all'Occidente dal IV all'VIII secolo, in una monografia che mi permetto qui allegare.[1] Lasciando ad altri l'approfondimento teologico dei testi scritturali e della prima tradizione, la mia ricerca offre una documentazione, che potrà essere allargata ad altri periodi e all'Oriente se ciò fosse richiesto. Essa è tratta in gran parte dalle lettere e dagli atti dei papi di quel periodo, costituendo pertanto un fondamentale argomento di tradizione.

Allo scopo di illustrare la dottrina nel suo complesso, è utile anche per la nostra questione la prima parte dello studio, che spiega il concetto di *sedes apostolica* nel suo valore di formula esprimente l'istituzione del Primato papale nella Chiesa, la sua perennità ed il suo esercizio da parte dei Romani Pontefici, riconosciuto sia in Occidente che in Oriente; parimenti giova all'argomento quanto ho precisato nei capitoli successivi (« Il patrocinio di San Pietro », « Vicarius Petri ») sul concetto genuino della successione del papa a San Pietro, così come era rappresentata dal IV all'VIII secolo, e sul suo valore teologico, poichè le rispettive formule e rappresentazioni ponevano in evidenza la dottrina che l'ufficio di Pietro e l'autorità conferitigli da Gesù Cristo sono passati e rimangono perenni e viventi nel Vescovo di Roma, che tiene il luogo e la sede di San Pietro.

La concezione del Primato papale, quale si era sviluppato nei primi secoli, era integrata dalla dottrina del rapporto della giurisdizione del papa rispetto ai vescovi e rispetto alla Chiesa, e ciò è stato oggetto della seconda parte del mio lavoro, esposta nei capitoli: « Petrus initium episcopatus », « Communio apostolica », « Vice sedis apostolicae » (pp. 55-106). Sviluppando le precedenti e benemerite ricerche di Pierre Batiffol ho delineato la storia della formula, dominante nel sec. V: *Petrus initium* (o *exordium* o *fons*) *episcopatus,* dimostrando come fosse radicata nel più antico pensiero cristiano e derivata da un approfondimento teologico dei testi evangelici del Primato petrino. Questa formula propriamente esprime l'idea che la potestà episcopale trae la sua

---

[1] *La dottrina del Primato Papale dal IV all'VIII secolo nelle relazioni con le chiese occidentali,* Spoleto 1960, pp. 112.

origine dalla potestà di San Pietro, intendendo ciò non in senso cronologico, poichè ben si sapeva che gli Apostoli erano stati istituiti direttamente da Gesù Cristo ed in nessun luogo del Vangelo si parla di una istituzione da parte di San Pietro, bensì come conseguenza necessaria del Primato di San Pietro, cui fu assegnato dal Signore il supremo potere su tutta la Chiesa, costituito *vicarius Christi* nella Chiesa stessa: pertanto, come Cristo è la fonte e la ragione di tutta la potestà ecclesiastica, così San Pietro, la cui funzione non si limita ad essere la pietra su cui poggia e si innalza l'edificio della Chiesa di Gesù Cristo, bensì fu costituito dal Signore perchè fosse la causa dell'esistenza e della continuità di tale edificio, rappresentando pietra ed edificio un tutt'uno la cui ragione e forza risiede nel primo elemento. E poichè si tratta di una funzione conferita a San Pietro da Gesù Cristo alla Chiesa, essa non può essere considerata un privilegio singolare di San Pietro, bensì un ufficio che rimane nella *sedes Petri,* trasmesso dal Principe degli Apostoli ai suoi successori, costituiti essi pure *initium episcopatus.*

Questa formula appare per la prima volta in un documento papale: la lettera di Siricio *Cum in unum* del 6 gennaio 386 diretta ai vescovi africani, nella quale il pontefice richiama, come una dottrina nota, il principio che attraverso San Pietro *apostolatus et episcopatus sumpsit exordium.* L'unione dei due termini (apostolato ed episcopato) serve ad indicare come nella mente del papa si riferisse la prerogativa sia a San Pietro che ai suoi successori e come si intendesse nel senso logico sopra spiegato e non in quello cronologico, conoscendo dai Vangeli che gli Apostoli avevano avuto origine non da Pietro, ma da Cristo stesso.

La formula di papa Siricio è importante perchè viene ripetuta da numerosi documenti pontifici della prima metà del sec. V e continuata successivamente, come ho documentato nella mia ricerca. Non sono semplici ripetizioni cancelleresche tali abbondanti testimonianze, ma espressioni di una dottrina, ufficialmente ed esplicitamente affermata dai papi, che ad essa si richiamano in occasione di loro atti o loro interventi rispetto ai vescovi, richiedenti una precisazione della dottrina sull'Episcopato rispetto alla potestà papale. Nè si deve credere che la formula di Siricio rappresenti una nuova dottrina, sviluppata dai papi in funzione della loro autorità. La dottrina relativa già era stata elaborata nella Chiesa, sulla base dei testi evangelici, e ne ho delineati gli elementi nelle testimonianze del III e del IV secolo. Lo stesso S. Cipriano, pur non manifestando un pensiero chiaro e sempre ortodosso rispetto al rapporto tra Episcopato e Primato, offre preziose testimonianze quanto alla nostra questione, affermando che l'episcopato (la *cathedra,* come felicemente lo chiama) è una potestà conferita da Cristo a San Pietro

nell'atto stesso in cui lo costituì capo della Chiesa: « Cathedra una (est) super Petrum Domini voce fundata ». Egli pertanto vede nell'istituzione del Primato in primo luogo la *fondazione* della potestà episcopale, tutta collocata in San Pietro ed implicitamente destinata ad essere proprietà e prerogativa della *cathedra Petri,* espressione che sta al centro della ecclesiologia di San Cipriano.

Questa idea continua dal III al IV secolo e le testimonianze da me raccolte, provenienti da concili e da scrittori ecclesiastici, manifestano la sua continuità di tradizione ed il suo sviluppo teologico. È una tradizione dottrinale cui attingono i papi, a partire da Siricio, espressa nella formula *Petrus initium episcopatus* e che trova a metà del sec. V il suo grande dottore in San Leone Magno. Per quanto egli non faccia uso di quella formula, la dottrina corrispondente è da lui ampiamente illustrata, specie in alcuni sermoni, sui quali mi sono fermato (pp. 62-64). Vorrei qui sottolineare due punti, che sono approfonditi da San Leone, ma già appaiono chiari nelle precedenti testimonianze, in particolare in quelle dei papi della prima metà del sec. V. Il primo punto è che quando si parla di San Pietro origine dell'episcopato si vuole precisamente indicare una prerogativa della sua sede, esercitata da coloro che in essa siedono e godono nella Chiesa della medesima autorità di San Pietro. Il secondo punto consiste nel fatto che l'episcopato universale di San Pietro e del papa è sempre considerato quale conseguenza necessaria dell'idea della Chiesa come un corpo che ha avuto un capo, San Pietro, per divina costituzione ed essenza. Ancora papa Siricio afferma, scrivendo al vescovo di Tarragona, che si è rivolto alla Chiesa romana « utpote ad caput *tui corporis* » e Bonifacio I definisce San Pietro « velut caput suorum membrorum ». Motivo sviluppato da San Leone Magno, che nel medesimo ordine di pensiero definisce la Chiesa un *sacratum corpus* nel quale tutto ciò che le membra posseggono deriva dal capo, che è San Pietro: « Ab ipso quasi quodam capite dona sua velit in omne corpus *manare,* ut exsortem se mysterii intelligeret esse divini qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere » (*PL.* 54, 628-629).

Tale idea rappresenta per San Leone l'essenza della dottrina del Primato e chi non l'accetta si allontana dal fondamento della Chiesa, che è Pietro, e con ciò stesso abbandona la Fede cristiana, il *divinum mysterium.* Per l'intelligenza di tale passaggio si tenga presente quale era nella fisiologia del tempo la funzione del capo rispetto alle membra del corpo: non solo era concepito quale la parte più nobile ed eminente del corpo umano, ma anche la fonte perenne della vita di tutto il corpo, dando ad ogni membra il flusso vitale per cui in ognuna esso

era considerato presente. Si giovò di tale concezione la dottrina del corpo mistico, sviluppata dai Padri greci e latini e che trovò una felice espressione nel celebre passo di Sant'Agostino: « Christus in membris suis ipse erat... totus in capite et in corpore » (*Tract. 28 in Ioannem*). Allo stesso modo viene concepita la funzione di San Pietro, e rispettivamente del papa, in quanto capo dell'episcopato: egli è definito la testa (*κεφαλή* e *caput* sono i termini sempre usati in greco ed in latino) del corpo della Chiesa ed in particolare del corpo episcopale che succede agli Apostoli, per cui vale la stessa funzione di essere presente in ogni membro suo. Papa Celestino I, per fare un solo esempio, dichiara di intervenire contro Nestorio « cum *nostra* membra sitis » e avendo saputo che le *sue membra* erano dilacerate (testo a p. 78, n. 230).

Si tocca qui il punto centrale della nostra questione, che deve essere precisata mercè il sussidio dei passi patristici studiati nell'ultimo capitolo del mio lavoro. Specialmente i passi di San Leone approfondiscono il problema del rapporto intercorrente tra esercizio del Primato papale e ordinaria giurisdizione dei vescovi nelle singole diocesi: si noti come anche al Concilio di Trento i Padri assertori della derivazione immediata dal papa della giurisdizione episcopale si richiamassero ad un passo di San Leone (« In partem sollicitudinis vocati ») conosciuto attraverso la tradizione canonistica. La dottrina di San Leone è più ricca e quel passo aveva un riferimento solo ai poteri del vicario papale di Tessalonica. Egli la presenta in una visione generale, partendo dal concetto di *sollicitudo,* che è proprio del governo della Chiesa. La « sollecitudo » del papa è *universale* ed abbraccia tutta la Chiesa, mentre quella dei vescovi sul proprio gregge è chiamata da San Leone *sollicitudo specialis,* quasi fosse una specie ed un'applicazione della prima. Ciò deriva dal fatto che l'ufficio papale di natura sua e nel suo ordinario esercizio viene concepito quale una continua collaborazione ed intima unione con quello dei vescovi sparsi in tutto il mondo. Il papa, afferma San Leone, ha una *cura communis* con tutti i vescovi e la loro *administratio* è da lui definita *nostri laboris portio* (testo riportato a p. 88, n. 257). Non si considerino tali espressioni come forme di complimento e di benevolenza, poichè esse sono formule ricche di contenuto dottrinale. In altro luogo San Leone ne approfondisce l'idea, spiegando come esista tra papa e vescovi una *similitudo honoris* ed una *communis dignitas* nell'ambito di una *discretio potestatis.* Ciò è richiesto dall'*ordo generalis* determinato da Gesù Cristo per la sua Chiesa e che ne costituisce l'esterna bellezza e l'intima unità. Tutti gli Apostoli furono chiamati dal Signore, ma avendo Egli stesso dato a San Pietro l'ufficio di loro capo, li ha

in tal modo a lui subordinati ed ha fatto da lui dipendere tutto l'ordinamento episcopale e tutto l'esercizio della potestà dei vescovi dispersi nelle diverse regioni. La « sollicitudo » dei singoli vescovi è più o meno ampia, ma non è da considerare in sè ed isolamente, perchè di natura sua confluisce in quella del papa e precisamente rappresenta la *cura universalis* della sede di Pietro: « Per quos (sc. episcopos) ad unam Petri sedem universalis ecclesiae cura conflueret et nihil usquam a suo capite dissideret » (testo a p. 88, n. 259).

Questi passi di San Leone, confermati da altre testimonianze patristiche, possono servire di base ad una formulazione dottrinale sull'origine della potestà episcopale, aggiungendo un nuovo serto alla definizione vaticana del Primato papale. Prendendo lo spunto dal paragrafo terzo del cap. III, si potrebbe precisare la natura dell'*honor* dei vescovi, da San Gregorio definito « suo onore », spiegandola con le formule di San Leone, cui aggiungerei quella, molto bella, del suo successore Ilaro, che dichiara all'episcopato delle Gallie: « Sollicitudo pastoralis curae in suis sedibus partita nobiscum » (testo a p. 88, n. 260).

La dottrina formulata nella veneranda frase dell'antichità cristiana e dei papi del v secolo: *Petrus initium episcopatus* dà la vera ragione della divina istituzione dell'episcopato, voluto da Gesù Cristo in conseguenza della Sua instituzione del Primato nella Chiesa. Nell'eventuale definizione non deve essere presentata tanto quale una nuova esaltazione della potestà papale, quanto piuttosto, come si manifesta nella tradizione patristica illustrata nella mia ricerca, una esaltazione dell'*unità della Chiesa* allo scopo di elevare la potestà e la dignità del vescovo di fronte ai fedeli cattolici, mostrando, anche ai fratelli separati ed ai non credenti, quale sia l'intima armonia che regge la divina costituzione della Chiesa, tanto diversa da quella delle società fondate dagli uomini.

Il Santo Padre Giovanni XXIII, in uno dei Suoi discorsi sul prossimo Concilio Ecumenico, ha manifestato il voto intimo del Suo cuore assegnando al nuovo Concilio il compito di dare alla Chiesa « novello vigore per la sua divina missione, secondo gli immutabili, sacri principi su cui poggia, secondo le orme della tradizione antica » (Udienza al Pontificio Collegio Greco: « L'Osservatore Romano », 17-1-1959). A tali alti fini contribuirebbe la proposta definizione di *Petrus initium episcopatus,* che preciserebbe l'intimo rapporto che unisce i vescovi al papa, vincolo non di semplice subordinazione gerarchica, ma derivante dalla natura della Chiesa quale un *sacratum corpus,* dove le membra vivono della vita del capo: la definizione aiuterebbe i lontani a « sco-

prire il vero volto della Chiesa cattolica », secondo il desiderio del Santo Padre, offrirebbe alla teologia occasione e base sicura per sviluppare la dottrina del corpo mistico di Cristo che è la Chiesa, sarebbe ricca di conseguenze e di applicazioni nel campo della disciplina e della vita ecclesiastica.

DE MAIORI INFLUXU AB ECCLESIA EXERCENDO IN CIVILITATEM ET IN PROGRESSUM HUMANITATIS UT OMNIA CHRISTO LUCRIFACIAT

(R. Masi)

Argumentum

Ecclesia Christi nullo modo vero humanae civilitatis progressui opponitur, sed illum valde existimat, extollit, promovet; et utilitatibus ex progressu devenientibus gaudet, tamquam dono Dei, iisdem utitur ad sua munera adimplenda.

Inimici affirmant Ecclesiam progressui et scientiae obstare, et conantur Ecclesiam expellere ab omni humana activitate, ex cultura, ex oeconomia, etc. ne Ecclesia ullum habeat influxum in vitam humanam modernam. Quod revera, saltem ex parte, his ultimis nostris temporibus est factum. Necessarium ergo est omnino ut Ecclesia sit praesens in omni humana activitate et progressu, ut homines dirigat ad bonum iuxta Dei leges.

Quam ob rem Concilium Oecumenicum proclamet compossibilitatem et utilitatem progressus pro Christiana religione, et de facto regulas et praecepta disponat, ut per actionem filiorum suorum, sive clericorum sive laicorum, in progressum humanae civilitatis agat et influat. Quae enim sine Ecclesia fiunt, iam saepe contra Ecclesiam et contra Christum sunt.

De notione progressus

Hic loquimur de vero progressu. Dicitur progressus motus versus perfectionem, ex minori bono ad melius, sive hominum singulorum, sive societatis, sive in scientia, sive in artibus, sive in technica, sive in re politica, sive in re oeconomica, sive in re sociali, etc. Ut patet, notio progressus dependet ex notione boni; iudicandum est ergo de notione boni, quid in unaquaque re sit bonum vel malum, melius vel peius; quod iudi-

cium dependet ex generali conceptione rerum et hominum, hoc est, ex doctrina philosophica.

Inde est quod aliquae doctrinae de progressu fuerunt, quae, ex falsis philosophiis dependentes, falsum progressum propugnabant, progressus scilicet versus conceptiones, quae a sana philosophia et a revelatione christiana reiciuntur. Hoc dicas de notione progressus positivistica ab Augusto Comte indicata, de notione idealistica ab Hegel propugnata: item de diversis progressus notionibus ab evolutionismo, a socialismo, a communismo, a liberalismo, etc. indicatis. Quae omnes notiones falsae revera sunt et ad errorem inducunt; quam ob rem superius affirmabamus quod Ecclesia progressui veri nominis minime opponitur, illumque extollit, et promovet.

Rationes votum comprobantes

I. *Documenta Magisterii Ecclesiastici.* – Pius IX, in *Syllabo,* propositionem hanc damnavit: « Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo, cum recenti civilitate sese conciliare et componere » (D. 1780). Quae damnatio, tametsi affirmationi nostrae opposita videatur, illam demonstrat, si bene intelligatur. Nam propositio illa damnata apparet iam in allocutione Pii IX *Iamdudum cernimus* (18 martii 1861) et damnatur. In illa allocutione Summus Pontifex damnat progressum humanae civilitatis sensu liberalismi intellectum. Notum est enim quod liberalismus, tempore Pii IX grassans, rationem super revelationem extollebat, Ecclesiam adversione prosequebatur, vitam publicam areligiosam volebat, illamque « saecularizatam », ut dicunt; exinde propugnat maximam tolerantiam pro omnibus religionibus, pro omnibus doctrinis et philosophiis, in arte, in scientia, in re oeconomica, in re morali, etc. Ecclesiam veram et doctrinam revelatam omnibus modis liberalismus oppugnabat, eiusque influxum in scholas, in rem publicam, in culturam, in omnes fere formas vitae socialis et civilitatis respuens, et negans, et impediens. Quo fit ut liberalismus inimicus acerrimus evaserit S. Ecclesiae.

Pius IX progressum falsum in *Syllabo* damnavit versus doctrinas praefatas deleterias, et rite quidem: « At cum civilitatis nomine — inquiebat maerens Pius IX — velit intelligi systema apposite comparatum ad debilitatem et fortasse etiam delendam Christi Ecclesiam, numquam certe quidem haec Sancta Sedes et Romanus Pontifex poterunt cum huiusmodi convenire » (*Pii IX Pontifex Maximi Acta,* pars I, vol. III, p. 223). Cognoscit quidem Pius IX veri nominis progressum, illumque laudat et extollit, cuius dicit Ecclesiam fautricem et patronam: « Siqui-

dem Sancta Sedes verae civilitatis continenter fuit patrona et altrix; atque historica monumenta eloquentissime testantur ac probant, omnibus ab eadem Sancta Sede in disiunctissimas quasque barbaras terrarum orbis regiones veram rectamque fuisse invectam morum humanitatem, disciplinam sapientiam » (*l. c.,* pp. 222-223).

Alia documenta sollemnia in quibus apparet existimatio Ecclesiae progressus veri nominis sunt; ex. gratia, littera Encyclica *Providentissimus Deus,* in qua Summus Pontifex Leo XIII scribit « scripturae sacrae doctori cognitio rerum naturalium bono subsidio erit » (D. 1947), ut libros sacros melius intelligat. Sed praesertim in Concilio Vaticano, Ecclesia, docens de *Fide et ratione,* distinguit duplicem ordinem cognitionis, naturalis et revelatae; impossibilitatem verae oppositionis inter fidem et rationem docet; immo mutuum inter utrumque adiuvamen affirmat; ac tandem verum profectum scientiae naturalis affirmat (D. 1795-1800). Ex quibus omnibus facile cuique patebit Ecclesiam probare progressum scientiarum, et extollere.

Haec eadem mens invenitur in sequentibus Pontificibus Romanis. Sufficiat nunc recolere Pontificiam Academiam Scientiarum a Pio XI creatam. Pius vero XII pluries et pluries locutus est de progressu sociali, artistico, scientifico, technico, etc. semper laudans verum progressum et iudicans mentem Ecclesiae Sanctae in diversis quaestionibus a progressu excitatis. Docuit quidem quod progressus est iuxta legem divinam, ad bonum hominum et ad gloriam Dei veri. Verus ergo progressus conciliatur cum lege divina. Etiam progressus technicus est quidem donum Dei, est in bonum materiale hominum, et coniungi debet cum progressu religioso et morali, ut utilis vero evadat, qui quidem est verus progressus et nobilissimus, ad quem progressus materialis et technicus concurrere debet tamquam ad finem suum (cf. Pio XII, *Discorsi e radiomessaggi,* Città del Vaticano 1939 s.; *La solenne inaugurazione del quarto anno della Pontificia Accademia delle Scienze,* vol. I, p. 439 s.; *Al Patriziato ed alla nobiltà romana,* vol. V, p. 182 s.; *Ai congressisti dell'industria agraria,* vol. XIV, p. 170 s.; *Radiomessaggio al X Congresso Nazionale dei Cattolici della Svizzera,* vol. XVI, p. 23 s.; etc.). Denique idem Pius XII in Littera Encyclica *Humani Generis* progressum scientificum verum laudavit, hortans filios Ecclesiae, ut suo studio concurrant ad progressum scientiarum: « Nitantur utique (docentes in Ecclesiasticis Institutis) omni vi omnique contentione ut disciplinas quas tradunt, provehant ».

II. *Traditio.* – Etiam in historia Ecclesiae videmus Ecclesiam ipsam ita humanum verum progressum existimavisse, ut suum fecerit eiusque utilitatibus usa sit. Multa ad hoc demonstrandum afferri possent; hic

vero duo innuimus: 1) Ecclesia primaeva civilitatis graeco-romanae progressum existimavit illumque suum fecit et in posterum transmisit; 2) In aetate media Ecclesia philosophiam aristotelicam noviter cognitam, praesertim per operam S. Alberti Magni et S. Thomae, sibi adiudicavit, ab erroribus expolitam.

1) Ipsa Providentia Divina Imperium Romanum paravit ut homines melius Evangelium reciperent, et ut religio Christi latius et citius in universum mundum diffunderetur.

Primi scriptores ecclesiastici et primi Patres, valde existimaverunt culturam et philosophiam paganam. Aliqui quidem eam spreverunt (Tertullianus, *De praescriptione haereticorum,* c. 7, 8, 10, etc. Hippolitus, *Ref. omnium haer.,* I, 11, 26, etc.). Sed fere omnes doctrinam paganorum expoliaverunt ab erroribus illamque adhibuerunt ad fidem christianam amplificandam et defendendam. Sic S. Iustinus Martyr (*I Apologia*), sic S. Irenaeus (*Adversus haereses*), sic S. Cyprianus, S. Clemens Alexandrinus, Origenes, et praesertim S. Augustinus (cf. *De Civ. Dei,* XVII, c. 41, n. 3). Exinde factum est quod progressus civilitatis paganae utillimus factus est pro Ecclesia Catholica. Hoc verum est praesertim de cultura; et etiam de artibus, de iure, etc. Quae omnia revera, post occasum Imperii Romani, thesaurus Ecclesiae devenerunt, quae ad normam Evangelii Ecclesia adaptavit et ad posteros transmisit.

2) In alia occasione Ecclesia progressum humanum adhibuit ad suam maximam utilitatem; quando enim Aristotelis opera nota facta sunt in scholastica latina, in principio saeculi XIII, Ecclesia valde timuit ne errores, qui in operibus philosophiae aristotelicae erant, damnum inferrent fidei: quam ob rem opera Aristotelis prohibuit donec corrigerentur. Sic iussit Gregorius IX, anno 1231. Revera correctio facta est paulatim et perfecta est praesertim a S. Thoma Aquinate. S. Thomas enim, considerans novas tendentias philosophicas sui temporis erga Aristotelem, vidit possibilitatem corrigendi philosophiam aristotelicam eaque utendi ad enucleandam doctrinam christianam. S. Thomas immortalia sua in Aristotelem commentaria scripsit in Italia, saltem ex parte in aula pontificia, quibus amplissimam philosophiam aristotelicam ab erroribus expolivit, illamque aptam fecit ad revelationem enucleandam et defendendam. Quod opus utillimum fuit pro tota Ecclesia, praesertim nostris temporibus.

III. *Ratio theologica.* – Tandem ratio theologica confirmat doctrinam praecedentem. Nam Deus est Creator Omnipotens et naturae humanae et mundi totius. Quidquid in mundo fit, a peccato non corruptum, bonum est, et Deo creaturis gratiose elargitur; etiam tota humana activitas et vita, sive privata, sive socialis, prout bona est, iam est donum

Dei. Quum Verbum est factum caro, quodammodo iterum humanam naturam consecravit et omnes eius bonas potentias. Immo redemptio elevat ordinem naturalem ad finem supernaturalem per Ecclesiam; quidquid bonum est ergo in humanitate, a Deo est destinatum ut per redemptionem Unigeniti sui ad bonum hominum perficiatur. Omnes ergo hominum activitates, divitiae materiales, et spirituales, et morales a Deo ordinatae sunt ut per redemptionem, in Ecclesia eleventur, ut homines facilius et dignius finem suum supernaturalem attingant. Omnia bona in mundo Christum appellant, Christi sunt et Ecclesiae eius. Exinde sequitur quod omnis modernus progressus, si quis adest, in technica, in re politica, in re sociali, in artibus, in cultura, etc. Christi est, Ecclesiae est, Christi et Ecclesiae gloria est, in spiritualem bonum christianorum.

Quam ob rem Ecclesia Christi non tantum non spernit nec damnat progressum humanum; sed quidem progressum verum extollit, laudat, promovet. Eo vel magis quod humanus progressus potest in bonum et in malum adhiberi et verti. Si Ecclesia curam non haberet de humano progressu, iam hoc in malum verteretur; quidquid enim sine Christo fit, de facto saepe ab hominibus contra Christum et contra Deum fit. Ex facto quod progressu quis uti possit, non exinde progressus et humana civilitas spernenda et damnanda sunt. Etiam Deus enim hominem creavit, videns futurum peccatum; optimismus christianus super Divinam Providentiam fundatur.

Considera denique quod progressus humanus est factum obvium et naturale, quod nulla vis oppugnare potest et destruere; sese abstinere vel despicere progressum significat illum oppugnare, et quidem inutiliter, immo contra ipsas leges historicas a Deo statutas. Quod sane damnosissimum foret et inefficax.

Ingrediatur ergo Ecclesia in omnes humanas activitates modernae civilitatis, illas dirigat, promoveat, roboret per suas doctrinas, per suas exortationes, per suos filios meliores ad bonum supernaturale animarum, ad quod quodcumque progressus et quodcumque bonum naturale ordinari debet. Et sicut iam in media aetate poterit iterum evangelicam mentem in societate moderna imprimere, in omnibus activitatibus humanis, in tota civilitate, in cultura, in litteris, in artibus, in scientia experimentali, in technica, in re oeconomica, etc. Quod quidem fundamenta sit ad Civitatem Dei super terram iterum roborandam, in gloriam Ecclesiae Sanctae, in gloriam Christi, in gloriam Dei, in salutem animarum!

Mens antichristiana modernae civilitatis et progressus actualis

Mens christiana societatis in aetate media paulatim immutata est in tendentiam antichristianam. Quod prius factum est in ordine theoretico, deinde in praxi vitae.

Humanismus, in saeculo xv, colens formam artisticam, ad opera pulchra meliora redit civilitatis paganae antiquae; et simul cum forma, etiam doctrinam magnificavit paganam. Redierunt iam antiqua systemata philosophica, platonismus, aristotelismus, stoicismus, atomismus; scholastica vero spernebatur a multis, dum nova libertas cogitandi instaurabatur. Quod factum est etiam propter lutheranismum, qui Ecclesiam oppugnabat et libertatem cogitationis et actionis expostulabat. Studium vero scientiae naturalis experimentalis, per personales experientias, minuebat valorem auctoritatis. Exinde in periodo renascentiae nova systemata philosophica creantur, omnino extranea scholasticae et quandoque etiam contra revelationem christianam. Sic exortae sunt philosophiae Bernardini Telesii, Thomae Campanella, Iordani Bruno. Post haec prima conamina independentia a revelatione, alia plura facta sunt systemata in philosophia moderna, revelationi contraria, ipsam substantiam revelationis christianae destruendo. Inter quae numerari possunt rationalismus Renati Descartes (1598-1650), Benedicti Spinoza (1632-1677), Guilelmi Leibniz (1646-1704), Christiani Wolff (1679-1754); empirismus Baconi de Verula (1561-1626), Thomae Hobbes (1588-1679), Ioannis Locke (1632-1704), Georgii Berkeley (1685-1753), David Hume (1711-1776). Ita ut per saecula xvii et xviii philosophia moderna fuerit radicitus antichristiana, rationalista; et scholastica spernebatur passim etiam a viris ecclesiasticis et in oblivionem cadebat. Quam ob rem theologia catholica plurimum propter conditiones has passa est. Post Concilium Tridentinum effloruit quidem, per operam magnorum theologorum, ex. gratia Francisci Vazquez (1551-1604), Francisci Suarez (1548-1617), Roberti Bellarmini (1542-1625), etc. Postea vero occidit in fine saeculi xvii et per totum saeculum xviii.

In fine saeculi xviii et in principio saeculi xix scholastica in pessimo statu erat. Causa status huius erat cultura generalis naturalistica-rationalistica, quae inde a saeculo xvii et praesertim in saeculo xviii divulgabatur apud omnes et totam culturam dominabat; erat periodus illuminismi. Doctrina haec erat in principio in ordine theoretico tantum; sed ideae hae paulatim in ordinem practicum devenerunt, quousque tota vita socialis novam indolem iuxta novas ideas sumpsit. Hoc maxime fac-

tum est in revolutione gallica. Ideae vero a revolutione gallica propugnatae paulatim diffusae sunt etiam in totam Galliam et in alias regiones Europae. Ita ut res politicae, oeconomicae, sociales separatae fuerint a religione christiana, et saepe contra christianismum progressae sint.

Revera magnum aderat problema in principio saeculi XIX, separatio magna inter mentem catholicam et mentem temporum modernorum; et necessarium erat iterum ad unionem pervenire, ut Ecclesia potuisset vitaliter participare ad vitam humanitatis et influxum maiorem habere in historiam humanam.

In saeculo XIX philosophia moderna amplius divulgabatur per nova systemata: per systema Emmanuelis Kant (1724-1804), per idealismum absolutum Ioannis Fichte (1762-1814), Friderici Gulielmi Schelling (1775-1854), Georgii Gulielmi Hegel (1770-1831); per positivismum Augusti Comte (1798-1857), Ioannis Stuart Mill (1806-1873); per materialismum scientificum; per materialismum dialecticum Caroli Marx (1818-1883); etc.

Inde a principio saeculi XIX Catholici aliqui audaciter conati sunt invenire conciliationem inter revelationem christianam et modernam civilitatem. Conamina facta sunt in philosophia, et in theologia, et in sociologia, etc.

Contra rationalismum Félicité de la Mennais proposuit traditionalismum, iuxta quem tantum per traditionem mens humana potest cognoscere veritatem. Quae doctrina damnata est anno 1834 a Summo Pontifice Gregorio XVI per Litteram Encyclicam *Singulari nos* (D. 1617). Similiter ad traditionalismum confugerunt L. E. Bautin, ab eodem Gregorio correptus anno 1845 (D. 1622), A. Bonnetty correptus a Pio IX anno 1855 (D. 1649-1652).

Alii e contra spernentes theologiam scholasticam, conati sunt conciliare rationalismum cum doctrina revelata, at fatue. Sic H. G. Hermes, damnatus a Gregorio XV anno 1835 (D. 1618), Günther, damnatus a Pio IX anno 1862 (D. 1666 s.), J. Frohschammer, correptus a Pio IX anno 1862 (D, 1666 s.). Praeterea etiam ontologismus in Italia conatus est novam philosophiam catholicam proponere, sed inaniter. Concilium Vaticanum tendentias has innovatrices erroneas moderavit. Sed paulo posterius, iterum roboratae, usque ad perniciosam haeresim modernismi pervenerunt, a Sancto Pio X viriliter destructam. Modernismus problema solvere desiderabat actuale, scilicet conciliare fidem christianam cum philosophia et scientia moderna; at insipientissime dogma traxit ad philosophiam modernam, et scaturiginem errorum creavit: rite ergo damnatus est. Tamen problema adhuc urgebat et recentissime per sic dictam « Novam theologiam » quodammodo iterum apparuit; quae a Pontifice

Pio XII compressa est. Etenim « Nova theologia » voluit conciliare dogma cum aliquibus philosophiis modernis, dogma ad philosophiam aptans et consequenter de facto destruens.

Nostris diebus aliae sunt doctrinae, quae christianismum negant: materialismus dialecticus atheus, neopositivismus, existentialismus atheus.

Novae formae philosophiae et systematum modernorum, erronea conamina reformationis theologiae catholicae et culturae ab Ecclesia damnata, de quibus diximus, sufficienter indicant quod Ecclesia profundius influxum habere debet in culturam modernam, ut ad evangelium et ad Christi fidem mundum ducat. Quod pariter valet de omnibus aliis formis activitatum civilitatis et progressus hominum modernorum.

Conclusio

Proclamet sollemniter Concilium bonitatem et valorem humanum et christianum civilitatis et progressus. Proclamet Ecclesiam non obstare sed fovere progressum.

Hortetur, immo iubeat, convenientes leges faciens, ut ordinarii locorum et superiores ecclesiastici immittant sacerdotes et laicos, forti vita spirituali et valida technica praeparatione praeditos, in activitates maiores modernae civilitatis et progressus mundi moderni, ut, quantum fieri possit, fermentum Christi afferant et mentem christianam imprimant in scientiis, in litteris, in artibus, in re oeconomica, in technica, etc.

DISCIPLINA « DE ACTIONE CATHOLICA »
inserenda proponitur in « Ratione Studiorum » Seminariorum

(C. Petino)

1. Neminem latet « apostolatum laicorum », uti dicitur, ultimis hisce temporibus auctum fuisse novumque in dies habere momentum.

Docet historia semper fideles adlaborasse in Regno Dei augendo; at, nunc temporis, quotquot pro Christi nomine certant, non singulatim, sed nova prorsus ratione et via — quae vulgo « Organizzazione » vocatur — apostolatui, legitimis Pastoribus moderantibus, vacare contendunt.

Summa quidem admiratione afficimur quoties ea, quibus S. Paulus Christifideles adloquitur, verba legimus: « Salutate Priscam et Aquilam adiutores meos in Christo Iesu... » (*Rom.* 16, 3). Et alibi: « Etiam rogo et te, germane compar, adiuva illas quae mecum lavoraverunt in Evange-

lio cum Clemente et ceteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitae » (*Phil.*, 4, 3).

Laici, viri quidem ac mulieres, adiutorio exstiterunt Apostolo gentium; itaque « in omnem terram exivit sonus eorum et in finis orbis terrae verba eorum » (*Rom.* 10, 18).

Pocul dubio « plantatio Ecclesiae » non modo episcopis et presbyteris adscribenda est, sed omnibus Christifidelibus cuiuscumque aetatis ac sexus qui pro viribus, nullo neglecto studio, egerunt.

Longum est peragere res gestas laicorum qui volventibus saeculis suam dedere operam animarum saluti; satis est heic animadvertere apostolatum laicorum varias formas temporibus aptatas habuisse. Tertii Ordines, Confraternitates, Piae Uniones atque alia id genus Sodalitia uberrimos fructus tulerunt aliosque in posterum latura.

Nostra vero tempora sunt « aetas aurea » apostolatus laicorum, cui nomen singulare « Actio Catholica ».

Compertum est enim plures elapso saeculo novum in Ecclesiam iniisse proelium nunc verbis nunc scriptis, modo privatim modo publice. Illis rerum in adiunctis, laici, mirabili quodam instinctu, « in omnibus sumentes scutum fidei... galeam salutis et gladium spiritus... » (*Eph.*, 6, 16-17) bonum certamen pro Ecclesia certarunt.

Patronum ac defensorem primum Pium IX f. r. habuerunt, qui tamquam conditor « Iuventutis Catholicae » iure meritoque censendus est.

Alii Pontifices, Praedecessorem imitati, plurimis beneficiis cumularunt Actionem Catholicam laicorum, cuius naturam, fines, media, callida sedulitate statuerunt.

Innumera fere exstant documenta quibus Leo XIII, Pius X, Benedictus XV miro quodam progressu eamdem secundaverunt.

Silentio autem praetereundum non est Pium XI f. r. Actionem Catholicam maximi fecisse eamque « pupillam oculorum suorum » voce haud peritura vocasse. Ipse tandem, pluribus collatis consiliis, definitionem edidit quae adhunc superest: « La Azione cattolica è la collaborazione dei laici all'apostolato gerarchico della Chiesa ».

Nec defuit studium Pii XII in Actionem Catholicam, de qua multos eosque non parvi momenti sermones dixit, qui tamquam « Summa » habendi sunt.

Nostris vero temporibus Ioannes XXIII, Quem Deus sospitem servet, Actionem Catholicam « adiutorium Cleri, speculum unionis, signaculum temporum » affirmare non dubitavit.

Ubique terrarum, in omni natione quae sub caelo est, laici summopere adlaborant ut praesto sint, omnibus quibus pollent mediis, sanctae Ecclesiae Episcopis.

2. Rebus sic stantibus, dum maximas gratias agimus Deo Qui mirabilis est in suis operibus, apostolatum laicorum examini subiiciendum esse ducimus et quidem sub aspectu dogmatico, iuridico et « organizativo ».

a) Sub aspectu dogmatico, nam profundiori ratione definiendus est conceptus « de sacerdotio laicorum » magisque determinandi sunt eius fines.

Vel leviter considerandi constat plures da hac re iam serpere errores qui quamdam « democratiam » seu aequalitatem statuunt Sacerdotium hierarchicum inter et sacerdotium fidelium.

Ceterum, aetas nostra summopere favet libertati et « autonomiae », uti dicitur, etiam a magisterio ecclesiastico. Haud verisimile non est et ipsos laicos, qui ad Actione Catholica dicuntur, sensim sine sensu, in hunc errorem labi suumque apostolatum ita ineptum reddere.

Nocturna versent manu, versent diurna theologi fontes Revelationis, Scripturam scilicet et Traditionem, ut aliquid proficiant in cognitione munerum officiorumque laicorum.

Summae hoc erit utilitati Clericis qui profundius intelligent quantum praestent laicis, at magnum inde capient commodum ipsi quoque laici qui intelligent suum characterem in Baptismo et Confirmatione receptum, fundamentum sui sacerdotii, mediationis videlicet ascendentis et descendentis, cui innititur ratio et vis cuiuslibet apostolatus.

b) Nec de aspectu dogmatico est tantum disserendum, sed et de aspectu iuridico. Quamvis Codex Iuris Canonici nonnulla habeat elementa et canones qui laicos respiciunt, potius videtur loquendum esse de iure condendo quam de iure condito. Plures enim oriuntur quaestiones relate ad illos qui se apostolatui tradunt « recepto mandato ». Multum enim differunt apostolatus stricto sensu acceptus et apostolatus lato sensu, directus et indirectus, privatus et publicus, organizatus et non organizatus.

Digna sunt haec omnia quae iuridicam determinationem habeant: plura, quae patent, incommoda amovebuntur, summam vero habebunt opportunitatem omnes coetus apostolatus qui ad quamdam reducentur unitatem in bonum Ecclesiae et animarum salutem.

c) Intimo nexu coniungitur cum aspectu iuridico aspectus qui « organizativus » dicitur.

Usus rerum et condiciones locorum quamdam suadent latitudinem in statuendis formis quibus apostolatus laicorum regi debet; at peropportunum videtur saltem quaedam communia, veluti fundamenta, statuere, quae « norma generalis » ab omnibus coetibus apostolatus laicorum censenda est.

3. Maxime vero interest ut Clerici, in quorum manibus sunt sortes

Actionis Catholicae, illa polleant doctrina illoque usu quibus pares sint apostolatui laicorum provehendo.

Omnibus enim notum est Sacerdotem docere et instituere laicos apostolatu. Usque adhuc Episcopi conventus Sacerdotum quamplures colligendos curarunt, apostolatus laicorum studendi causa; at qui maiores fructus colligere vult studio methodico incumbere debet ut plenam rei assequatur notitiam.

Optandum est ut instituantur Studia generalia Actionis Catholicae in quibus Clerici sive saeculares sive regulares discant quidquid ad apostolatum laicorum refertur. Exemplum omni laude dignum iam prostat in Italia, heic Romae, ubi Studium A. C., pluribus disciplinis ad rem instructum, frequentatur a Clericis unanimi consensu ac progressu.

Pariter in Italia, pluribus in Seminariis alumnorum maioribus instituendis, Sacra Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus adprobante, iam lectiones traduntur regulares de Actione Catholica tam in philosophico quam in cursu theologico.

His omnibus permoti rationibus, nimio quo compellimur amore in Actionem Catholicam pulsi, enixe obsecramus ut Concilium Oecumenicum quod, Deo favente, celebrandum erit, ea decernat et statuat quae apostolatum laicorum respiciunt.

Insuper, cum persuasum nobis sit non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei si Clerici nova ratione et via imbuantur in cognitione Actionis Catholicae, iterum atque iterum obsecramus ut in omnibus Seminariis haec disciplina « de apostolatu laicorum seu de Actione Catholica » inseratur in ratione studiorum curriculi theologici eaque tradatur una saltem hora hebdomadali.

DE NECESSITUDINE MAGISTERIUM ECCLESIAE INTER ET SACRAM THEOLOGIAM

(A. Piolanti)

I. De aetatis nostrae propensione ad magisterium negligendum

Inter aetatis nostrae hominis propensione, absoluta propriae autonomiae assecutio deprehenditur. Litterarum scientiarumque progressus in quodlibet inspectionis atque vigilantiae genus intolerantiam in animos inseruit, quae quamlibet legis impositionem omnesque auctoritatis habenas evellere adnititur. Catholicus hac periculosa propensione auferri periclitatur. Maioris aetatis conscientia iam acquisita, quae in diem magis magisque affirmatur, efficit ut animi etiam atque etiam nescimus qua febri excitentur. Agitur de firma emancipationis voluntate propter quam « haud pauci huius aetatis, sive viri sive mulieres Ecclesiae ductum et vigilantiam indignam putant gerendi se more, qui adultam addecet aetatem; non solummodo id dictitant, sed etiam penitus in sensu habent. Nolunt enim instar impuberum « sub tutoribus et actoribus (*Gal.* 4, 2) esse ».[1]

Hic sensus, qui in Pii Papae XII animo ob perniciosa consectaria, quae exinde profluere queunt, ut licentiam atque ecclesiasticae disciplinae intolerantiam, iustam trepidationem excitavit, iam pridem sollicitudinem Summi Pontificibus [2] afferebat, qui beneficos Ecclesiae auctoritatis ostenderet effectus sategerunt, praesertim ad scientiarum sacrarum progressum quod attinet. Si humana ratio in sua naturali ad disceptationem propensione libera semper relinquitur « numquam deesse poterunt, qui veritati audeant resultare et de humanae sapientiae loquacitate confidere, cum hanc nocentissimam vanitatem quantum debeat

[1] Pius XII, *Allocutio ad Cardinales et Antistites,* habita 2 nov. 1954, in *A.A.S.* 46 (1954), p. 673.

[2] Pius IX, in Encycl. *Quanta cura* (8 dec. 1864), Denz. 1960 (*A.A.S.,* 3, p. 162 s.), vestigia Gregorii XVI sequens (Encycl. *Mirari,* 15 aug. 1832; Denz. 1613) *deliramentum* vocat opinionem secundum quam « libertatem conscientiae et cultum esse proprium cuiuscumque hominis, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate, et ius civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica, vel civili auctoritate coarctanda, quo suos conceptus quoscumque sive voce, sive typis sive alia ratione publice manifestare atque declarare valeant ».

fides et sapientia christiana ditare, ex ipsa Domini Nostri Iesu Christi institutione cognoscat ».[3]

Si officium est Ecclesiae christifideles ab erroribus arcere in quos philosophia incidere potest,[4] eo magis necessaria erit eius materna cura, cum de fide agitur, siquidem solemne est « nihil esse praestabilius a Providentia Dei concessum hominibus, quam fidei divinae auctoritatem, hanc nobis esse quasi facem in tenebris ».[5]

Haud enim defuit qui nimis rationis viribus confisus, eam emancipare, religioni aequiparans, conatus sit. Ex hoc immoderato rationalismo arrogantia orta est disciplinas theologicas perinde ac philosophicas tractandas esse, quamvis theologia fidei dogmatibus innitatur.[6] Hinc prono alveo perniciosum fluxit consectarium: « Ita quidem reiecta auctoritate Ecclesiae difficillimis quibusque reconditisque quaestionibus latissimus patuit campus, ratione humana infirmis suis confisa viribus licentius excurrens turpissimos in errores lapsa est ».[7] Vana rationis ambitio quae nimis semetipsa confisa erat: « si quis putet se aliquid esse, cum nihil

---

[3] PIUS IX, Encycl. *Quanta cura,* Denz. 1690; allegatis desumitur S. Leonis Magni, *Ep.* 164, c. 2; *PL.* 54, 1149. Hanc rationis libertatem S. Augustinus vocat « libertatem perditionis », *Ep.* 105, c. 2, n. 9; *PL.* 33, 399.

[4] PIUS IX, *Syllabus,* II, 11 (Denz. 1711) verba Epistolae *Gravissimas inter* ad frisingensem Archiepiscopum, 11 dec. 1862 (Denz. 1675) refert, quibus Frohschammer error reprobatur: « Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam, debet ipsius philosophiae tolerare errores eique relinquere, ut ipsa se corrigat »; cf. Conc. Vat., Sess. III, *Constitutio Dogmatica de Fide catholica,* c. 4: « Porro Ecclesia, quae una cum apostolico munere docendi mandatum accepit fidei depositum custodiendi, ius etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam (*I Tim.,* 6, 20) proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam et inanem fallaciam » (Denz. 1798).

[5] PIUS IX, Alloc. *Singulari quadam* (in consistorio 9 dec. 1854); Denz. 1645: « Salutare hoc documentum eorum animis inculcetis oportet, qui humanae rationis vim usque adeo exaggerant, illius et ope mysteria ipsa scrutari audeant atque explicare, quo nihil ineptius, nihil insanius ».

[6] « Sunt praeterea, venerabiles fratres, viri quidam eruditione praestantes, qui religionem munus esse fatentur longe praestantissimum a Deo hominibus datum, humanam nihilominus rationem tanto habent in praetio, tantopere extollant, ut vel ipsi religioni aequiparandam stultissime putent. Hinc ex vana ipsorum opinione theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt; cum tamen illae fidei dogmatibus innitantur »; Alloc. *Singulari quadam* (Denz. 1642) « In errorem induci patiantur, qui abominabiles facti in studiis suis humani progressus obtentu fidem destruere eamque rationi impie subicere ac Dei eloquia invertere contendunt, summamque Deo ipsi inuriam inferre non reformidant », Encycl. litt. *Qui pluribus,* 4 nov. 1846; Acta Pii Papae IX, Romae, s. d. pars I, p. 11.

[7] Alloc. *Singulari quadam,* Denz. 1642.

sit, ipse se seducit ».[8] Opus est in primis humanam animadvertere rationem ob originale vulnus in suismetipsis viribus exercendis extenuatam esse atque hanc debilitatem multorum originem esse errorum; a fortiori inexcusabilis arrogantia est habenda ea propensio qua quis rimari conatur quae nobis revelare dignatus est Deus, mente « obtusa ac angusta »,[9] cum ipsa intellectus vires exsuperent quaeque devota fide tantum adipisci valeamus.

Qui suis freti intellectus facultatibus Ecclesiae Magisterium reiciunt, insipientiae his S. Leonis Magni verbis arguendi sunt: « Quid autem iniquius quam amplia sapere et sapientioribus doctioribusque non cedere? Sed in hanc insipientiam cadunt qui cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces non ad apostolicas litteras nec ad evangelicas auctoritates sed ad *semetipsos recurrunt,* et ideo magistri erroris exsistunt quia veritatis discipuli non fuerunt ».[10]

Erroribus enim qui praeterito saeculo ad sacras ipsas quod attinet scientias contra Ecclesiae Magisterium rationis libertati fidem facere conati sunt, id temporis respondet propensio ad revelationis intelligendae modum a Traditione sacroque Magisterio maxime divulsum. Haud desunt vero qui praeiudicatas huius aetatis opiniones amplectantur quique, cum in theologiae historiam plurimas affirmationes absolutas et immutabiles inserant, quae labentibus saeculis plurimis contingentibus mobilibusque repraesentationibus exprimuntur, ad relativismum adducantur ».[11]

Quae autem absolutae affirmationes, cum mutabilibus tantum repraesentationibus assequi possimus, continuam harum notitiarum renova-

---

[8] *Gal.* 6, 3.

[9] PIUS IX, Alloc. *Singulari quadam,* Denz. 1642; in *Syllabo,* II, prop. 9, Denz. 1709, idem Pontifex doctrinam Ep. *Tuas libenter* (21 dec. 1863) (Denz. 1682) exponit, sequentem opinionem condemnans: « Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt obiectum naturalis scientiae seu philosophiae »; cf. ibidem prop. 13 (Denz. 1713): « Methodus et principia quibus antiqui doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt ».

[10] *Tomus ad Flavianum* (Ep. 165); ed. C. Silva Tarouca, Romae 1932, p. 21.

[11] « L'histoire cependant ne mène pas au relativisme. Elle permet de saisir, au sein de l'évolution théologique, un absolu. Non pas un absolu de représentation, mais un absolu d'affirmation. Si les notions, les méthodes, les systèmes changent avec le temps, les affirmations qu'ils contiennent demeurent, quoique elles s'expriment dans d'autres catégories », H. BOUILLARD, *Conversion et grâce chez Saint Thomas d'Aquin,* Paris 1944, p. 220; cf. eiusdem Auctoris, *Notes sur le développement de la Théologie. A propos d'une controverse,* in *L'Année théologique,* 7 (1946), p. 258.

tionem exigunt, ut alias congruentiores societati excultae, quam contingit revelatio, obtineant.[12]

Alii vero theologi ideis subiectivismo atque immanentismo infectis vinciuntur, ita ut syntesin philosophiae ac theologiae ad interiorem experientiam ex qua manat, quam ad obiectivam veritatem quam continet, magis aestiment, quippe qui veritatem humanam agnoscere recusent, nisi proprietate praesentium rerum polleat, qua ad animos percellendos flectendosque apta sit.[13]

Theologicum ergo systema, eorum sententia, secundum leges iis similes, quae poësin atque arte[14] suffulciunt, instituendum est adeo ut theologiae vigor a religiosae experientiae vi, ex qua manat, oriatur. Quaeque magna spiritualis doctrina theologiam quandam gignit, quae nihil aliud est quam doctrina spiritualis quaedam vel religiosa experientia, quae suam invenit intellectualem explicationem.[15]

Quorum autem auctorum theologia, tali autonomiae ac subiectivismi coelo sese evolvens, quod religiosa experientia alitur, contra Ecclesiae Magisterium nonnisi frenos mordere potest; nam eorum sententia eius auctoritas ad summum ab errore tuendi munere, minime tamen problemata resolvendi fungi potest.[16] Nam, eorum opinione, theologico profectui

---

[12] « Ce sont les affirmations elles-mêmes qui, pour conserver leur sens dans un univers intellectuel nouveau, déterminent des notions, des méthodes et des systèmes nouveaux en correspondence avec cet univers... », ibid. p. 220. De systematis Bouillard crisi ad absolutarum affirmationum continue repraesentationis sese evolventium quod attinet, cf. R. GARRIGOU-LAGRANGE, *L'immutabilité des vérités définies et le surnaturel,* in *Angelicum* 25 (1948), p. 287.

[13] « L'actualité contribue donc à définir la vérité... n'est que la condition limitatrice et négative dans la constitution des vérités humaines. Mais, toute négative et limitatrice qu'elle est, elle est cependant la condition réelle de ces vérités et il est impossible, sans la considérer, de connaître intégralement celles-ci ». J.-M. LE BLOND, *L'Analogie de la Vérité. Réflections d'un philosophe sur une controverse théologique,* in *Rech. de science rel.,* 34 (1947), p. 135 s.

[14] « Toutes les adaptations au goût du jour sont promises au même destin: pas plus que l'architecture, la théologie n'échappe à cette loi universelle. Dans le style néo-grec la colonne antique perd sa vertu et sa naïveté originelle pour devenir un insupportable pastiche ». Et de même Saint Thomas: « Un grand docteur considéré, célébré, consacré, canonisé, enterré (Péguy) ». H. U. VON BALTHASSAR, *Présence et pensée. Essai sur la philosophie religieuse de Grégoire de Nysse,* Paris, 1942, p. VIII.

[15] M. D. CHENU, *Une Ecole de Théologie,* Le Saulchoir, 1937, p. 75; cf. criticam expositionem apud R. GARRIGOU-LAGRANGE, *La nouvelle théologie où va-t-elle,* in *Angelicum,* 23 (1946), p. 131.

[16] J. DANIÉLOU, *Les orientations présentes de la pensée religieuse,* in *Etudes* (1946), p. 7.

operam non Ecclesiae Magisterium, sed idearum motus affert, quo labentibus saeculis theologia explicite aperit, quod implicite in fontibus continebatur. Qui autem dogmaticum progressum theologicae evolutioni miscent in hoc errare videntur, quod primus terminum ultimum habet, dum alia nequit formulis, quae eius profectum semel circumscribant et detineant, consistere.[17] Theologicae scientiae haud minus quam philosophicae ei consimilis qui in natura invenitur cogitationis decursus inhaeret, qui ad perpetuas excogitationes impellit.[18] Formularum dogmaticarum stabilitati theologicae scientiae stabilitas prorsus non respondet.[19]

II. Firma Ecclesiae Doctrina

Contra has opiniones, quae quamlibet theologicae scientiae stabilitatem auferre nituntur, ipsam alicuius spiritualitatis fructum autumantes vel doctae aetatis florem, qui perenni vernorum temporum atque autumnorum cyclo superantur, vera est christiana gnosis, quae, etsi in revelatione investiganda altius procedat, tamen in immutabilibus fidei veritatibus firmiter stat.

Cum enim de veritatibus divinis agitur haud dubium est « omne nostrorum dogmatum principium suum habere fundamentum in caelorum

---

[17] « C'est une grande naïveté de se représenter le mouvement des idées au long des siècles, et spécialement en théologie, comme n'étant qu'un long passage de l'implicite à l'explicite ou du confus au distinct jusqu'à un certain état privilégié qui sera déclaré le terme définitif de cette évolution, à moins qu'on ne préfère laisser la route indéfiniment ouverte », H. de Lubac, *Le mystère du surnaturel,* in *Rech. de science relig.,* 36 (1949), pp. 83-84.

[18] « Il y a en effet un rythme de l'esprit, comme un rythme de la nature. L'un et l'autre comportent leurs points morts, leurs hivers. Seulement ce qui rend possible l'illusion que nous voudrions combattre c'est que dans le rythme de l'esprit, contrairement au rythme de la nature chaque dégel, chaque palingénésie est une métamorphose. Les printemps se succèdent, mais ils ne se ressemblent pas. Ce qui renaît ne reproduit pas simplement ce qui avait péri à fin de la dernière saison. C'est une fleur d'une autre essence, c'est un fruit d'une autre saveur. L'esprit est plus inventif que la nature », H. de Lubac, *Corpus Mysticum. L'Eucharistie et l'Eglise au Moyen Age,* Paris 1949, pp. 365-366.

[19] « Peut-être même l'âge qui s'achève aura-t-il trop cédé à la tendence de concevoir l'histoire de la théologie comme une histoire du progrès théologique. Car s'il est vrai que dans le développement du dogme il se produit quelque chose de définitif qui autorise à parler de son progrès, on ne saurait toujours dire autant dans le cas de la théologie... Bref si le temps du dogme est irréversible, le temps de la théologie l'est beaucoup moins », H. de Lubac, *Surnaturel,* pp. 5-6.

Domino »,[20] quapropter nihil securius, nihil firmius in fundamento quam christiana fides, quae Dei opus est.[21]

In Ecclesiae doctrina perspicuum est quo pacto theologicae scientiae progressus vel structura concipienda sit, quae, cum iure meritoque habeatur « velut quaedam impressio divinae scientiae », fide innititur, ipsa fide, Ecclesiae Magisterio duce, alitur et firmatur.

1. *Divina catholicae fidei origo.* Cum Christiana Religio « non ab humana ratione fuerit inventa, sed a Deo hominibus clementissime patefacta, tum quisque vel facile intelligit, religionem ipsam ex eiusdem Dei loquentis auctoritate omnem suam vim acquirere neque ab humana ratione deduci aut perfici unquam posse ».[22] Veritates fidei ergo humanum opus censeri non debent, easque proprio arbitrio interpretari nequimus, ne Dominicum verbum laedere videamur.[23]

Fides vero rationem non adimit, sed potius adiuvat, elevat, ab erroribus liberat eamque multiplici cognitione instruit,[24] dummodo ratio superiori certitudinis regulae se subiiciat: Deus fidei auctor est eiusque revelantis auctoritati ratio suum obsequium praestare debet in divino recipiendo verbo, non propter intrinsecam rerum veritatem, naturali humanae rationis lumine comparatam.[25]

In ambitu fidei certitudinis criterium ipsa Dei auctoritas est, cui ipsa voluntas obsequium praestat: « Fides habet certitudinem ab eo quod est extra genus cognitionis, in genere affectionis existens. Et ideo scientia et intellectus est sicut in subiecto in eo a quo habet certitudinem, non autem fides ».[26]

Voluntatis autem obsequium Deo revelanti exhibitum, stabilitatis fidei fundamentum constituens praeter visionis claritatem, censendum est causa determinans actum fidei, qui non est « caecus animi motus » sed verus cognitionis actus, cum intellectus credentis quadam divinae lucis participatione illustratur: « Fides cognitio quaedam est, in quantum in-

---

[20] S. Ioannes Chrysostomus, *Hom. I in Is.; PG.* 56, 14.

[21] Pius IX, Enc. *Qui pluribus* (Denz. 1638).

[22] Pius IX, *Enc. Qui pluribus* (Denz. 1636).

[23] Enc. *Qui pluribus,* l. c., p. 11.

[24] Conc. Vat., *Const. Dogm.* « *Dei Filius* », c. 4 (Denz. 1799).

[25] « Hanc vero fidem, quae, humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturalis rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis... », Conc. Vatic., ibid., c. 3; Denz. 1789.

[26] S. Thomas, *III Sent.,* d. 23, q. 2, a. 3, sol. 1, ad 2.

tellectus determinatur per fidem ad aliquod cognoscibile. Sed haec determinatio ad unum non procedit ex visione eius qui creditur ».[27]

Cognitio, quae lumine fidei elicitur, nequit normis instrinsecis suisque legibus utendo progredi, sed vere pieque auctoritati revelanti adhaerendo; quae non impedit sed potius rationis cognitionem intime roborat et longe lateque amplificat. Fides est enim cognitio quae non a credente sed in ipso ab alio gignitur est « Ein festes Fürwahrhaltenorden ein entschiedenes Urteil des Geistes »,[28] firmus nempe assensus propter alterius auctoritatem. Quae quidem auctoritas certitudinem fidei confert maiorem quam ea qua pollent evidentes ratione veritates, quae non divina scientia innituntur sed debili humanae rationis lumine fultae sunt.[29]

2. *Fidei « ecclesialis dimensio »*. Hisce praehabitis agnoscendum est in praesenti rerum ordine, fidei necessario ecclesialem dimensionem nancisci. Concilium Vaticanum profitetur: « Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tamquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda ».[30]

Concilii Vaticani verba Tridentinae Synodi decretum resonant: « Sacrosanta oecumenica et generalis Tridentina Synodus... hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur, quod promissum ante per Prophetas in Scripturis sanctis Dominus noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit, deinde per suos Apostolos tamquam fontem omnis et salutaris veritatis et morum disciplinae omni creaturae praedicari iussit: perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae ad nos usque pervenerunt... tamquam vel oretenus a Christo, vel Spiritu Sancto Dictatas et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari reverentia suscipit et veneratur ».[31]

Ipse igitur Deus statuit « vivam... auctoritatem, quae verum legiti-

---

[27] S. Thomas, *S. Th.,* I, q. 12, a. 13, ad 3; cf. *Contra Gentes,* 3, 154: « Quia vero ea quae homo per se non videt, cognoscere non potest nisi ea recipiat ab eo qui videt; fides autem est de his quae non videmus: oportet cognitionem eorum de quibus est fides, ab eo derivari qui ea ipsa videt ».

[28] M. J. Scheeben, *Dogmatik,* I, 617.

[29] « Aliae scientiae certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanae, quae potest errare; haec autem (fides) certitudinem habet ex lumine divinae scientiae, quae decipi non potest », *S. Th.* I, q. 1, a. 5.

[30] Conc. Vatic., Sess. III, *Const. dogm. De Fide;* Denz. 1800.

[31] Sess. IV, Denz. 783.

mumque caelestis suae revelationis sensum doceret, constabiliret, omnesque controversias in rebus fidei et morum infallibili iudicio dirimeret... Quae quidem viva et infallibilis auctoritas in ea tantum viget Ecclesia, quae a Christo Domino supra Petrum, totius Ecclesiae caput, principem et pastorem, cuius fidem numquam defecturam promisit, aedificata suos legitimos semper habet pontifices, sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem ».[32]

Quoniam Christus Ecclesiam custodem ac revelatae doctrinae magistram constituit, pro certo, habendum est Verbum Dei non simplici fideli sed ipsi Ecclesiae, potestatem magisterii ad idem verbum in saecula tradendum pollenti, concreditum fuisse. Omnes autem qui, verbum Dei secundum Ecclesiae significationem non interpretantes proprio ingenio confidunt, habendi sunt « Caeci equidem et duces caecorum, qui superbo scientiae nomine inflati usque eo insaniunt ut aeternam veritatis notionem et germanum religionis sensum pervertant ».[33]

Magisterium Ecclesiae igitur est organum externum ac vivum cui fidei depositum custodiendi, exponendi atque defendendi munus concreditum est: « Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent ».[34]

Ecclesiae docenti ut Christo, cuius apostolica auctoritas missionem continuat, fidelem credere oportet; Apostolorum magisterium ipsum Christi magisterium est, quippe quod per legitimam successionem ac authenticam transmissionem ad Apostolos transit: eadem est ergo Apostolorum doctrina ac Christi: « Qui vos audit, me audit ».[35]

Assensus igitur Ecclesiae doctrinae necessaria est conditio ut quis in fide consistat: « Formale autem obiectum fidei est veritas prima, secundum quod manifestatur in *Scripturis sacris et doctrina Ecclesiae,* quae procedit ex veritate prima. Unde quicumque non inhaeret sicut infallibili et divinae regulae, doctrinae Ecclesiae, quae procedit ex veritate prima in Scripturis Sacris manifestata, ille non habet habitum fidei, seu ea quae sunt fidei alio modo tenet quam per fidem ».[36] Magisterii Ecclesiae auctoritas non est tantum in argumentorum efficacia sed magis in eo quod auctoritate docet; de doctrina « auctoritativa » agitur, quae su-

---

[32] Enc. *Qui Pluribus,* l. c., p. 10.
[33] *Pii X P. M. Acta,* IV, Romae 1914, 52-74, p. 59.
[34] Conc. Vatic., Sess. III, *Pastor Aeternus,* c. 4; Denz. 1836.
[35] *Lc.* 10, 16.
[36] *S. Th.* II-II, q. 5, a. 3.

scipienda est non scientia nec mentis acie, sed vi missionis divinae ab Illo acceptae cui intellectus omnes humile fidei obsequium praestare tenentur.

Ecclesiae auctoritas quae fidelibus accipiendam veritatem praebet, est veluti continuatio ac ipsius Christi auctoritatis participatio, qua Ecclesiae magisterii eadem vi veritatem credendam imponere est: « Haec loquere et exhortare, et argue cum omni imperio ».[37] Quia autem Ecclesiae missio docendi, ipsa Christi missio est,[38] ipsi praecipiendi munus concreditum est secundum illud Apostoli: « In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inoboedientiam ».[39]

In hoc Magisterio, propter Dei auxilium tuto fidelis non modo Christi verbum accipit integrum, verum etiam tranquillo animo sensum ipsius divinae Scripturae assequi potest, quia tantum Magisterium Ecclesiae de Sacrae Scripturae inspiratione, cuius est custos et authenticus interpres, certiores nos facit: « Ego vero Evangelio non crederem nisi catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas ».[40]

Ex praedictis patet in vera religione christiana scientiam auctoritatemque intime coniungi; necessarium fundamentum cognitionis fidei ista coniunctio constituit et in conceptu ipsius Magisterii situm est, etiamsi Ecclesiae Magisterium aliter ac Apostolicum Magisterium divino auxilio, non divina inspiratione, fulciatur: « Cum sit perfectus Scripturarum canon sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei ecclesiasticae intelligentiae iungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt; sed eiusdem eloquia atque aliter alius atque alius interpretatur... Idcirco multum necesse est propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticae et apostolicae interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur ».[41]

Fidei doctrinae necessarius apostolicitatis character est, quia tantum Apostoli fidei doctrinam ut divinae Revelationis organa docere ac tradere potuerunt. Ecclesia, post Apostolorum mortem, integrae veritatis revelatae haereditatem consecuta est, et ab authentica Ecclesiae doctrina tantum nos veritatem ab Apostolis Prophetisque traditam haurire: « Nihil est de fide nisi quod Deus per Apostolos et Prophetas revelavit,

---

[37] *Ad Tit.*, 2, 15.

[38] *Io.* 20, 21; 17, 19-20.

[39] *2 Cor.*, 10, 5-6.

[40] S. AUGUSTINUS, *Contra epistulam Manichaei quam vocant fundamenti*, 397, cap. 4, n. 6; *PL.* 42, 176.

[41] S. VINCENTIUS LERINENSIS, *Commonitorium*, 4, 34; *PL.* 50, 639.

aut quod evidenter inde deducitur. Non enim novis revelationibus nunc regitur Ecclesia, sed in iis permanet quae tradiderunt illi, qui ministri fuerunt sermonis, et propterea dicitur, *Eph.* II: *Aedificata supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Igitur illa omnia, quae Ecclesia fide tenet, tradita sunt ab Apostolis aut Prophetis, aut scripto aut verbo ».[42]

Ideo *fides Ecclesiae* synonimus est *Apostolicae fidei*[43] et tantum Ecclesiae Magisterio praelucente, in vera catholica fide perseverare possumus.

3. *Magisterium et Theologia.* Ut relationes Magisterium Ecclesiae inter et scientiam theologicam spectemus, viam expositis principiis stratam sectantes, perpendendum est theologicam scientiam a fide separandam non esse, neque iuxta eam ponendam esse, ita ut gignere queat cognitionem quandam diversam, quae in sola rationalium principiorum evidentia innitatur. Hoc sane theologicae scientiae germanum conceptum pessumdaret, quae, si ut « scientia » rationis munus implicat, ut « Theologica » Deum in sua *Deitate* revelata attingit: « Omnia autem pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei, vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem ».[44]

Fides igitur ac revelatio in theologiae sacrarium penetrant eiusque intrinsecam et essentialem condicionem constituunt: « Philosophiae munus est praecipuum; in perspicuo ponere fidei nostrae rationabile obsequium (*ad Rom.* 12, 1), et, quod deinde consequitur officium adiungendae fidei auctoritati divinae altissima mysteria proponenti, quae plurimis testata veritatis indiciis, credibilia facta sunt nimis (*Ps.* 92, 5). Longe aliud ab hoc theologiae munus est, quae divina revelatione nititur et in fide solidiores efficit eos, qui christiani nominis honore se gaudere fatentur ».[45]

Sua sponte theologica scientia ex revelatione oritur, fidem ut fontem habet eiusque latebras explorat: « Haec doctrina non argumentatur ad sua principia probanda, quae sunt articuli fidei sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum ».[46] Hinc igitur theologica scientia, revelationis fon-

---

[42] S. ROBERTUS BELLARMINUS, *De Verbo Dei non scripto,* IV, c. 9; ed. O. Sartorii 1586, p. 232 b.

[43] CLEMENS ALEXANDRINUS, *Strom.* VII, 1, 763.

[44] *S. Th.,* I, q. 1, a. 7.

[45] S. PIUS X, Enc. *Communium Rerum,* 21 apr. 1909 in *A.A.S.,* 1 (1909) 381 Denz. 2120.

[46] *S. Th.* I, q. 1, a. 8. « Ubi fides quaeritur, argumenta tolluntur quae fidei adversantur, et eam praecedere conantur, non illa quae eam modo debito sequuntur », S. THOMAS AQUINAS, *In Boet. De Trin.*, q. 2, a. 2.

tibus investigatis, ad revelatas veritates continuo attingere ac collationis opera eas concinne componere debet, inde vero easdem veritates rationis auxilio explicare suamque cognitionem, « a principiis ad conclusiones discurrendo » ultra ipsum revelationis campum augere.[47]

Primo in casu theologica scientia omnino eiusdem naturae ac revelationis est, et nonnisi simplicis intellectionis ad actum fidei necessariae evolutio fit, eadem in linea, eodem principio fulta, nimirum lumine fidei; altero in casu scientia theologica eiusdem naturae omnino non est, quod cognitio, quam gignit, non sit formaliter eadem ac fidei, propriam certitudinem ad fidei certitudinem alligatam habet, sed non eandem, siquidem theologica certitudo ex duobus elementis, videlicet ex principio credito et ex demonstratione emanat. Semper tamen certum est, utcumque res erit, in fidei soliditate totam theologicam scientiam inniti divinamque auctoritatem maximam evidentiae ac certitudinis regulam semper esse. Philosophicis scientiis in argumentando theologia assimilari quidem potest, prima tamen principia quae rationalem fundant argumentationem, fide tantum tenentur, quapropter scientia haec simplex rationis lumen transcendere agnoscitur: « Unde nihil prohibet de eisdem... etiam aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine divinae revelationis. Unde theologia quae ad sacram doctrinam pertinet, differt secundum genus ab illa theologia, quae pars philosophiae ponitur ».[48]

Cum totius theologiae firmitas suum in revelatione habet fundamentum, certitudo, quam theologus ex fidei principiis rationabilibus deductionibus assequitur, non tam forma est quam eorundem certitudo principiorum, sed eo minor efficitur quo magis ab illis principiis discedat.

Illa quae exaggerata rationis virium aestimatione se in demonstrationum rationalium captiones inducit, neglecta de re revelata inquisitione, theologia extenuati roboris est, cum nimis a suis fundamentis supernaturalibus discedat et in hoc esset quod magis a ratione orta quem a Deo revelante certitudine sit confisa.

Primus a theologis error vitandus est quo nimis extolluntur deductivae rationis facultates et theologia adstruitur methodis pure philosophicis: contra quem Concilii Vaticani prolata verba sua (l. c.): « Neque enim fidei doctrina... velut philosophicum inventum proposita est huma-

---

[47] S. Thomas Aquinas: « Et sicut Deus ex hoc ipso quod cognoscit se, cognoscit alia modo suo, id est simplici intuitu, non discurrendo; ita nos ex his quae fide capimus, primae veritati inhaerendo, venimus in cognitionem aliorum secundum modum nostrum, scilicet discurrendo de principiis ad conclusiones. Unde primo ipsa quae fide tenemus, sunt nobis quasi prima principia in hac scientia, et alia sunt quasi conclusiones », *In Boet. De Trinitate,* q. 2, a. 2, resp.

[48] *S. Th.* I, q. 1, a. 1, ad 2.

nis ingeniis perficienda ». Theologiae est igitur redire ad divinae revelationis fontes: eorum enim est indicare qua ratione ea quae a vivo Magisterio docentur in Sacris Litteris et in divina traditione, sive explicite, sive implicite inveniantur. Accedit quod uterque doctrinae divinitus revelatae fons tot tantosque continet thesauros veritatis, ut numquam reapse hauriantur. Quapropter Sacrorum Fontium studio sacrae disciplinae semper iuvenescunt; dum contra speculatio quae ulteriorem sacri depositi inquisitionem neglegit ut experiundo novimus, sterilis evadit ».[49]

Theologia et quoad certitudinis soliditatem et quoad suiipsius progressus fecunditatem, a perpetuo cum fide commercio pendet. Id quod revelatum fuit, tamquam divinum depositum, in Ecclesiae docentis actibus continetur ideoque theologia Magisterium negligere nequit, cum in rebus fidei illi assentire necesse sit. Ecclesiae enim Magisterium proprium est interpretari et custodire divina verba cum scripta tum oretenus data, quae omnia infallibiliter exercentur. Ubinam aliam inveniet theologus infallibilem regulam ad Dei verbum discernendum? « Tantae igitur ostensiones cum sint non oportet adhuc quaerere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositorium dives, plenissime in ea contulerint omnia quae sint veritatis, uti omnes, quicumque velit, sumat ex ea potum vitae ».[50]

Qui enim libertatem ab Ecclesiae Magisterio sibi vindicare contendunt, falsa theologiae autonomia freti, scientiam theologicam a fide certitudinem haurire et in fide proprium obiectum formale habere obliviscuntur, idcirco ab Ecclesiae obsequio, quae ipsius Divinae Auctoritatis, unicae in fidei ambitu certitudinis normae perpetuatio est, se divellere non posse: « Utique, proh dolor, rerum novarum studiosi a scholasticae theologiae contemptu ad neglegendum, ac vel etiam ad despiciendum facile transeunt ipsum Magisterium Ecclesiae, quod theologiam illa sua auctoritate tantopere comprobat.

Hoc enim Magisterium ab ipsis tamquam progressionis sufflamen ac scientiae obex exhibetur, ab acatholicis, vero quibusdam iam veluti iniustum frenum consideratur quo excutiores aliqui theologi a disciplina sua innovanda detineantur. Et quamquam hoc sacrum Magisterium in rebus fidei et morum, cuilibet theologo proxima et universalis veritatis norma esse debet, utpote cui Christus Dominus totum depositum fidei Sacras Litteras nempe ac divinam traditionem et custodiendum et tuendum et in-

---

[49] Pius XII, Enc. *Humani Generis,* 12 Aug. 1950, in *A.A.S.,* 42 (1942), pp. 568-69; Denz 2314.

[50] S. Irenaeus, *Adversus Haereses,* III, 4, 1; *PG.* 7, 855; cf. Origenes, *De Principiis,* I, 2; *PG.* 11, 116.

terpretandum concredidit, attamen officium, quo fideles tenentur illos quoque fugere errores, qui ad haeresim plus minusve accedant, ideoque etiam constitutiones et decreta servare, quibus pravae huiusmodi opiniones a S. Sede proscriptae et prohibitae sunt ».[51]

Alius error autem, praeter nimiam in rationis dialecticis viribus fidem a theologo cavendus, deprehenditur in nuperrimo tentamine theologiam accommodandi novis optionibus et praesentis temporis instantiis, ut fides catholica doctis viris naturalior faciliorque evadat: « In realtà si cominciò arbitrariamente a correggere ciò che esisteva, a sopprimerlo, a mutarlo, a ricostruirlo, a mitigare la rigidezza e la immutabilità dei principi metafisici, a rendere più pieghevoli le precise definizioni dogmatiche, a sottoporre a revisione il senso e il contenuto del soprannaturale e la sua intima struttura, a spiritualizzare e rammodernare la teologia dell'Eucaristia, a rinnovare e ad avvicinare al pensiero e al sentimento moderno la dottrina sulla Redenzione, sulla natura e gli effetti del peccato ed altri non pochi punti ».[52]

Propter hanc modernae accommodationis flagrantem cupiditatem ab omnibus istis Magisterii auctoritas negligitur et « Scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solet investigari ».[53]

Adversus hoc theologiae periculum igitur, ob ipsam huius scientiae intrinsecam constitutionem, necessitas Ecclesiae Magisterio adhaerendi recolenda est quia non tantum ex erroris periculis eam servat, qui a regulae proximae et universalis veritatis neglectu oritur, sed etiam eius cum Ecclesiae Magisterio commercium multa affert beneficia. Etenim non modo eius tutum parat iter, verum etiam ad eius progressum magnopere confert. Magisterium enim organum est vivum cuius non modo Revelationis depositum interpretari est sed etiam novam veritatum divinitus patefactarum implicite in sinu traditionis existentium rationem subiectivam ducere ita ut, Irenaeo duce, nobis profiteri liceat, Ecclesiae praedicationem, quamvis aequaliter perseverantem veluti insigne depositum

---

[51] PIUS XII, Enc. *Humani Generis;* Denz. 2313.

[52] PIUS XII, *Monita de theologia deque theologorum munere,* allocutio his qui interfuerunt conventui sexto nationali e clero Italiae..., de hodiernis postulatis ac normis ad pastorale ministerium aptius provehendum, habita die 14 sept. 1956, *A.A.S.,* 48 (1956), pp. 707-710.

[53] S. PIUS X, *Iusiurandum contra errores modernismi,* in *A.A.S.,* 2 (1910), pp. 669 s.; Denz. 2146.

custodiri perpetuo iuvenescens et iuvenescere faciens ipsum vas in quo est.[54]

Ecclesiae Magisterium impiger est custos, quippe qui veritates tantum facile in revelato deposito contentas dilucideque habendas curet: « Ecclesia in proponendis dogmatibus legitime processit, i. e. ille progressus, qui in definiendis veritatibus revelatis apparet, subiectivus videlicet, consonat cum Ecclesiae natura atque Christi intentionibus qui per Spiritum Sanctum tuetur et dirigit suam Ecclesiam infallibiliter eamque vivificat, ut fructus possit ferre non solum sanctitatis, sed etiam intelligentiae usque crescentis ».[55]

Non tantum igitur Magisterium Ecclesiae authenticam Traditionis veritatem integralemque in suis actibus documentisque continet, ita ut ex ipsis positive revelata veritas hauriri possit sed cum Magisterium sectetur theologus in divinae veritatis magis magisque amplam, apertam et universam intelligentiam ducendum se exhibet, non modo enim Spiritus Sanctus in sinu Ecclesiae fidei depositum inviolatum servat vel etiam utpote totius vitae ecclesiasticae fons vivus Ecclesiae anima suum iuvat Magisterium ut divinum ipsum depositum rite exponatur et probe ab Ecclesia discente intelligatur: « Progressus igitur dogmaticus est supernaturalis non solum in praeservatione Magisterii supremi ab omni errore, sed etiam in providentia illa peculiari, qua Spiritus Sanctus regit Ecclesiam atque actibus Magisterii ordinarii non infallibilibus praeparat dogmata futura ».[56]

Istius profectus instrumentum humanum organa Magisterii sunt ipsaque discens Ecclesia Magisterio duce. Omnes igitur vehementer errant qui, modernitatis specie suffulti, historicam instituerent methodum ad revelata per se inquirenda, ecclesiastico Magisterio saeculis impertito esse censerent. Regressus hic esset potius quam progressus, cum nemo reperiretur qui ex comperto ad tacitum, inverso itinere, perveniret et veritates, quae Magisterii lumine iam clarescunt, obscuris tenebris suffunderet.

« Sed hac de causa theologia etiam positiva, quam dicunt, scientiae dumtaxat historicae aequari nequit. Una enim cum sacris eiusmodi fon-

---

[54] « Praedicationem vero Ecclesiae undique constantem et aequaliter perseverantem et testimonium habentes a Prophetis et ab Apostolis... et eam quae secundum salutem hominis est solitam operationem, quae est in fide nostra; quam perceptam ab Ecclesia custodimus, et quae semper a Spiritu Dei, quasi in vase bono eximium quoddam depositum iuvenescens et iuvenescere faciens ipsum vas in quo est », *Adv. Haereses,* III, 24, 1; *PG.* 7, 966.

[55] H. DIECKMANN, *De Ecclesia,* Friburgi in Brisgovia 1925, n. 821.

[56] H. DIECKMANN, *ibid.,* n. 822.

tibus Deus Ecclesiae suae Magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito non nisi obscure ac velut implicite continentur. Quod quidem depositum nec singulis christifidelibus nec ipsis theologis divinus Redemptor concredidit authentice interpretandum, sed soli Ecclesiae Magisterio. Sic autem hoc suum munus Ecclesia exercet, sicut saeculorum decursu saepe numero factum est, sive ordinario sive extraordinario eiusdem muneris exercitio, patet omnino falsam esse methodum, qua ex obscuris clara explicentur, quin immo contrarium omnes sequi ordinem necesse esse. Quare Decessor noster imm. mem. Pius IX, docens nobilissimum theologiae munus esse illud, quod ostendat quomodo ab Ecclesia definita doctrina contineatur in fontibus, non absque gravi causa illa addit verba: « Eo ipso sensu, quo definita est ».[57]

Theologus ergo sive viribus utatur rationis sive sacrarum fontium studio se tradat, Ecclesiae Magisterium necessario contingere debet, cum « ad agnoscendam veritatem » non « opinio theologorum », sed « sensus Ecclesiae » oporteat. Secus efficientur theologi quasi « magistri Magisterii » quod patet falsum omnino ».[58]

Ipsi e contra Ecclesiae Magisterii asseverationes considerare et explicare et fulcire debent scientiae gravitate ac lumine rationis fide collustratae, id est, affirmante Pio IX, « Sensu Ecclesiae ».[59]

III. Conclusio

Theologia itaque nobis lucet veluti « scientia Ecclesiae », in primis quia theologus, obiectum suae scientiae petit a divina Revelatione, quam ipsi praebet fides Ecclesiae praesertim per suum Magisterium significata. Deinde theologus talis est ut membrum Ecclesiae, cum ipsa de re theologica agat ut credens in Christo: ideoque potest « adempiere rettamente il suo compito per la Chiesa intera quando si inserisce nel tutto, quando vive nella Chiesa e con la Chiesa. Egli deve perciò essere pronto a lasciarsi correggere dal competente Magisterio gli sbagli in cui fosse incorso. Al contrario la conferma che la comunità del Corpo di Cristo accorda mediante la Chiesa docente alla scienza teologica, diviene garanzia di verità per quanto vi è espressa. Si può quindi asserire che la teolo-

---

[57] Pius XII, Enc. *Humani Generis,* Denz. 2314.

[58] Pius XII, Allocutio iis qui interfuerunt conventui sexto nationali e clero Italiae, *De hodiernis postulatis ac normis ad Pastorale Ministerium aptius provehendum,* l. c., p. 709.

[59] *Ibid.*

gia è la penetrazione e l'esposizione scientifica, riconosciuta come esatta dalla Chiesa, delle verità di fede rivelate e conservate vive in Lei da Cristo nello Spirito Santo ».[60]

DE DEFINIENDA ABSOLUTA INERRANTIA BIBLICA

(F. Spadafora)

Immunitas Scripturae ab errore in aperta est professione Ecclesiae, imo ad ipsa pertinet fundamenta fidei; at nondum est explicite et solemniter definita.

Hanc veritatem Ecclesia in suo magisterio tum ordinario et universali, tum magisterio extraordinario innumeris documentis strenue inculcat et defendit: cf. Leonis XIII litteram Encyclicam *Providentissimus,* EB, (ed. secunda), n. 124-127; Benedicti XV litt. Enc. *Spiritus Paraclitus,* EB, n. 454-455; Pii XII litt. Enc. *Divino afflante Spiritu,* EB, n. 539-540.

Eandem veritatem Patres et Doctores, et quidem ut fidei testes, unanimiter profitentur, ipsius Domini et Apostolorum verbis in Novo Testamento, pressius inhaerentes. « Scripturae enim divinae a Spiritu Sancto traditae non potest subesse falsum » (S. Thomas, *De Potentia,* q. IV, a. 1, ad 6um); « Hoc tenendum est, quod quidquid in S. Scriptura continetur. verum est; alias qui contra hoc sentiret, esset *haereticus* » (Id., *Quodl.* 12, q. 17 a. 26).

Quae omnia in opere Höpfl-Gut, *Intr. generalis in S. S.,* 5^a ed. Roma 1950, pp. 86-88, et praesertim in volumine nuper edito: « *Il Libro Sacro* », vol. I, Introduzione Generale (Spadafora-Romeo-Frangipane auctoribus), Padova 1958, pp. 160-174 (« Effetto dell'ispirazione biblica: l'inerranza »), perspicue inveniuntur exposita.

Cum autem quidam auctores catholici (in volumine *Introduction à la Bible,* t. I, Intr. générale. Ancien Testament, ed. Desclée, 1957; 2^a ed. 1959, iisdem p. 64 s.), errorem Mgr. D'Hulst renovantes, absolutam inerrantiam videntur denegare, eam scilicet elemento religioso vel primario Scripturae Sacrae tantummodo tribuentes, perutile et necessarium videtur doctrinam de inerrantia absoluta (inerrantia defacto et de iure) explicite et solemniter definire.

Quaedam ex documentis Ecclesiae de inerrantiae doctrina. Ioannes XXII, constitutione « *Cum inter nonnullos* », 13 nov. 1323, in con-

[60] M. Schmaus, *Dogmatica Cattolica,* I, trad. it., Torino 1959, p. 31.

troversia de paupertate, assertionem Scripturae S. contradicentem declarat haereticam, cum « ipsam Scripturam sacram, per quam utique fidei orthodoxae probantur articuli, quoad praemissa fermentum aperte supponat continere mendacii ac per consequens, quantum in ea est, eius in totum fidem evacuans, fidem catholicam reddat, eius probationem adimens, dubiam et incertam » (EB, n. 44; haec est numeratio secundae ed.).

Praeclare Leo XIII, opiniones contrarias quorundam catholicorum respiciens, doctrinam exponit, in Littera Enc. *Providentissimus* (18 nov. 1893): « Nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum Sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem. Tantum vero abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa, non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse » (EB, n. 124).

Uti patet, agitur hic de inerrantia *iuris*: impossibile est quod Sacra Scriptura, divinitus inspirata, errorem contineat; ex facto quod tota S. Scriptura Deum habet auctorem, necessario sequitur eam in omnibus et singulis partibus esse verbum Dei ac per consequens ab omni errore immunem.

Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae. Consequitur, ut qui in locis authenticis Librorum Sacrorum quidpiam falsi contineri posse existiment, ii profecto aut catholicam divinae inspirationem pervertant, aut Deum ipsum erroris faciant auctorem.

Atque adeo Patribus omnibus et Doctoribus persuasissimum fuit Divinas Litteras, quales ab hagiographo editae sunt, ab omni omnino errore esse immunes, ut propterea non pauca illa, quae contrarii aliquid vel dissimile viderentur afferre (eademque fere sunt, quae nomine novae scientiae nunc obiciunt), non subtiliter minus quam religiose componere inter se et conciliare studuerint; professi unanimes, libros eos et integros et per partes a divino aeque esse afflatu Deumque ipsum per sacros auctores elocutum nihil admodum a veritate alienum ponere potuisse. Ea valeant universe, quae idem Augustinus ad Hieronymum scripsit (*Epist.* 82, 3: CSEL, 342, 354; *PL.* 33, 277): « Ego enim fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque referre, ut nullum eorum auctorum scribendo aliquid errasse firmissime credam. Ac si aliquid in eis offendero litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse, non ambigam » (EB, n. 127).

Inter propositiones, decreto *Lamentabili* a s. Pio X reprobatas (3 iul. 1907), legimus hanc: « Inspiratio divina non ita ad totam Scripturam

Sacram extenditur, ut omnes et singulas eius partes ab omni errore praemuniat » (EB, n. 202).

Idem sanctus Pontifex, in Enc. *Pascendi* (8 sept. 1907), sic scribit: « Nos equidem, Venerabiles Fratres, quibus una atque unica est veritas, quique Sacros Libros sic aestimamus, « quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem » (Conc. Vaticanum, Sess. 3, cap. 2: EB, n. 77), hoc idem esse affirmamus ac mendacium utilitatis seu officiosum ipsi Deo tribuere: verbisque Augustini asserimus: " Admisso semel in tantum auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum Librorum particula remanebit, quae non ut cuique videbitur vel ad mores difficilis vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosissima regula ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur " (*Epist.* 28, 3, 5: *PL.* 33, 112 s.) ».

Non aliter loquitur Benedictus XV, in Enc. *Spiritus Paraclitus* (15 septembr. 1920): « Porro cum divina Sacrorum Librorum inspiratione summaque eorumdem auctoritate docet Hieronymus immunitatem et omni ab errore et fallacia vacuitatem necessario cohaerere: quod, uti a Patribus traditum communiterque receptum, in celeberrimis Occidentis Orientisque scholis didicerat... ut catholicae interpretationis legem et fundamentum. Itaque " Scriptura mentiri non potest ", et nefas est dicere Scripturam mentiri, imo solum errorem nominis in eius verbis admittere » (EB, n. 450).

Cum autem quidam catholici, Mgr. d'Hulst adhuc sequentes, admissa inspiratione universali eius effectum, inerrantiam videlicet, ad res fidei et morum limitabant, Benedictus XV sic prosequebatur: « Quibus sane praeceptis (Leonis XIII) et finibus (a Patribus constitutis) nequaquam recentiorum illorum continetur opinio, qui inducto inter elementum Scripturae primarium seu religiosum et secundarium seu profanum discrimine inspirationem quidem ipsam ad omnes sententias, imo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere volunt, sed eius effectus, atque imprimis erroris immunitatem absolutamque veritatem, ad elementum primarium seu religiosum contrahunt et coangustant. Eorum enim sententia est, id unum, quod ad religionem spectet, a Deo in Scripturis intendi ac doceri; reliqua vero, quae ad profanas disciplinas pertineant et doctrinae revelatae quasi quaedam externa divinae veritatis vestis inserviant, permitti tantummodo et scriptoris imbecillitati relinqui.

Nihil igitur mirum, si in rebus physicis et historicis aliisque similibus satis multa in Biblicis occurrant, quae cum huius aetatis bonarum artium progressionibus componi omnino non possint » (EB, nn. 454-455).

Tandem, in ipsa littera Enc. *Divino afflante Spiritu* (30 sept. 1943),

Pius XII, scripsit: « Haec prima ac summa Leonis XIII cura fuit, ut doctrinam de Sacrorum Voluminum veritate exponeret et ab impugnatoribus vindicaret. Gravibus igitur verbis edixit nullum omnino errorem haberi cum hagiographus, de rebus physicis loquens, " ea secundus sit quae sensibiliter apparent "... Neque Sacro Scriptori errorem imputandum esse, ubi " quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint " aut " germana alicuius sententia permaneat anceps ". Denique nefas omnino esse " aut inspirationem ad aliquas tantum Sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse scriptorem ", cum divina inspiratio " per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae ".

Hanc igitur, quam Decessor Noster Leo XIII tanta cum gravitate doctrinam exposuit, Nos quoque auctoritate Nostra proponimus et, ut ab omnibus religiose teneatur, inculcamus » (EB, nn. 539-540).

Hanc absolutam inerrantiam Sacrarum Scripturarum affirmabant Patres, qui potius quam in divinis Libris admitterent errorem, confitebantur se sensum Scripturarum non intellexisse. In qua irrefragabili auctoritate affirmanda simpliciter sequuntur Christum Dominum et Apostolos, ut dicit Benedictus XV: « Patres hanc de Sacris Litteris doctrinam nusquam alibi nisi in schola ipsius Divini Magistri Iesu Christi didicisse » (EB, n. 463).

Christus Dominus (*Mt.* 4, 4. 7. 10) diabolum tentantem definitive refutat provocando ad Scripturam Sacram, verbo solemni: « scriptum est ». Ad probandam suam legationem divinam identidem provocat ad V. T. tanquam ad instantiam irrefutabilem, e. g. *Io.* 5, 39 (et v. 45-47) et praecipue *Io.* 10, 35: « non potest solvi Scriptura » (italice, fere, « ed è impossibile che la Scrittura sbagli ») — quantum dicit tale verbum in ore Iesu! —. Unde sequitur Scripturam omnem usque ad ultimum iota et apicem adimpleri debere: *Mt.* 5, 17 s.; 26, 24. 31. 54; *Lc.* 16, 17 ecc.

Etiam Apostolis Scriptura V. T. est summa auctoritas et infallibilis fons fidei, ex quo argumenta efficacia desumunt ad doctrinam divinam probandam. Ita s. Petrus, e. g. *Act.* 2, 16; 3, 18; *I Pt.* 2, 6; s. Iacobus, *Act.* 15, 15; et magis adhuc s. Paulus, qui iterum iterumque ex sacris libris evangelium suum divinitus praenuntiatum esse ostendit, e. g. *Gal.* 3, 10 s.; *I Cor.* 1, 18 s; *Rom.* 1, 17; 4, 3. 17; 15, 9-12. Et Evangelistae saepe etiam in minimis, adimpletionem Scripturarum necessariam vident, e. g. *Mt.* 1, 22; 2, 15. 17. 23; 4, 14...; 21, 4; 27, 9: *Io.* 19, 24. 28. 36 (et cf. *Act.* 1, 16: " oportet impleri Scripturam ").

Ideo Patres unanimiter Scripturarum inerrantiam professi sunt. « Scripturam inter se pugnare — ait s. Iustinus (*Dial. c. Tryph.* 65: *PG.* 6, 625) — ... numquam audebo nec cogitare nec dicere; sed si qua proponatur Scriptura, quae eiusmodi esse videatur et praetextum, quasi sit alteri contraria, praebeat, cum persuasum habeam nullam Scripturam alteri contrariam esse, fatebor potius me non intelligere, quae dicuntur ». Strenue monet s. Basilius (*De Fide* 1: *PG.* 31, 680): « Quodsi fidelis est Dominus in omnibus verbis suis... est manifesta defectio a fide et crimen superbiae, si quis aut quidquam eorum, quae scripta sunt, reprobet, aut quidquam eorum, quae scripta non sunt introducat ».

Et tamen « dolendum est..., non modo ex iis qui foris sunt, sed etiam e catholicae Ecclesiae filiis, immo vero, quod animum Nostrum vehementius excruciat, ex ipsis clericis sacrarumque disciplinarum magistris non defuisse, qui, iudicio suo superbe subnixi, Ecclesiae magisterium in hoc capite vel aperte reicerint vel occulte oppugnarint » (Benedictus XV, in Enc. cit.: EB, n. 453).

Auctores catholici, qui ab anno 1880, inerrantiam Scripturarum absolutam amplius retineri non posse crediderunt, assertis « criticorum » potius quam Magisterio Ecclesiae et Patrum unanimi consensui fidem praebuerunt. Errores et impossibilitates in Scriptura adesse, de facto, supponunt, ideo inerrantiam ad elementum religiosum coangustant, ipsam inspirationis notionem pervententes, inerrantiam *iuris* denegantes contra unanimen Ecclesiae doctrinam.

Nuper, ab anno 1948, praesertim in scriptis lingua gallica editis, eadem fidei carentia denuo apparet, simul cum methodo et conclusionibus rationalistarum.

In opere, quod inscribitur: *Introduction à la Bible* (A. Robert et A. Feuillet), I Introduction générale. Ancien Testament. Ed. Desclée, Tournai 1957: 2[me] éd. 1959, auctores (A. Barucq-H. Cazelles), post expositionem principii inerrantiae biblicae, (non autem adest perspicuitas quam in documentis Ecclesiae vidimus), de eius applicatione loquuntur, in ordine ad moralem (p. 62), ad scientias physicas (p. 62 s.), et ad disciplinas historicas (p. 64 s.).

Hac ultimas p. consideremus. « Après avoir parlé des questions scientifiques et donné les principes résumés plus haut (... auctor sacer secutus est ea quae sensibiliter apparent), Léon XIII ajoutait: Ces mêmes réflexions, il sera bon de les appliquer aux sciences voisines et surtout à l'histoire. De fait — auctores prosequuntur — on commençait à s'interroger sur la réalité de certains faits qui paraissaient jusqu'ici résulter de la lecture obvie de la Bible.

Ces difficultés ne venaient plus d'un préjugé antireligieux contre la

Bible..., mais d'une confrontation entre le texte biblique et l'histoire du Proche Orient ... (Exempla adducuntur: rex Balthassar in libro Danielis; rex Nabuchodonosor in libro Iudith; conversio Ninivitarum in libro Jonae ...).

Bien plus, l'étude attentive du texte biblique lui-même y montrait des affirmations difficilement compatibles entre elles, si on se place au point de vue historique. Faut-il se représenter la conquête comme une série de campagnes d'un Israël unifié dirigé par Josué, ou comme une série d'entreprises de tribus séparées, selon le tableau du premier chapitre du livre des Juges? Le séjour des Israëlites en Egypte a-t-il duré 430 ans (*Ex.* 12, 40) ou un peu plus de quatre générations (*Gen.* 15, 16)?

Un moment, on crut trouver la solution en admettant que l'auteur biblique parlait de l'histoire « selon les apparences » ... Dans ce cas, les apparences étaient les traditions ou documents qui étaient à sa disposition. Les faits pouvaient donc être faux, peu importe: l'auteur en parlait d'après les opinions courantes autour de lui.

Ce système, étendu à la Bible entière comme un principe d'explication générale, fut rejeté par le pape Benoît XV dans l'Encyclique *Spiritus Paraclitus*: « Ils s'écartent de la doctrine de l'Eglise ceux qui pensent que les parties historiques de l'Ecriture s'appuient, non sur la vérité absolue des faits... ».

La réprobation du système vient de ce que la religion judéo-chrétienne est liée à l'histoire. (Hic bene attendatur!). L'Ecriture est un témoignage sur l'action de Dieu dans l'histoire: il vient y apporter aux hommes le Salut et y fonder son Royaume. Si la Bible s'appuyait sur des faits inexistants lorsqu'elle retrace l'*histoire sacrée* (auctores ipsi sic subscribunt), la foi et l'espérance des hommes reposeraient sur le vide.

Mais l'angle essentiellement *religieux* sous lequel la Bible envisage les faits qu'elle enseigne indique bien les limites de la condamnation du système des « apparences historiques ». Les faits rapportés par les auteurs sacrés sont attestés par eux comme véritables dans la mesure où les auteurs ont voulu s'appuyer sur eux pour faire saisir aux hommes le mystère de d'action divine ici-bas, dans la mesure où ils sont très directement liés à l'histoire du Salut. Or celle-ci ne recouvre pas exactement l'histoire profane ni l'histoire politique d'Israël ».

Nihil aliud ad auctoribus istius Introductionis videtur asseri, quod iam Mgr. D'Hulst aliique catholici, quorum verbis supra relatis, Benedictus XV dolebatur, proponebant.

Recentiores auctores eodem modo ac praecedentes in Scriptura Sacra « errores vel impossibilitates » adesse supponunt: « Bien plus, l'étude attentive du texte biblique ... »: usque adhuc, textus sacer non attente con-

siderabatur; quod, e contra, isti auctores nunc faciunt; et, criticen edocti, veras edicunt difficultates a rationalistis, multis adhinc annis, obiectas: « des affirmations (habentur in S. Scriptura) difficilement compatibles entre elles »... « elles (difficultates) venaient d'une confrontation entre le texte biblique et l'histoire du Proche Orient ». De solutione autem istarum difficultatum, ab ipsis auctoribus catholicis saepe oblata, ne verbum quidem fit.

Ideo inerrantiam similiter coangustant elemento religioso, et factis tantum quae cum historia Salutis stricte et directe connectuntur! Quod equidem doctrinae a Benedicto XV in enc. *Spiritus Paraclitus* enunciatae, aperte contradicit. Interpretatio, hac in re, ab auctoribus Introductionis oblata, est arbitraria et erronea; textui Encyclicae et menti Pontificis manifeste opponitur. Pontifex enim aequiparationem disciplinarum physicarum cum historia et sic dictam « historiam iuxta apparentias » absolute reicit et condemnat, quia sanae doctrinae de natura inspirationis deque inerrantia absoluta Sacrae Scripturae repugnant. Hanc doctrinam Benedictus XV exponit verbis ipsis Enc. *Providentissimus*: inerrantia absoluta, quae, iuxta monitum Pii XII, ab omnibus religiose tenenda est, effectus est necessarius, inscindibilis divinae inspirationis; ita ut vera non detur inspiratio quae inerrantiam iuris, impossibilitatem scilicet cuiuscumque erroris, secum non ferat. Haec est catholica doctrina, in documentis supra relatis apertissime proposita. Igitur « historia iuxta apparentias » reicitur non ideo quia « religio iudaeo-christiana » factis historicis connectatur, sed quia divina inspiratio veritatem exigit absolutam. Benedictus XV veritatem historicam Librorum Sacrorum defendit, ex eo quod eorum auctor est Deus, et Scriptura revera est verbum Dei et non « un témoignage sur l'action de Dieu dans l'histoire! ».

Distinctio inter « historiam sacram » et « prophanam » vel « historiam politicam Israëlis » eadem est ac illa vetus distinctio inter elementum religiosum seu primarium et elementum prophanum seu secundarium, cui error subesse potest.

Iuxta « Introductionem », facta quae narrat, auctor sacer ut vera proponit si ad mysterium actionis divinae in hoc mundo, hominibus patefaciendum inserviant, in quantum scilicet historiae Salutis stricte et directe connectuntur. Historia autem prophana, historia populi Israël, sub inspiratione divina utique conscripta, nullum prae se ferunt contra errorem praesidium!

Auctores istius voluminis, systemata rationalistarum admittentes eaque sic et simpliciter exponentes, difficultatibus a « criticis » propositis hanc tantum solutionem dant: dogma scilicet absolutae inerrantiae biblicae et divinae inspirationis, ab Ecclesia hucusque propositum, retineri amplius

non potest, cum « criticae assertis » componi nequat! Evanescit e contra omnis difficultas si, ut ipsi proponunt, inspiratio, quae ad omnia utique extenditur, non iam ad scriptorem, sed ad communitatem referatur, quasi adsistentia vel impulsus quidam genericus ex parte Dei, qui, sua Providentia, in rebus tantum fidei et morum, communitatem praecavet ab errore, ita scilicet ut nihil contra Deum vel contra mores Scriptura (quae communitatis exprimit fidem et sensus) doceat.

Ad praxim deductam hanc supernaturalis actionis divinae negationem passim invenimus multis in commentariis exegeticis, ab anno 1948 et deinceps, in Gallia praesertim editis, et, quod sat mirum est, adprobatione ecclesiastica donatis: nulla prorsus, in Vetere Testamento, admittitur revelatio proprie dicta, nulla veri nominis prophetia; immo, quoad ipsa evangelia, adsumitur et divulgatur theoria « Formengeschichte » vocata, quae summa est recentiorum errorum, iuxta quam, quid Iesus fecerit et docuerit prorsus nescimus, hoc tantum evangelia nobis referentia quod communitates primitivae de Iesu crediderunt, iuxta ideas populares tunc vigentes.

Absolutae inerrantiae biblicae doctrina ad ipsa pertinet fundamenta fidei; si magisterium infallibile Ecclesiae explicite et solemniter eam definiat spes certa adest, Deo opitulante, ut catholici omnes Sacram Scripturam iuxta sensum et mentem Ecclesiae, explicabunt, Patres et Doctores secuti, in aedificationem corporis Christi et non in scandalum animarum.

DE CLERO INSTITUENDO UT RITE SUO MUNERE FUNGATUR

(C. Vona)

Legimus apud Prophetam Osee: Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi (Osee, 4, 6), quibus verbis ea adicimus quae apud prophetam Malachiam scripta reperimus: Labia Sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est (*Mal.* 2, 7). Quam scientiam eam intelligimus quae mores instruat, mentem collustret, ut si quis ea donetur facilius Deum prospiciens in eius mandatis deambulet.

Eos qui nos docent et ad modestiam exhortantur iure saepius audivimus dicentes Christum suos ex rudibus et imperitis elegisse qui Dei Verbum praedicarent et Religionem ab Eo conditam per terrarum orbem praecinerent et vulgarent; sed nobis non est obliviscendum scientiae et sapientiae donis Spiritum Sanctum eos denuo condidisse, atque tenebris ignorantiae excussis inter sapientes sapientissimos fecisse. At novimus quidem ad homines Deum condescendere ut ea quae ipse voluerit persequatur, qua-

propter ut temporum fert hominumque status, in rebus humanis versatur, plerumque absens etsi iugiter adiuvans.

Etenim postquam Ecclesiae firma constituta sunt fundamenta, tunc charismatum divinorum plenitudo atque mira effusio defecit et salus generis humani, Deo semper occulto ductore, promovenda hominibus concredita est, qui divinis atque naturae donis adlaborarent ad Christi Regnum dilatandum. Idcirco omni industria et cura statim Christiani usi sunt quo novam Religionem proveherent. Haud dubium est quin summa laus eis tribuenda sit, qui eximia pietate et doctrina praediti, mentes adversariorum allicerent atque ad Christianam Religionem converterent. Id iam fere ab incunabulis Ecclesiae ii assequuti sunt qui iam philosophorum placitis imbuti et omni doctrinarum genere instituti, pristina disciplina abdicata, Christianorum fidem susceperunt. Sed saeculi vitium est ut error semper cum veritate contendat. Multi exeunte saeculo primo aut religionis imperitia aut falso pietatis sensu permoti, studerunt veritatis doctrinae evangelicae sanitatem corrumpere, quam tuendam susceperunt qui errorem detectum, Scripturarum usu, doctrinis ac disciplinis quibus erant instructi, everterunt et profligarunt aut tenebris obstiterunt, quae divinam lucem adnitebantur obtegere. Inde factum est ut statim constituerentur sedes quae fidei doctrinam foverent. Plures apud Polycarpum consociati sunt discipuli qui doctrinas a Iohanne Apostolo acceptas traditionesque ecclesiasticas custodierunt eisque induti quasi manu facta exorientis gnosticorum haeresis impetum continuerunt. In primis Irenaeus, orientis et occidentis traditionis interpres, sedulo studio ea sibi comparavit, quae cum aliis communicavit, ut cognitum errorem profligarent et rudes et imperitiores a doctrinarum haereticorum venenatis telis protegerent aut vindicarent.

Romae quoque Iustinus, omnium philosophiae generum peritissimus, cum fidem Christianam amplexus esset, nihil antiquius habuit quam ut, pristino habitu servato, veram doctrinam promulgaret eamque philophorum inventis corroboraret. Scholae praefuit et quasi irriguos fontes in aridas mentes quas fecundavit immisit. Eandem rationem alii persequuti sunt Apologetae qui etsi philosophos et poëtas errorum magistros haberunt, plura tamen argumenta ab ipsis hauserunt quibus Religionem Christianam tuerentur atque firmarent. Exeunte saeculo secundo praeclarissima Alexandrina schola catechetica floruit, quae philosophos et doctos admiratione affecit, quorum placita et inventa purgata et expolita ius civitatis in Christianorum Republica adepta sunt. Tunc Christianorum fama percrebuit, et ex rudibus et imperitis novus flos doctrinae, novum philosophiae genus, ut ipsae gentes dicebant, exortum est, cuius bonus odor doctos aulasque imperiales penetravit. Ex parvis seminibus creve-

runt arbores quae Ecclesiae ornaverunt agrum, quem ab errorum impetu protexerunt. Summae doctis laudi est qui pervestigantes Scripturas earum occultos aperuerunt sensus, qui divinorum mysteriorum altitudines perscrutati et animi cupiditati Deum attingendi obsequentes hominum mentibus maiestatem et Dei pulchritudinem ostenderunt, quo altiora petentes in Illum intenderent a quo traherentur. Ita magis magisque in dies omnibus admirationi est Ecclesia quae cum omnibus aequis armis contendere potest.

Quantum Ecclesiae Tertullianus ipse, cuius tamen fuit lacrymabile fatum extremum, profuerit novimus, quem Cyprianus Magistrum appellabat. Iam divinarum rerum scientia suis terminis instruitur, quibus rite proponitur; summam peritiam in omnibus disciplinis sacris atque humanis ostendit Hippolytus, qui dulcis apis per Scripturarum prata pererrat; praeclaram pastoris doctrinam litterarumque elegantiam Cyprianus praebet; summam ingenii aciem in expugnandis haeresibus Hilarius atque Athanasius adhibent; Ambrosii doctrina Deo peperit Augustinum, qui inter sidera fulget; Sacrarum Scripturarum atque eleganti dicendi genere Hieronymus praestat inter suorum temporum doctos facile princeps.

Sed ne longiorem protrahamus sermonem praeclarissima lumina Ecclesiae saeculi quinti praetermittimus et quantum monachi, subsequentibus temporibus, praesertim cum iam Romanorum declinasset imperium adlaboraverint in conservandis et vulgandis humanitatis atque cultus fructibus. Quid de Theologicis scholis media aetate florentibus? Numquam Ecclesia viris illustribus viduata est, numquam Ecclesia magistra illustris esse desivit.

At saeculis volventibus eadem semper repraesentantur: hostium odium in Christum, incursantes errores, moresque collapsi, quibus iugiter obsistat necesse est Ecclesia mater et magistra. Cum autem Dei consilium genus humanum ad salutem perducere nolit, nisi hominum laboris communio praestetur, inde sequitur ut summa industria sit adhibenda in exquirendis instrumentis vel in excolendis institutis, quibus agmine facto imminentibus malis mederi possimus.

Cum hominibus nostrorum temporum facilis data sit facultas celebrandi scholas doctrina potius fucosa nitent quam recta etsi modica. Quo fit ut animi non edoceantur sed inflentur declinetque auctoritatis obsequium et altiora de se unusquisque sentiat. Ad haec adiicitur rerum inopiae molestia et factionum improbitas, quae animos corrumpit. Omnes alta sapiunt, omnes altiora petere cupiunt, animorum dissociatio fovetur et morum integritas atque sanitas quasi contemnitur.

Cum igitur omnibus persuasum sit praeclarissimum esse opus iuvenum fingere mores, qui fructus uberrimos tempore suo laturi sint, ea visum est proponere quae ad eorum institutionem spectent.

A) *De Scholis ecclesiasticis seu de Seminariis.*

1. *De seminariis minoribus*:

Studiorum modo restauretur et magistri singulis disciplinis tradendis laurea doctorali sint ornati.

Cum haud raro accidit, (in Italia e. g.), ut exiguae habeantur dioeceses, quae parvis contineantur finibus, et discipulorum ac magistrorum, qui docendo sint apti, copia desit, in unum seminarium confluant alumni numero quodam definito, quibus erudiendis peritorum professorum ordo hinc inde conlectus curam impendat.

Studia foveantur classicorum, etiam Christianorum, quibus tironum mens facile fingitur et humanitatis sensus, rebus antiquorum praeclare gestis, excitantur.

2. *De Scholis theologicis*:

In Sacris Scripturis, in disciplina dogmatica et morali et in Sanctorum Patrum doctrina et historia rite instituantur alumni, quia ex his fontibus praecipue hauriuntur argumenta, quibus fideles edoceantur, arceantur et in viam divinorum mandatorum introducantur.

Cum nostris diebus etiam in pagis vel minimis multi reperiantur viri laurea doctorali ornati, ne istis inferiores sacerdotes existimentur, optimum videtur si ipsi quoque doctorali laurea sint praediti. Populus enim si pastores sanctos habet, eorum trahitur virtutibus, quodsi eximia sanctitas desit, quos doctos reperit admiratur et obsequio prosequitur.

B) *De scholis ab auctoritatibus ecclesiasticis dependentibus.*

Summo studio curandum est ut scholae quibus auctoritates ecclesiasticae praesunt restauratae rite dirigantur et idoneis donentur magistris, qui, iusta mercede soluta, de curis domesticis securi totos se muneri adimplendo tradant.

C) *De Reipublicae scholis*:

Nullum dubium est quin magnopere consulatur religioni provehendae et rite moribus instituendis si quamplurimi sacerdotes in Reipublicae scholas immittantur, qui cum doctrinas tradunt iuvenum animos moresque verbis exemploque fingant.

Neque eorum cura est omittenda qui Universitatum cathedris potiri valeant, ne disciplinae, quae cum religione necessitudinem habent, docendae relinquantur laicis, qui plerumque ab istitutione religiosa sunt remoti, non autem cuiuscumque sectae favore privati.

DE CURANDA EDITIONE CATHOLICA TEXTUS HEBRAICI VETERIS TESTAMENTI

(C. Zedda)

Plurimorum haec fuerit postulatio; ast, quamquam in silvam ligna ferre videbor, editionem catholicam Veteris Testamenti secundum textum primigenium hebraicum ego quoque rogare non inutile arbitror.

Ne autem gloriari bonis alienis appaream, breviter hic quae secundum historiam iam acta et discussa sunt recolantur.

Ecclesia enim, a diebus Clementis Papae V (*Decretum Conc. Viennensis,* a. 1311) usque ad Leonem Papam XIII (Litt. Enc. *Providentissimus Deus,* 18 nov. 1893; Litt. Apost. *Vigilantiae,* 30 oct. 1902), Pium Papam X (Litt. Apost. *Quoniam in re biblica,* 27 mart. 1906), Benedictum Papam XV (Litt. Enc. *Spiritus Paraclitus,* 15 sept. 1920), Pium Papam XII (Litt. Pont. *Consilii de re bibl. ad Ordinarios Italiae,* 20 aug. 1941; Litt. Enc. *Divino afflante Spiritu,* 30 sept. 1943), semper de subtiliori cognitione primorum utriusque Testamenti textuum sollicita fuit.

Hodie itaque tam provida Mater novam laudem sibi comparare debet in curanda editione catholica textus hebraici Veteris Testamenti.

Propositum utique non est novum. Nam et Concilium Tridentinum in congregationibus generalibus dd. 17 mart. et 3 apr. 1546 desiderium expressit (quod postea Summo Pontifici significavit per epistolam cardinalium legatorum et card. A. Farnese, d. 26 apr. 1546) ut corrigerentur et ederentur etiam Biblia hebraica; et Summi Pontifices post tridentini editionem fieri Veteris Testamenti hebraici, Pont. Consilium ad id delegantes, iusserunt; et Pius XII nuper hortatus est: « Hodie igitur, postquam huius artis (critices textualis) disciplina ad tantam pervenit perfectionem, rei biblicae studiosorum munus est honorificum, etsi non semper facile, omni ope curare, ut quam primum a catholicis opportune apparentur tam Sacrorum Librorum, quam antiquarum conversionum editiones ad has normas redactae, quae nempe cum summa sacri textus reverentia accuratam coniungant omnium legum criticarum observationem »; et: « Cui voto (voto Tridentini editiones primorum textuum vulgandi), si tunc propter temporum difficultates aliaque impedimenta non plene responderi potuit, in praesens, ut fore confidimus, doctorum catholicorum collatis viribus perfectius ampliusque satisfieri potest » (Litt. Enc. *Divino afflante Spiritu,* 30 sept. 1943).

Impraesentiarum tamen tantillo scientiae biblicae cultori in omnium

memoriam breviter reducere liceat quas ob rationes Ecclesia hoc munus suscipere debeat, in crastinum non differens rem severam:

1) quia solus inspiratus est textus primigenius, ideo maxima cura est adhibenda ut is, in pristinum quam verisimillime restitutus, ab Ecclesia ipsa edatur.

2) Si Ecclesia sibi tantae curae habuit versionem latinam Vulgatam ut inde ab a. 1907 munus sodalibus Benedictinis detulerit hieronymianae Bibliorum conversionis ad pristinam lectionem restituendae, quantae textum primum?

3) Ultimum tironum praetextum est removendum, qui magnum editionum criticarum acatholicarum Veteris Testamenti pretium proferunt ut excusentur a conferendo textu primigenio S. Scripturarum. Atqui, ut factum est pro merkiana Novi Testamenti graeci editione Pii Papae XI voluntate parata, etiam nunc Ecclesia catholica Veteris Testamenti hebraici editionem parcam parare potest.

4) In Ecclesia enim tot tantaeque sunt altiorum studiorum biblicorum scholae ut non amplius sit tolerandum nos catholicos hac in re acatholicorum vectigales esse, qui heterodoxos non permagni facere debemus, eo vel maxime quod canon 1399, 1° *C.I.C.* editionibus librorum sacrorum acatholicis catholicos prohibet.

5) Officiis et muneribus scholarum biblicarum, tam sapienter a Summis Pontificibus enarratis, hoc est nunc cumulandum, scilicet ut textum hebraicum Veteris Testamenti critice edant. Quae res meritum saltem par ac merkianae Novi Testamenti graeci editionis illis certissime pariet.

6) Nemo dicat hunc laborem inutilem fore, qui noluerit operibus similibus laudati Merk, Vogels, Bover, aliorumque editorum catholicorum eandem incusationem irrogare.

7) Hodie editiones S. Scripturae polyglottas Complutensem, Antverpiensem, Parisiensem amplius invenire non est. Ceterum earum valor criticus plurimi non est aestimandus.

8) Probabiliter S. Sedes id obtinebit quod hucusque editoribus acatholicis non arrisit, facultatem nempe et conferendi et transcribendi et luce imprimendi codicem hebraicum saeculi decimi qui in Qaraitarum synagoga Beroeae (« Aleppo », in Syria) asservatur, nisi secundum A. Marx, ab A. Gil Ulecia, in *Cultura Biblica* 4/63 (1949) laudatum, ultimis hisce temporibus sit revera deletus.

Quum igitur Ecclesiae praedici legitime possit, immo promitti verginalium illud: « Carpent tua poma nepotes », enixe infrascriptus orator rogat ut, auctoritate Sedis Apostolicae, *quamprimum ineatur editio critica Veteris Testamenti hebraici eaque modico pretio pervulgetur,* quo catholici studiosi universi se in posterum sua editione sibi spondeant usuros.

FACULTAS IURIS CANONICI

DE STATISTICO OFFICIO APUD SANCTAM SEDEM CONSTITUENDO

(A. Canaletti Gaudenti)

Nemo non videt quanti momenti esse possit cognitio, vel mere quantitativa, innumerabilium factorum, quae multiplices ecclesiastici regiminis facies seu adspectus respiciunt: factorum enim perspicua notitia, statisticis investigationibus constituta, efficiet ut vel signa tempore utili praebeat, vel defectus ostendat, vel aliquid ad rectam normam fieri demonstret, vel progressionem aliquam aut regressum exhibeat; e statisticorum autem elementorum comparatione atque interpretatione animadversiones ac deductiones eruuntur, quae humanorum eventuum successionem profundius interpretantur. Neque statisticorum elementorum momentum atque pondus est mere quantitativum: ipsa utique semper sunt rerum indicationes; at numeri, etsi nihil praeter quantitatem exprimere videntur, multum et moralis vigoris et spiritualis, ut ita dicam, ornatus sumunt, quotiescumque innuunt ac patefaciunt apostolicum Ecclesiae munus et universalem missionem.

Ex quo fit ut maxime eluceat quantae sit utilitatis pro Apostolica Sede centralis statistici officii constitutio, e. g. apud Sacram Congregationem Concilii, quo, a praesenti statu intermissae et inaequalis statisticae ecclesiasticae, per gradus ac paulatim perveniatur ad organicam, quamvis simplicem, totius materiae ordinationem.

Re vera iam passim ubicumque fere exstant, et apud centralia Ecclesiae organa et apud alia ecclesiastica officia, nonnulla statistica ministeria seu potius collectiones plus minus accuratae elementorum: agitur tamen de rudi atque incompta statistica, praesertim cum per se ipsa stet, et in se ipsa steriliter concludatur.

Itaque novi officii munus statuendum est non tam investigare quam ea elementa elaborare, quae iam ad Apostolicam Sedem — praesertim per quinquennales illas relationes, de quibus in can. 340 — perveniunt, vel quae copiosius pervenirent si Curiae dioecesanae, Vicariatus et Praefecturae Apostolicae, Curiae generalitiae religionum plura e suis tabulariis elementa traherent et cum Sancta Sede communicarent. Quae elementorum elaboratio eo magis nostra aetate est maximi momenti, quod in compluribus civitatibus scientia illa, quae « sociologia religiosa » appellatur,

summopere progreditur atque perficitur, qua et vita religiosa et moralis populi vita penitus investigatur.

Huius autem officii ordinatio simplex omnino, eaque rationalis, esse debet. Cum agatur de elementis elaborandis, non colligendis, duo vel tres officiales, opportunis machinis et instrumentis praediti, satis esse poterunt, ita ut nulla sit metuenda « burocratica organizatio », quae vocatur. Quodsi postea, experientia edocente ac suadente, opportunum videatur magis amplum constituere statisticum ministerium (de quo cf. *Apollinaris* IX, 1936, pp. 85 sqq.), quae necessaria erunt suo tempore determinabuntur.

DE IURE POENALI CODICIS CANONICI EMENDANDO

(O. Cassola)

Infrascriptus Pont. Commissioni Antepraeparatoriae Concilii Oecumenici submisse porrigit heic adnexam investigationem « De iure poenali Codicis canonici emendando »,[1] praesertim in eius paragrapho B a pag. 252 ad pag. 259 excerpti.

Aliquantulum tamen evolvens ea quae in pag. 257 ad *b*) obiter dicuntur, firma opportunitate systema poenale canonicum perficiendi et perspectis exigentiis accommodandi, idem censet *incrementum* poenarum hodie minus conferre ad disciplinam in Ecclesia tuendam, immo contrarium exitum facile sortiri.

Potius necesse est ut poenae latae sententiae numero reducantur et in simpliciorem formam redigantur; poenas autem ferendae sententiae quod attinet, optandum est ut saltem graviores per processum criminalem ordinario irrogentur, salva facultate utendi via administrativa in casibus exceptionalibus apte circumscriptis et quoad poenas minores bene determinatas.

Ceteroquin coërcitio poenalis semper fuit extrema ratio adhibenda in Ecclesia, ut affabre enuntiatur in can. 2214 § 2, interposito ipsius C. Tridentini monito sess. XIII, de ref., cap. I (« Meminerint Episcopi aliique Ordinarii se pastores non percussores esse », etc.), utque innuunt cc. 1947 et ss., 2223, 2242, 2288, etc.,

Ad Clericos et Religiosos speciatim quod attinet, robur disciplinae magis proficiet meliore cura iustitiae et caritatis quam exacerbationibus poenalibus. Plura mala radicitus extenuari nequeunt nisi regimine idoneo

[1] Apollinaris, 32 (1959), pp. 240-259.

et mente supernaturali innixo; sub quo unusquisque suum locum occupet et strenue competenterque adlaboret ad maiorem Dei gloriam, doctrina et pietate imbutus, sua vocatione contentus neque egestate aut vexationibus afflictus; et in quo superiores constanter afficiant inferiores omni intelligentia et consilio et ope, ab omnibus absolute exigentes praxim fraterni amoris et operosae unionis in Christo Domino.

In his rerum adiunctis apte firmiterque procuratis longe rariora fient delicta et difficilius florebunt humanae miseriae, scil. naturalistica ratio vivendi agendique, praelaturae ambitio et auri cupiditas, despectus doctrinae et genuinae probitatis sacerdotalis, studium quaerendi quae sua sunt et apparendi, ignavia et imperitia, animus duplex aut malevolus aut levis, etc.: quae omnia exstant delictorum fomites et dant gravem morum relaxationem quae Ecclesiae magis obest quam multiplex singuli delictum.

Praeterea, viribus unitis, haud dubie eveniet ut exsurgat fortis exercitus apostolorum qui, duce Romano Pontifice, salutem gentibus afferant et Regnum Christi in humana societate singulisque animabus tandem praeparent.

Utinam ergo proximum Concilium Oecumenicum queat, reformando et informando, ea sapienter statuere quae ad integram renovationem coetus clericalis et sodalium religiosorum perducant!

Tunc enim idem Concilium parem efficaciam assequi poterit ipsius Tridentinae Synodus, cuius maximum momentum historicum deprehenditur non minus in reformatione disciplinae ecclesiasticae quam in declarationibus et definitionibus dogmaticis.

DE NONNULLIS ECCLESIASTICAE LEGIS MUTATIONIBUS

(P. Ciprotti)

Praemittenda

Non expedit ut Concilium Oecumenicum de universa ecclesiasticarum legum reformatione et emendatione curet, cum eiusmodi reformatio et emendatio expeditius et accuratius fiat si tranquillo studio a paucis iuris peritis — quibus videlicet propositiones et vota subiecta sint — schemata novarum legum antea redigantur.

Attamen, cum episcopi in primis Ecclesiae ac fidelium necessitates ac desideria usu ipso cognoscant, maxime convenit ut futurum Concilium praecipuas canonici iuris reformationes perpendat, earumque principia fundamentalia vel etiam normas quasdam suggerat atque commen-

det, nonnumquam fortasse etiam deliberet. Neque tamen umquam est obliviscendum non solum leges nullo modo sufficere ad Ecclesiae finem consequendum, sed eas esse instrumentum multo minoris ponderis ac momenti quam magisterium ac sanctificationem, ex quibus praesertim constet oportet positiva Ecclesiae actio.

Hic autem quaedam proponuntur res, quae, humili meo iudicio, utiliter subdi possunt futuri Concilii Patribus, quod attinet ad Ecclesiae latinae leges.

1. De beneficiis

In permultis Ecclesiae regionibus systema beneficiarium — quod originem habet in vetustissima ipsius civilis et humanae societatis ratione, quae iam non congruit cum hodierna « oeconomia » — haud pauca parit incommoda, quae breviter ita recenseri possunt:

a) non aequa bonorum ecclesiasticorum est distributio inter clericos;

b) sacerdotes a sacro ministerio et a spirituali vita distrahuntur propter necessitatem administrandi beneficii dotem; neque sacerdotis auctoritati apud fideles prodest eum nimis de re administrativa vel oeconomica curare;

c) haud raro inimicitiae oriuntur inter parochum et suos fideles, qui in eius agro operam, ut opifices vel agricolae, praestant;

d) interdum sacerdotes, quibus beneficium collatum est, non sunt rerum administrativarum periti, ideoque periculum est ne beneficii bona male administrentur; nonnumquam autem Ordinarius debet in conferendo beneficio rationem habere eius quoque qualitatis (id est peritiae in re administrativa et oeconomica), potius quam eas tantum qualitates prae oculis habeat quae ad officium illud ecclesiasticum exercendum magis sint necessariae;

e) nonnumquam etiam accidit ut sacerdos, qui optimus ac maxime idoneus beneficiarius alicuius beneficii esset, non possit beneficium acceptare, quia careat pecunia qua opus est ad instrumentum fundi (vulgo « scorte ») ex sua parte emendum.

Etsi tamen haec incommoda frequentia sunt in multis regionibus, non ideo expedire videtur ut systema beneficiarium omnino subvertatur, cum et perdifficile sit quae iamdudum sunt in usu instituta subito tollere, et nemo possit, nisi postquam experientia docuerit, certo praevidere quae commoda quaeque incommoda futura sint si novum systema instauretur. Potius igitur videtur suadendum ut interim permittatur episcopis locorum — praesertim in concilio provinciali aut plenario vel saltem collatis consiliis inter episcopos eiusdem nationis et, si opus sit,

peritis de re oeconomica auditis — mutationes quasdam prudenter inducere, quae, prout experientia suaserit, continuent aut interrumpant aut corrigant; et ut quaedam legis normae ita emendentur aut compleantur, ut facilius incommodis, quae supra enumeravi, occurri quodammodo possit.

Codicis normae quae emendari possunt in primis videntur normae de pensionibus (can. 1429), de seminaristico (can. 1356), deque aliis tributis (cann. 1504-1506): opportunum enim videtur, ad aequiorem bonorum ecclesiasticorum distributionem, permittere episcopis ut super fructibus superfluis et pensiones imponant extra statutum can. 1429, et tributa maiora — etiam « progressiva », quae vocantur — imponere possint. Quinam autem sint fructus superflui, determinandum erit ab ordinariis cuiusque nationis: quae determinatio vim habere debebit etiam in applicando (quod nunc a nonnullis non fit) can. 1473. Quo autem tributa progressiva et pensiones vere utilia sint ad aequiorem bonorum ecclesiasticorum distributionem, oportet generatim in ipso Codice, magis determinate autem in quadam speciali Instructione in singulis civitatibus ab ipsa Apostolica Sede aut a concilio nationali lata, praecepta statuantur quae et in tributis pensionibusque imponendis et in horum proventibus ad clericos vel ad personas morales tribuendis servanda omnino erunt, ita ut ex necessitatis publicae et iustitiae principiis, quantum fieri possit, fiat distributio, minime autem ex cuiusquam arbitrio aut fallaci forte iudicio.

Quod autem attinet ad experimenta episcopis permittenda — quae experimenta tandem praevia esse poterunt futuris reformationibus generali lege inducendis — duo vitanda sunt pericula: *a*) ne benefactores ex mutata ratione administrandi ac distribuendi bona, timentes ne sua liberalitas in favorem alius personae moralis destinetur, avertantur a legatis et donationibus in favorem ecclesiasticarum personarum moralium aut cuiuslibet piae causae disponendis; *b*) ne iis, quibus bona ecclesiastica administranda traduntur, iam desit quaelibet impulsio ad recte diligenterque administrandum.

Patet autem prius periculum abesse, si vigenti systemati in hoc tantum derogetur, quod administratio auferatur beneficiariis, et alicui officio dioecesano, vel etiam regionali, committatur; quod si fiat, augeri potest alterum periculum, quod tamen satis deminui potest, si administratores ab ipsis beneficiariis eligantur (vel etiam ex ipsis sumantur), et si praemia statuantur pro fructuosiore administratione. Attamen consideretur oportet hac administrationis mutatione non emendari praecipuum vigentis systematis defectum, inaequalem dico bonorum inter clericos distributionem. Praeterea difficultates nonnullae, saltem in aliqui-

bus locis, oriri possent, si haec administrandi ratio introduceretur: nam beneficiarii, ii praesertim qui ex agricolarum genere orti sunt, nonnumquam libentius agro colendo operam dant, quam agri ab aliis cultui fructus recipiant; stipendium administratoribus solvendum erit; haud facile est simul res in diversis locis sitas administrare (cui tamen incommodo interdum occurri potest per opportunas venditiones et emptiones, ita ut plurium beneficiorum agri finitimi fere sint).

Utrumque periculum inesse potest — neque tamen fieri nequit ut in certis locis ac temporibus nullum iam sit periculum — si non administratio beneficiariis auferatur, sed ipsum ius utendi, fruendi beneficialibus fructibus (cf. can. 1473), ita ut ipsi aut fere sic se habeant, ut ceterarum personarum moralium administratores, aut ne administratores quidem iam sint sed tantummodo ministri pro opera sua stipendium accipientes: hac autem ratione, fructus beneficiorum deberent in aliquam massam dioecesanam vel regionalem vel nationalem confluere, ex qua ad aequitatis normam distribuenda essent. Nemo non perspicit hac ratione posse aequius ecclesiastica bona distribui. Ut autem utrumque, quod supra indicavi, periculum minuatur: *a*) in fructuum distributione, de qua normae bene determinatae debent dari, ratio habenda erit etiam maioris quantitatis fructuum, quos unusquisque ad massam attulerit; *b*) fideles accurate edocendi sunt de generali Ecclesiae utilitate longe praeferenda et attendenda prae contingenti huius vel illius beneficii locupletatione. Fieri itaque potest ut hic vel illic tempus adveniat, quo haec ratio reformandi systema beneficiale opportunior videatur, dummodo ea pericula nulla vel minima fiant.

Dubia proponuntur:

a) an et quo modo expediat augere episcoporum potestatem, quod attinet ad pensiones ac tributa beneficiis imponendas;

b) an expediat, ad rectius applicandum praeceptum de quo in can. 1473 *C.I.C.*, in unaquaque natione definire quae fructuum quantitas in unaquaque beneficiorum specie habenda sit necessaria ad honestam beneficiarii sustentationem;

c) an expediat, et quibus limitibus, permittere ut episcopi aequiorem inducere studeant bonorum beneficialium distributionem vel beneficiarios ab administrationis cura sublevare.

2. De privilegiis praeter aut contra legem

Haud pauca privilegia, praesertim quae ecclesiis aut religiosis ordinibus (vel congregationibus vel domibus) aut fidelium associationibus concessa sunt, episcoporum iurisdictioni interdum nocent; complura autem,

cum sint mere honorifica vel hodiernis moribus non consentanea, ipsis sacerdotibus, magis autem christifidelibus laicis, maxime vero iis qui fervidam christianam vitam minime agunt, saepe derisui sunt; quod incommodum gravius fit, si qui forte — quod non raro evenit — alicuius oppidi municipes aut alicuius ecclesiae canonici aliique sacerdotes aut alicuius confraternitatis vel religiosae domus sodales nimium videantur pondus ac momentum iis privilegiis tribuere.

Etsi ante promulgatum Codicem Iuris Canonici eiusmodi incommoda graviora erant, attamen verum est ea nimium adhuc persentiri.

Miximum esset remedium, si quaelibet privilegia usque adhuc concessa auferrentur, ita ut omnibus et hominibus et moralibus personis omnino legis canonicae praecepta applicarentur. Cum autem sint quaedam privilegia, quae forte auferri statim non expediat (uti est, e. g., Bulla Cruciatae), opportunius fortasse erit, si recensio quaedam privilegiorum, quae conserventur, fiat, et si in Codice indicetur si quae forte sint materiae in quibus concessa privilegia conservanda videantur, mutato videlicet, quod attinet ad privilegia, principio in can. 4 enunciato.

Quodcumque autem sumitur remedium, oportet clerum ac praesertim populum recte antea edoceri de causis quae suadent ut privilegia auferantur, deque generali vi reformationis, quae scilicet non hoc vel illud tantum privilegium, sed cuncta fere abroget.

Dubium proponitur:

an expediat quaelibet privilegia stricte dicta, id est quae in lege universali non statuantur, auferre, iis exceptis quos Apostolica Sedes, accurate circumstantiis omnibus perpensis, servanda censuerit.

3. De seminariis et clericorum institutione

Experientia docet eos sacerdotes, qui sero ad clericalem statum accesserint, non solum — quod planum est — societatis et hominum vitam melius habere perspectam, quam sacerdotes qui diu in seminario degerint; sed etiam — quod ex ea re consequi videtur — plerumque magis esse idoneos ad fidelium animos dirigendos, ad confessiones recipiendas, ad contiones, consilia, hortationes proferenda.

Nec tamen idcirco concludi debet quattuor haec saecula, per quae seminaria in Ecclesia vigent, demonstrasse inutilia esse seminaria vel etiam damnosa, cum, uti recte docuit Tridentina Synodus, « adulescentium aetas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas, et, nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, numquam perfecte, ac

sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio, in disciplina ecclesiastica perseveret » (Conc. Trid., Sess. XXIII, de ref., c. 18).

Verum nemo non videt aliquid adhuc in seminariorum ratione et in clericorum institutione posse feliciter perfici atque compleri, in eos praesertim fines ut clerici, antequam maiores ordines suscipiant, probe noscant quid renuncient in clericali statu amplectendo, ut ipsi bene perspectos habeant populi mores et animum, atque, cum e seminario exierint ordinati, ne nimis distantes a populo sint ac fere peregrini.

Cum agatur de re, quam ego non penitus cognosco, non possum plura disserere neque audeo remedia proponere.

Opportunum tamen censeo duo exempla narrare, quae ostendunt quam sit necesse ut clericorum institutio sit magis completa, et ut ipsi magis hominum vitam noscant, antequam sacrum presbyteratus ordinem recipiant et pastoralem vitam sacrumque ministerium ineant.

Praelatus quidam e Curia Romana quondam mihi dixit se adeo, cum e seminario exiit, ignorasse res quae ad vitia contra castitatem attinerent, ut, primis post receptum sacerdotium mensibus, cum adulescentes in confessione confiterentur quaedam contra sextum peccata, ipse semper responderit non esse peccata, sed res naturales. Alius autem, cum iam esset theologiae professor, me rogavit num forte scirem utrum mulieres aeque ac viri sentirent carnis stimulos.

Haec autem, quod attinet ad clericorum institutionem in seminariis.

Sed praeterea animadvertendum est, postquam e seminario clericus exierit, melius, quam nunc fit, curari posse ut ipse aptior in dies efficiatur ad pastoralem operam, praesertim ad contiones, confessiones, animorum directionem, et ut pietatis spiritus quam maxime in ipso foveatur ac perficiatur. Quae res et in primis est necessaria ne clericus mundi illecebris contaminetur, et summi est momenti ut digniores sint Dei ministri, ut vere sint « sal terrae », ut eorum ministerium efficacius evadat; neque id dico tantum propter supernaturalia auxilia, quae pius clericus copiosiora sperare potest, sed etiam quia populus ipse, ea quoque pars quae magis remota est ab Ecclesia, duo praesertim in clericis quaerit et optat: *a*) ut pietate et continentia ab exterioribus bonis et animi caritate ita excellant « ut sese apud fideles ad absolutissimam referant formam Divini Magistri » (Pii XI, Encycl. *Divini Redemptoris,* d. 10 martii 1937);*b*) ut in materialibus ac spiritualibus cuiusque aerumnis apta consilia et hortationes in confessione et extra dare possint et cupiant. Quae ut efficiantur, et frequentius sacerdotum animi sunt piis meditationibus et spiritualibus exercitiis nutriendi, et Pii XII verba haec ap-

plicanda sunt: « idem praeterea, ut concrediti officii decus postulat, atque fidem aestimationemque populi, quemadmodum addecet, sibi conciliet — quod procul dubio pastoralem operam suam efficaciorem reddet — illa vel profanarum scientiarum copia praeditus esto, quas hodie exculti homines commune veluti patrimonium habent » (Encycl. *Ad catholici sacerdotii*).

Quodsi et pietate et doctrina et christiana prudentia clerici emineant, et ipsi omnes, episcopi quoque, propius sentiant et vivant confratrum ac populi universi vitam atque necessitates, incredibilem eorum acta et verba vim habere poterunt in populum, maximeque et hominum mentibus et cordibus persuadere; quo efficietur ut sanctorum sacerdotum exemplo et pastorali opera magis solidae suscitentur vocationes quam per seminaria, fortasse etiam plures: quamquam non tam multis quam sanctis ac pie sedulis Ecclesia indiget sacerdotibus.

Dubia proponuntur:

a) an et quo modo curandum sit ut seminariorum discipuli aptiorem institutionem accipiant;

b) an cann. 124-126 *C.I.C.* (cann. 60-62 Motu Proprio *Cleri sanctitati* d. 11 iun. 1957) ita debeant mutari ut clericis saecularibus plura imponantur pietatis exercitia, in primis exercitia spiritualia;

c) an can. 129 *C.I.C.,* non solum ad normam can. 65 Motu Proprio *Cleri sanctitati,* complendus sit, sed praeterea utrique canoni praeceptum aliud sit addendum, quo clerici iubeantur profanarum quoque disciplinarum (earum praesertim quae cum sacris arctius cohaereant) talem sibi copiam comparare qualem exculti homines habere solent.

DE DISSOLUTIONE VINCULI INITI CUM DISPENSATIONE AB IMPEDIMENTO DISPARITATIS CULTUS

(I. Damizia)

S. Augustinus, de coniugiis loquens, ait: « His ita pro meo modulo pertractis atque discussis questionem tamen de coniugiis obscurissimam et implicatissimam esse non nescio, nec audeo profiteri omnes sinus eius vel in hoc opere vel in alio me adhuc explicasse vel iam posse, si urguear, explicare ».[1] Quae verba etiam hodie, multis interiectis saeculis, iterare possumus, cum multa in materia matrimoniali adhuc obscura, sedula diligentique investigatione perscrutanda essent. Nostrum erit tantum quaestionem de dissolutione vinculi matrimonialis initi cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus aliquatenus enucleare, ita ut solidis firmisque rationibus, hanc potestatem Romano Pontifici competere, contraria sententia explosa, probare possimus.

I. Introductio

Multa in instituto matrimoniali, decursu temporis enucleata sunt, cum ius, sua in essentia, potius dynamicum quam staticum sit. Eius evolutio nondum hodie perfectionem attigit etiam quoad dissolutionem vinculi. Etenim auctores, qui iuri matrimoniali operam dederunt, quaestiones huius instituti, quae, eorum temporibus a vita quotidiana submovebantur, habito semper prae oculis ut nunquam unitas et indissolubilitas matrimonii laederetur, pertractarunt. Igitur per plura saecula quaestiones fundamentales de separatione coniugum, circa tres principaliores sectiones, habita etiam ratione hic illic de aliis, agitabantur:

1) de formulatione iuridica privilegii paulini;[2]

---

[1] S. Augustinus, *De adulterinis coniugiis,* lib. I, cap. 25, n. 32, Corpus Scr. Eccl. Lat. vol. 41, Vindobonae 1900, pag. 379.

[2] D. Gregory, *The Pauline Privilege,* Washington 1931. A. Bride, *Privilège Paulin,* in *D.T.C.,* vol. 13, coll. 400-416. G. Oesterle, *Privilège Paulin,* in *Dictionnaire de Droit Can.,* vol. VII, coll. 229-280. A. C. Jemolo, *Il privilegio paolino dal principio del secolo XI agli albori del XV.* Studi sassaresi 1923, 2ª serie, vol. II, pp. 243-335. A. Esmein, *Le mariage en droit canonique,* Paris 1929, p. 242. B. Kurtscheid, *Historia iuris canonici,* vol. I, *Historia institutorum,* Romae 1941, pp. 77, 185, 312. W. M. Plöchl, *Geschichte des Kirchenrechts,* vol. II, Wien 1955, p. 294.

2) de sacramentalitate matrimonii;[3]
3) de impedimento disparitatis cultus.

Sed etiam hodie nondum adhuc omnes quaestiones circa istam solutae sunt. Adhuc agitatur quaestio utrum S. Pontifex vinculum naturale inter duos paganos solvere valeat;[4] non omnes conveniunt in neganda sacramentalitate coniugii inter partem baptizatam et partem non baptizatam;[5] adhuc sub iudice est quaestio de fictis cautionibus. Ad nostram quaestionem quod attinet, tantum hodiernis temporibus frequentius agitata fuit. Nullum vestigium usque ad Medium Aevum reperitur. S. Augustinus magnam sollicitudinem habuit defendendi indissolubilitatem matrimonii.[6] S. Thomas tantum de vi iuridica impedimenti disparitatis cultus loquitur.[7] Fere eodem modo S. Bonaventura solvit quaestionem.[8] Recentiori aetate auctores rem attingunt sed vel eam iuxta mentem privilegii paulini solvunt [9] vel ad separationem coniugum re-

---

[3] F. SCHENK, *The matrimonial impediments of Mixed Religion and Disparity of Cult,* Washington, 1929, p. 287.

[4] LAMBRUSCHINI, *Disputatio de potestate vicaria Romani Pontificis in matrimonium infidelium,* Apollinaris 1953, pp. 175-197.

[5] TH. M. VLAMING, *Praelectiones iuris matrimonii,* Bussum 1950, p. 39.

[6] B. A. PEREIRA, *La doctrine du mariage selon Saint Augustin,* Paris, 1930.

[7] *Super Epistolas S. Pauli Lectura,* I, Taurini 1953, *I ad Corinthios,* p. 300, n. 342: « Intelligitur enim hoc de his qui in infidelitate contraxerunt, non de his qui in disparitate cultus; tunc enim nullum esset matrimonium, sed essent separandi, sicut fecit Esdras ». *In IV Sent. Dist.* 39, q. 1, art. 1, ad primum, ait: « et ideo disparitas cultus praecedens matrimonium impedit contrahendum, et dirimit contractum »... ad quintum: « et e contrario si aliquis catechumenus habens rectam fidem, sed nondum baptizatus, cum aliqua fideli baptizata contraheret, non esset verum matrimonium ». Cf. *Summa Theologica,* Suppl. q. 59, art. 1, ad I° et ad V°.

[8] *Sententiarum Lib. IV,* Dist. 39, art. 2, q. 1: « Concedo igitur, quod solutionem matrimonii contracti in infidelitate tria faciunt: primum est *ipsius imbecillitas;* secundum est *cultus disparitas;* tertium, *Creatoris vel matrimonii iniuria. Primum reddit possibile* ad dissolutionem, secundum disponit, et tertium *dissolvit.* Matrimonii *imbecillitas* est ratione significationis imperfectae, quam habet apud infideles, et ratione defectus baptismi... *Cultus disparitas* est secunda ratio, quia tunc advenit alteri personae fortius vinculum. *Iniuria matrimonii* sive Dei est, cum non vult cohabitare, aut non sine contumelia Creatoris; et tunc vinculum illud solvitur, quia repugnat vinculo, quo fidelis alligatur Deo ».

[9] SALMANTICENSES, *Cursus Theologiae moralis,* Venetiis 1750, tom. II, *De matrimonio,* Tract. 9, cap. 12, punc. 6, n. 71-72: « Quarto, quia Matrimonium ex natura sua petit indissolubilitatem; sed Matrimonium contractum inter fidelem, et infidelem est dissolubile, siquidem potest fidelis ab infideli recedere, et aliud Matrimonium inire ut diximus c. 4 a n. 35 ergo... respondetur, non esse contra indissolubilitatem Sacramenti, quod ex privilegio possit dissolvi; nam Matrimonium

currunt.[10] Hoc modo pedetentim efformatur sententia quae negat possibilitatem dissolutionis vinculi initi cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus. Tantum exeunte saeculo XIX proponitur sententia affirmativa. Primo igitur de sententia negativa et postea de alia, quae a nobis multis argumentis defenditur.

II. Sententia negativa

I. Perrone, S. I.,[11] falso fundamento innixus, sententiam negativam defendit: « Insuper ecclesia aliam omnino rationem agendi in his coniugiis tenuit, atque in coniugiis in infidelitate initis. Siquidem ea tamquam prorsus indissolubilia habuit, adeo ut quamvis pars fidelis fuisset ab infideli derelicta, aut quamvis infidelis gravissimis molestiis partem fidelem afficeret fidei causa, seu non consentiat pacifice ac sine iniura Creatoris cohabitare cum parte fideli, numquam tamen Ecclesia permisit ut abrumperetur coniugium quoad vinculum, atque ad nova vota pars fidelis, vivente adhuc coniuge infideli, transiret; secus ac statuere consuevit circa coniugia in infedelitate contracta, ut suo loco vidimus. Iam vero diversae adeo huius agendi rationis quaenam probabilis causa assignari poterit, nisi quod ecclesia veluti contractum sacramentalem spectarit coniugium, quod ex parte fideli ac baptizata initum fuerat legitime cum infideli?

Sane 14 iunii 1708, insequens dubium propositum est: « Nonnumquam foeminae Christianae ex dispensatione nuptias contrahunt cum viris infidelibus a quibus postea abiiciuntur et prorsus deseruntur; haec vero foeminae sic a viris reiectae, quod continere se nequeant, sponte nubunt, vel aliquando contra propriam voluntatem a parentibus cum altero infideli, qui baptismum suscipere paratus est vel cum christiano nuptui collocantur. Quaeritur, num istud secundum matrimonium legitimum sit vel validum? Sacra Congreg. S. Inquisitionis

ratum inter fideles indissolubile est ex natura sua, et tamen per professionem alterius in Religione dissolvitur. Et similiter inter infideles est matrimonium in ratione contractus verum, et quamvis sit consummatum, potest ex privilegio per Baptismum unius dissolvi ut diximus ».

[10] F. Schmalzgrüber, *Ius ecclesiasticum universum,* tom. IV, Romae 1844, pars II, tit. VI, p. 500, n. 129: « ex tali matrimonio per se oritur obligatio cohabitandi, et reddendi debitum, et haec obligatio actu urget, quando coniux infidelis sine iniuria creatoris cohabitare fideli velit; secus, si non velit, suspenditur ab extrinseco, quod novum non est, sed fit etiam, quando coniux alter commisit adulterium ».

[11] *De Matrimonio Christiano,* Romae 1858, vol. II, pp. 308-311.

respondit: *Negative*. Quare? nisi quia pro certo assumpsit, vel saltem uti probabilius habuit eiusmodi matrimonium ex parte fideli sacramentum esse, quo fit ut coniugium prorsus indissolubile evadat? Nam si mixtum coniugium spectasset ut merum contractum naturalem, quemadmodum in pari casu dissolvit connubium infidelium, ita et hoc pariter dissolveret ».

P. Giovine,[12] nisus auctoritate ecclesiae et Apostoli, eandem sententiam defendit: « Antequam huic articulo finem imponamus, superest, ut alia pauca dubia, quae proponi solent, persolvamus; quorum primum est: an Fidelis, qui ex Dispensatione valide contraxit Matrimonium cum infideli, transire possit ad alias nuptias, utendo Divina Dispensatione, si infidelis discedat, vel cohabitare nolit, vel eam pertrahat ad mortale peccatum? Huic quaesito indubitanter respondemus, cum Privilegium Divinum [13] respiciat illud Coniugium, quod ab utroque coniuge infideli initum fuit antequam alteruter ad veram Fidem convertatur.

Quodque confirmatur ex Decisione Sacrae Congr. Inquisitionis, emissa sub Clemente XIII, die 1 augusti 1753 tenoris sequentis: « Si fidelis praevia Dispensatione etc. ... Proceditque id, etiamsi Neophytus, mediante Dispensatione super cultus disparitate, iterato consensu, retinuerit unam ex illis, quae praeter primam uxoris appellationem duxerat in infidelitate, ob polygamiam in sua secta vigentem; eaque lapsu temporis discesserit. Etenim super simili dubio, a Vic. Apost. Siam proposito, Sac. Congregatio S. Officii anno 1854 respondit per instructionem ex Synodo Sutchuensi, Cap. IX, par. VII, ubi inter caetera adnotatur, post Dispensationem ab Impedimento disparitatis Cultus non posse amplius ullo in casu Matrimonium solvi quoad vinculum, sed solum quoad torum, quia factum est indissolubile in favorem Fidei et Fidelis partis ». Quae ratio revera non bene intelligitur neque eius fundamentum perspicitur.

A. Ballerini — D. Palmieri, S. I.[14] eiusdem sunt opinionis, nullam novam rationem afferentes: « Habet ex his, consummationem matrimonii post baptismum non obstare, quominus pars fidelis uti possit privilegio paulino... Imo ex his et illum videretur inferendum, quod si quis fidelis ex dispensatione s. Sedis infidelem ducat cum eaque matri-

---

[12] *De dispensationibus matrimonialibus,* Neapoli 1865, tom. I, Pars II, Cons. XVIII, par. 272, n. 8-9, pp. 511-512. Eadem iterat Ph. de Angelis, *Praelectiones iuris canonicis,* tom. III, Romae 1880, p. 333, n. 11.

[13] Cf. H. J., *De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus,* Lovanii 1893, p. 403: « Non defuit etiam qui opinaretur locum esse casui Apostoli, si fidelis ex dispensatione matrimonium contraxit cum infideli, et si dein renuit cohabitare pacifice ac sine contumelia Creatoris; sed negari debere certum est ».

[14] *Opus theologicum morale,* vol. VI, Prati 1900, p. 371.

monium consummet, quae postea mutata voluntate discedat, integrum sit fideli relicto alias inire nuptias. Nihilominus obstat responsio Congr. s. Inquis. 1 aug. 1759 — quam loco citato refert idem Giovine n. 8 — qua statuitur, quod in hypothesi matrimonii initi a fideli cum infideli ex Apostolica dispensatione, si infidelis discedat vel cohabitare nolit sine contumelia Creatoris aut quin pertrahat fidelem ad peccatum, facienda quidem sit, postquam frustra adhibita sint iuris remedia, separatio tori et cohabitationis, non vero possit transire fidelis ad alias nuptias. Quia ut alias dixit eadem s. Cong. an. 1854 post dispensationem factam est matrimonium indissolubile in favorem fidei et partis fidelis (apud Giovine l. c. n. 9). Sane textum Apostoli perpendenti liquet loqui Apostolum de coniuge fideli, qui prius in infidelitate exsistens habuit coniugem infidelem; non de fideli, qui iam fidelis ducat infidelem ».[15]

---

[15] Ad auctoritatem Ecclesiae appellant quoque F. SANTI-M. LEITNER, *Praelectiones iuris canonici,* vol. IV, Ratisbonae 1899, p. 303: « Privilegium fidei non valet: 2° in casu dispensationis super impedimento *cultus disparitatis;* hoc S. C. Inq. saepius declaravit sic annuente Clemente XIII. d. 5 aug. 1759 ad IV^{um}; sic ad Vic. Ap. *Natal* d. 1886 ad VI^{um}; nam dispensatio super hoc impedimento danda non est nisi amoto periculo contumeliae Creatoris. Quodsi promissis hac de re non obstantibus pars infidelis fidelem pertrahere conatur ad hanc contumeliam, separatio quidem fieri potest remanente tamen vinculo ». S. ALPHONSUS MARIA DE LIGORIO, *Theologia moralis,* vol. IV, Romae 1912, p. 138 not. e: « Neque eo frui potest fidelis qui, obtenta dispensatione pontificia super impedimento disparitatis cultus, matrimonium cum infideli contraxit, etsi hic pacifice cohabitare nolit, ex declaratione S. Off. 4 iulii 1855 ». F. X. WERNZ, *Ius Decretalium,* vol. IV, Prati 1912, p. 631, n. 59: « Quare *catechumeni* privilegio Paulino non fruuntur... nec fideles, qui post obtentam dispensationem ab impedimento disparitatis cultus celebrant nuptias cum infideli; secus privilegium in favorem fidei concessum potius cederet in praemium nequitiae et fraudem sibi tentaminis causa assumendi coniugem. Cf. S. C. Inq. 5 aug. 1759 ad 4; S. C. Inq. 5 mart. 1852 ». I. BUCCERONI, S. I., *Institutiones Theologiae moralis,* vol. IV, Romae 1915, p. 44: « idem dicendum, si matrimonium a fideli cum infideli ex Rom. Pont. dispensatione contrahatur. Clement XIII, 2 aug. 1759; S. O. 1 aug. 1753. L. 955. 956. 959; Collectan. S. C. de P. F. n. 1308 ». A. LEHMKUHL, S. I., *Theologia moralis,* vol. II, Friburgi Brisg. 1910, p. 533. A. VERMEERSCH, S. I., *Theologiae moralis principia, responsa, consilia,* vol. III, p. 689, n. 753. D. M. PRÜMMER, O. P., *Manuale theologiae moralis,* vol. III, Friburgi Brisg. 1940, p. 486, n. 672. E. GENICOT, S. I., *Institutiones theologiae moralis,* vol. II, Louvain 1931, p. 509, n. 559. I. CHELODI, *Ius canonicum, De matrimonio,* Vicenza 147, p. 199. F. A. BLAT, O. P., *Commentarius textus codicis iuris canonici,* vol. III, Romae 1924, p. 676, n. 530. A. VERMEERSCH, S. I.-J. CREUSEN, S. I., *Epitome iuris canonici,* vol. II Mechliniae 1934, p. 296, n. 428. C. AUGUSTINE, O. S. B., *A Commentary on the new Code of Canon Law,* vol. V, St. Lous 1929, p. 351. G. BRUNELLI, *Divorzio e nullità di matrimonio negli Stati,* Milano 1950, p. 17.

Th. M. Vlaming [16] aliam rationem affert: « non item coniux fidelis qui ex dispensatione apostolica a cultus disparitate cum infideli contraxit. Et ratio est, ne spes dissolutionis ansa fidelibus fiat ad iugum cum infidelibus, quamvis ex dispensatione, facilius et veluti experimenti faciendi causa ducendi ». Quae ratio contingens nullo modo attingit essentiam quaestionis.

G. Payen, S. I.[17] unice ad praxim ecclesiae appellat, dum ait: « In quaestiones versari *potest* num matrimonium, contractum *per dispensationem* a parte catholica cum parte infideli sit, post *consummationem* etiam extrinsecus indissolubile. Controversia enim est num sit *ratum* seu sacramentum. Sed unum pro explorato habetur: *certum est* huiusmodi matrimonium *nunquam* esse ab Ecclesia dissolutum, si post impetratam legitimam super disparitatis cultus dispensationem fuerit, inter partem catholicam et partem infidelem, *valide* initum et consummatum ».

A. C. Iemolo [18] est eiusdem sententiae, « La Chiesa non ha mai sciolto matrimoni consumati contratti tra un fedele ed un infedele con la dispensa dell'impedimento della *disparitas cultus*. Per questi matrimoni vale il carattere di requisito di diritto naturale proprio alla indissolubilità, e che fa sì che tutti i matrimoni, anche quelli di non cristiani, siano indissolubili. D'altronde la circostanza che siano stati celebrati con il consenso della Chiesa dà loro un particolare vigore, se pure sia pensabile, sotto questo riguardo, che le condizioni che la Chiesa aveva poste alla concessione della dispensa non siano poi state osservate. Infine non solo non si dà alcuna traccia nè in passi della Scrittura nè nella tradizione di un potere ministeriale o vicario concesso al Pontefice di sciogliere questi matrimoni, ma non è del tutto incontrastata l'opinione (che pure è nettamente prevalente e che viene detta *opinio tuta*) che manchi nei matrimoni stessi il carattere sacramentale. Può dirsi in pratica incontrastata l'indissolubilità di questi matrimoni ribadita dal can. 1120, 2 del *Codex*: anche se l'opinione opposta (ove si fondasse sul potere del Papa di sciogliere i matrimoni non sacramentali allorchè sia in gioco un più alto bene, che potrebbe essere quello della salvezza delle anime) non contrasterebbe con alcun esplicito insegnamento della Chiesa (il can. 1120 si limita a dire che qui non ha luogo il privilegio paolino) ».

---

[16] *Praelectiones iuris matrimonii,* Bussum 1950, p. 497. C. A. Reckers, *De favore quo matrimonium gaudet in iure canonico,* Romae 1951, p. 169.

[17] *De matrimonio, in missionibus ac potissimum in Sinis, tractatus practicus,* vol. II, Zi-Ka-wai 1936, p. 508.

[18] *Il matrimonio nel diritto canonico,* Milano 1941, p. 74 s.

Auctores, qui negativam sententiam defendunt, saepe ad declarationes S. O.[19] appellant. Sed haec responsa non sunt ad rem propter tres rationes: 1) petitiones generatim applicationem privilegii paulini attingunt. Ideo Suprema S. Congregatio S. Officii, re mature considerata, respondit non esse locum applicationi privilegii paulini. Optime sane quia potestas solvendi matrimonium initum cum dispensatione ab impedi-

---

[19] S. C. S. Off. die 14 iunii anni 1708 dubio: « Nonnunquam feminae christianae ex dispensatione nuptias contrahunt cum viris infidelibus a quibus postea abiiciuntur, et prorsus deseruntur; hae vero feminae sic a viris reiectae, quod continere se nequeant, sponte nubunt, vel aliquando contra propriam voluntatem a parentibus cum altero infideli, qui baptismum suscipere paratus est, vel cum christiano nuptui collocantur. Quaeritur num istud secundum matrimonium legitimum sit vel validum? Respondit: Negative ». *Fontes,* vol. IV, n. 1036, p. 532. Ita petitum fuit S. C. S. Off. (Cochinchin.), die 1 aug. 1759: « An fidelis, qui ex dispensatione valide contraxit matrimonium cum infideli, transire possit ad alias nuptias, si infidelis discedat, vel eum pertrahat ad mortale peccatum. — R. Si fidelis, praevia dispensatione, contraxit matrimonium cum infideli, censetur illud contraxisse cum explicita conditione, dummodo nimirum infidelis secum cohabitare velit absque contumelia Creatoris: quare, si infidelis non servat supradictam conditionem, adhibenda sunt iuris remedia ad hoc ut eam servet: alias separari debent quoad torum et cohabitationem, non tamen quod vinculum: quocirca in casu de quo agitur, coniuge infideli superstite, non potest fidelis ad alia vota transire ». *Fontes,* vol. IV, n. 810, pp. 90-91. Item S. C. S. Off. (Nankin.), die 5 mart. 1852: « Petrus christianus, obtenta prius legitima dispensatione, matrimonium inivit cum muliere pagana, quae post tres menses habitationis et tori unionis aufugit ad alium maritum paganum, quocum nunc pacifice vivit, absque ulla spe conversionis, ne redeundi quidem ad virum fidelem. Quaeritur an revera Petrus teneatur innupte vivere, vel potius praevia interpellatione ad alias nuptias transire possit. — R. Non posse Petrum transire ad alias nuptias ». *Fontes,* vol. IV, n. 918, p. 195. Pariter S. C. S. Off. (Siam), die 4 iul. 1855: « Praeterea vetitum omnino est christianum nubere pagano; quod si, praevia dispensatione disparitatis cultus a S. Sede obtenta, quandoque eiusmodi matrimonium fieri contingat, notum est illud indissolubile futurum quoad vinculum, et solum aliquando torum posse dissolvi, si motiva canonica adsint a iudice ecclesiastico agnoscenda. Numquam proinde, vivente viro illo infideli, licet concubinario, poterit christiana mulier secundas inire nuptias... Generatim, si coniugis conversio praecesserit matrimonium cum infideli, praevia dispensatione Apostolica initum, nullo modo illo frui potest privilegio in favorem fidei concesso ». *Fontes,* vol. IV, n. 931, p. 205.

Eodem sensu S. C. S. Off., instr. (*ad Ep. S. Alberti*), die 9 dec. 1874: « Eadem agendi ratio adhibenda est cum muliere nupta viro infideli quae donata fuit gratia dispensationis vel sanationis in radice; neque ei ullatenus suffragatur privilegium Paulinum, quo parti fideli ab infideli dimissae potestas sit migrandi ad alia vota; hoc enim valet dumtaxat in matrimoniis initis inter duos infideles, quorum alter Christo se adiungit post matrimonium ». *Fontes,* vol. IV, n. 1036, p. 352.

Item S. C. S. Off. (Victoriae Nyanzae), die 22 dec. 1887 petitionibus: « I nostri neofiti sono pressochè sempre obbligati a pigliare in moglie ragazze infedeli... 2. Il

mento disparitatis cultus nullo modo deduci a privilegio paulino potest.[20] 2) Nullo modo S. Officium solvit quaestionem utrum haec coniugia solubilia sint a potestate vicaria Romani Pontificis. Edicit Ecclesiam, istis in casibus, non solvere vinculum. Quaestio theoretica non agitatur sed tantum quaestio practica.[21] Utrum scilicet in illis determinatis adiunctis Ecclesia soleat coniugia solvere. 3) Indissolubilitas tributa istis matrimoniis respicit tantum vinculum naturale, quod per se indissolubile est, non autem vinculum sacramentale. Nullo in responso S. Officium adfirmat ista coniugia esse sacramenta; ideo indissolubilitas non deducitur e sacramentalitate coniugii sed unice e iure naturali, quod insitum est omnibus populis.

Severior autem praxis S. Officii explicatur ex eo quod in anteactis temporibus dispensationes ab impedimento disparitatis cultus perpaucae erant, et magna cum difficultate concedebantur; ne igitur scandalum oriretur e solutione vinculi, maluit Ecclesia denegare istas gratias. Iam satis, ideo ad aliam sententiam transeamus.

III. Sententia affirmativa

Multi auctores potestatem Romano Pontifici solvendi haec coniugia tribuunt, quin rationes afferant. M. Conte a Coronata [22] ait: « Si agitur de matrimonio contracto a fideli ex dispensatione cum infideli; quia talis

matrimonio così contratto (suppongo che il neofito abbia ottenuto la dispensa dall'impedimento di disparità di culto) e consumato, accade talvolta che la donna se ne fugge, senza che se ne sappia il perchè. Si può inferire dalla sua fuga ch'ella non aveva prestato il suo consenso al matrimonio, e permettere al neofito di contrarne altro? 3. È generalmente assai difficile e spesso impossibile, risapere ciò che avvenne della fuggitiva, se sia morta o viva. Dopo fatte le ricerche possibili, si può supporre che sia morta, e permettere al neofito di pigliare altra donna? — R. Ad 2. Negative, nisi adhibitis opportunis investigationibus, et salva saltem in substantialibus Const. Benedicti XIV, *Dei miseratione,* constet defuisse consensum: et si qua supersit difficultas recurrendum ad Ap. Sedem. Ad 3. Negative, nisi aliter constet de obitu mulieris iuxta instructionem S. Officii quae transmittitur ». *Fontes,* vol. IV, n. 1106, pp. 431-432. Cf. pariter n. 1002, p. 306.

[20] P. Card. Gasparri, *Tractatus canonicus de matrimonio,* vol. II, Romae 1932, p. 241, n. 1170. L. C. de Lery, S. I., *Une nouvelle application du privilège de la foi,* Sciences Ecclésiastiques, vol. VI, 1954, p. 152.

[21] V. Jelicic, O. F. M., *De privilegio fidei eiusque fundamento iuridico,* Ius Pontificium, 1937, p. 153, not. 40, scribit: « edicit solum factum, non limitationem potestatis. Ecclesia hac ratione non solet huiusmodi matrimonia solvere ».

[22] *De sacramentis tractatus canonicus,* vol. III, *De matrimonio et de sacramentalibus,* Taurini, 1948, p. 912, n. 653. Ita etiam: I. B. Ferreres, S. I., *Compendium theologiae moralis,* vol. II, Barcinone 1953, p. 671, n. 1042: « Hoc privi-

fidelis consetur, matrimonium contraxisse cum explicita conditione, dummodo nimirum infidelis secum cohabitare velit sine contumelia Creatoris; quare si infidelis non servat praedictam conditionem adhibenda sunt media ad hoc ut eam servet; alias separatio facienda est a toro et cohabitatione non vero a vinculo. Unde quamvis in hoc casu pars infidelis de facto nolit cum parte fideli cohabitare pacifice et vere discedat, atque pars fidelis contra ius aliud matrimonium cum parte fideli attentaverit, matrimonium illud nullum est habendum. Posset tamen illud revalidare Romanus Pontifex, solvendo primum matrimonium; quod tamen facere Romanus Pontifex non solet ».

Auctores, magni nominis, duas afferunt rationes: 1) de vinculo naturali agitur; 2) dispensatio, ab ecclesia concessa, dissolutioni non afficit, quia ipsa naturam vinculi naturalis non mutat.

P. Card. Gasparri [23] ait: « Haec quidem in ultimo casu est praxis usque adhuc servata a S. C. S. Officii; quae tamen minime probat Sanc-

---

legium non obtinet in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito *cum dispensatione* ab impedimento disparitatis cultus. Ecclesia tamen *potest* in hoc casu dispensare, etsi de facto non dispenset. Hactenus non constat vel unam datam esse dispensationem ». T. L. Bouscaren, S. I. – A. C. Ellis, S. I., *Canon Law a Text and Commentary,* Milwaukee 1955, p. 608. – J. Bank, *Connubia canonica,* Romae 1959, p. 46: « Si est consummatum, solvi potest dispensatione Pontificis instante parte fideli, ex gravi tantum causa, dummodo scandalum ne immineat ». Non videtur cur pars infidelis non possit gratiam petere si infideles cum persona catholica novum matrimonium inire velit.

F. Galtier, S. I., *Le mariage: discipline orientale et discipline occidentale,* Beyrut 1950, p. 322: « dans ce cas toutefois si le privilège paulin ne peut s'appliquer, le privilège de la foi comprend le pouvoir du Souverain Pontife qui en faveur de la foi pourrait rompre le lien ».

V. Heylen, *Tractatus de matrimonio,* Mechliniae 1945, p. 351 tantum abstracte quaestionem solvit cum ait: « Brevi, potestas Summi Pontificis theoretice saltem admitti potest dispensandi in omnibus casibus in quibus ex una parte unus saltem coniux baptizatus est, ut adsit subiectum potestatis Ecclesiae, et ex alia parte matrimonium non est inter *duos* iam *baptizatos consummatum* ». Ita etiam C. de Clerc, *Des Sacrements,* in (*Traité de droit canonique publié sous la direction de R. Naz*) vol. II, Paris 1947, p. 402: « Si nous tenons compte de ces divers cas, nous conclurons qu'ils s'expliquent uniformément par le pouvoir appartenant à l'autorité suprême dans l'Eglise de dissoudre, pour un motif d'ordre surnaturel, tout mariage consommé alors qu'aucun des conjoints n'était baptisé ou qu'un seul l'était ».

P. Palazzini, *Privilegio Paolino,* Enciclopedia cattolica, vol. X, col. 54.

A. Cance, *Le Code de droit canonique,* vol. II, Paris 1932, p. 506, not. 1. V. Jelicic, O. F. M., *De privilegio fidei eiusque fundamento iuridico,* Ius Pontificium, 1937, p. 153.

[23] *Tractatus canonicus de matrimonio,* Romae 1932, vol. II, p. 241, n. 1170.

tam Sedem ipsa potestate matrimonium dissolvendi carere. Unicum enim argumentum contra hanc Ecclesiae potestatem est, quia Ecclesia sua dispensatione matrimonium possibile reddidit; ergo iam non poterit idem matrimonium dissolvere. Sed hoc argumentum rem minime evincit. Nam n. 1131 diximus Sedem Apostolicam posse dispensare in matrimonio non consummato, licet matrimonium initum fuerit ex dispensatione Sedis Apostolicae in impedimento, e. g. *consanguinitatis, disparitatis cultus*... Ergo dispensatio a Sede Apostolica concessa, quae matrimonium possibile reddidit, eidem non aufert potestatem idem matrimonium dissolvendi, si hanc dissolutionem bonum animarum exigit. Dices in cit. n. 1131 agi de matrimonio *rato,* quod Ecclesiae potestati subest, non obstante dispensatione; id verum est, sed in casu nostro agitur de vinculo *naturali,* quod pariter Ecclesiae potestati subest, minime obstante dispensatione. Difficultatem facere videtur responsio S. C. S. Officii relata n. 1147 ad 4um: sed haec difficultas gravis non est. Nam Episcopus Coccinensis quaesiverat de privilegio Paulino, non autem de potestate Pontificis in matrimonia infidelium ».

Al. De Smet, S. T. D.[24] etiam ad solutionem in favorem fidei appellat: « Si fuit initum *cum dispensatione*: Etiam in hoc inclinamur ut R. Pontifici ministerialis potestas dissolvendi et hoc vinculum non denegetur. Et sane dispensatio Ecclesiae non mutat naturam nec indolem matrimonii, et si, uti dicendum vidimus sub *a*), R. Pontifex dissolvere potest matrimonium, inter baptizatum et non baptizatum sine dispensatione initum, non apparet cur id non posset ubi dispensatio intervenerit... *De facto* tamen hucusque non apparet vestigium exercitii illius, quam vindicamus, potestatis; at immerito ex non usu concluderes ad negationem ipsius potestatis ».

Eiusdem opinionis est F. M. Cappello: [25] « Sane dispensatio concessa ab Ecclesia super impedimento disparitatis cultus non mutat naturam et indolem matrimonii. Posita eius validitate, vinculum, quod exinde oritur, idem est, sive matrimonium celebratum fuerit cum dispensatione sive absque dispensatione.[26] Huiusmodi vinculum erit quidem

---

[24] *De sponsalibus et matrimonio,* Brugis 1927, p. 285, n. 333.

[25] *De matrimonio,* Taurini 1950, p. 788, n. 790.

[26] V. VROMANT, *De matrimonio,* Paris 1952, p. 346: « Si cum dispensatione apostolica initum fuit matrimonium inter partem catholicam et partem non baptizatam: licet dispensatio apostolica non mutet naturam aut indolem matrimonii, ac R. Pontifex etiam hoc matrimonium solvere valeat: de facto tamen hucusque non apparet vestigium exercitii huius potestatis. Ratio autem cur Summus Pontifex sua potestate generatim non utatur, videtur esse ne eius potestas, data ad fidem promovendam et bonos mores animis fidelium inserendos, *vertat in detrimentum morum.*

perpetuum, sed *legitimum* tantum sive *naturale.*[27] Proinde si Romanus Pontifex, ut supra dictum est, dissolvere potest matrimonium inter partem baptizatam et partem non baptizatam sine dispensatione initum, nulla apparet solida ratio cur id nequeat ubi dispensatio super impedimento disparitatis cultus concessa fuerit. Omnia argumenta quae vindicant R. Pontificis potestatem ministerialem solvendi omne matrimonium, quod non sit *ratum* et *consummatum,* in specie matrimonium valide initum inter baptizatum et non baptizatum sine dispensatione, valent quoque pro isto casu ».

Alii praesertim defectus elementi sacramentalis in lucem ponunt. Ita L. Wouters: [28] « S. Pontifex, dummodo unus saltem coniugum sit baptizatus, dissolvere potest potestate vicaria ex proportionata causa omne matrimonium, quod non fuit consummatum post utriusque partis baptismum... Indissolubilitas matrimonii ex duplici oritur fonte, iure naturali et ex iure divino positivo; ex iure naturali, quatenus tam bonum

---

Et sane per suam dispensationem super disparitate cultus antea concessam, matrimonium mixtum quasi authentice recognovit et ratum habuit. Videtur vero quod verteret in detrimentum morum si Summus Pontifex his matrimoniis mixtis, quae sunt minus laudanda et periculis plena, attribuat privilegium dissolutionis, quod matrimoniis catholicis necessario negare debet ».

Tamen hae rationes possunt in aliquo casu particulari deficere. TH. A. IORIO, *Theologia moralis,* vol. III, Neapolis 1954, p. 575: « Immo ex privilegio *fidei,* non Paulino, certa videtur sententia eandem potestatem in Romano Pontifice asserens circa matrimonia quoque, sive non consummata, inter partem non baptizatam et baptizatam *in Ecclesia catholica,* inita *cum dispensatione* super impedimento disparitatis cultus. Eadem enim ratio valet ac in casu praecedenti, nec dispensatio mutat naturam et indolem contractus matrimonialis ».

[27] L. C. DE LERY, S. I., *Une nouvelle application du privilège de la foi,* Sciences Ecclésiastiques, vol. VI, 1954, p. 154: « Ce mariage entre baptisé et infidèle était une union naturelle, *vinculum naturale.* Voilà qui a donné au Pape le vrai fondement nécessaire pour qu'il pût le rompre ». A. BRIDE, *Privilège Paulin, D.T.C.,* vol. 13, col. 401-402: « Le can. 1120, 2, exclut formellement du privilège le cas du conjoint catholique qui aurait épousé un infidèle avec dispense de disparité de culte. Cette mesure disciplinaire reproduit en substance les dispositions prises par le Saint-Office le 5 mars et le 5 août 1759. Elle s'explique par le souci qu'a l'Eglise de ne pas tolérer une pratique qui favoriserait la malice des hommes et risquerait de ruiner le bien des âmes. Lorsque, en effet, une dispense de disparité de culte est accordée, le mariage est censé avoir été contracté sous la condition explicite de cohabitation pacifique... Le seul remède efficace serait une intervention pontificale pour dissoudre le lien de ce mariage en tant que *legitimum.* Mais la pratique du Saint-Office, hier comme aujourd'hui, est de ne pas accorder cette sorte de dispense; ce qui, note Gasparri, n'implique nullement un défaut de pouvoir du Pape à cet égard ».

[28] *Manuale theologiae moralis,* vol. II, Brugis 1933, p. 552 s.

prolis quam bonum contrahentium indissolubilitatem exigit; ex iure divino positivo, quatenus matrimonium a Deo statutum fuit adumbratio divinae illius et indissolubilis unionis inter Christum et Ecclesiam; quae quidem adumbratio seu mystica significatio non tantum sacramento matrimonii, sed, textibus SS. Pontificibus et theologis, omni matrimonio indita est. Perfectius autem indita est sacramento matrimonii quam matrimonio, quod non est sacramentum, quia sacrum, quod sacramento matrimonii magis inest, magis natum est rationem repraesentandi sacram illam unionem recipere. Porro perfectius indita est matrimonio, quod non est sacramentum, consummato, quam non consummato; item matrimonio sacramentali consummato, quam non consummato, quia vinculum, quod reali carnis traditione ratificatum fuit, magis natum est recipere rationem adumbrandi perfectam illam Christi cum Ecclesia unionem ».

E. F. Regatillo, S. I.[29] scribit: « *Inter infidelem et catholicum,* cum dispensatione initum. Nullum casum novimus in quo R. Pontifex tale matrimonium consummatum dissolverit. Sed speculative putamus non deesse illi potestatem illud dissolvendi. Idem enim fundamentum est ac pro consummato inter infidelem et haereticum, scilicet non esse sacramentum sed vinculum mere naturale. Sic etiam c. 1139, 2, *factum ne-*

---

[29] *Ius sacramentarium,* Santander 1949, p. 852, n. 1425; idem: *Interpretatio et iurisprudentia Codicis iuris canonici,* Santander 1949, p. 390.

Cf. G. H. Joyce, S. I., *Christian marriage,* London 1948, p. 214: « Moreover, if the Church refuses to dissolve such marriages, the reason need not necessarily be sought in their sacramental character. Another explanation is possible. It would not be to the advantage of religion but its detriment, if a Catholic were to be allowed to escape from a marriage for which he had sought permission with a full knowledge of its drawbacks. A recent decision of the Holy Office seems to put it beyond question that such marriages are dissoluble and consequently not sacramental. A. B., an unbaptized American, in 1919 contracted a marriage with C. D. an Anglican, before an Anglican Clergyman. In 1920 he obtained a civil divorce; and not long afterwards became desirous to marry a Catholic lady. The bishop of the diocese forwarded the case to Rome and petitioned for a dissolution of the previous marriage. On the advice of the consultors, the Cardinals of the Congregation recommended that the petition should be granted, and Pope Pius XI acceded to their request and dissolved the marriage. The reply is dated 5 November, 1924 ». In nota autem scribit: « It may be concluded that the Church could, if circumstances called for it, dissolve a marriage contracted under a dispensation a *disparitate cultus* ».

Aertnys-Damen, *Theologia moralis,* vol. II, Taurini 1950, p. 687: « Etiam matrimonium ex dispensatione valide initum et consummatum inter baptizatum in Eccl. catholica vel ad eam conversum et non baptizatum logice tamquam dissolubile habendum est. Sed de facto exempla dissolutionis non habentur ».

gativum consignat: Ecclesia non sanat in radice matrimonium nullum ob impedimentum iuris naturalis vel divini, cessante impedimento; et tamen iuxta doctores, ad id *potestatem* habet. Forsan, labente tempore, etiam hoc matrimonium dissolvet: historia docet quantum hac in re disciplina mitigata sit ».

Ita etiam G. Arendt, S. I.[30] qui scribit: « Siquidem constiterit de facto baptismatis ab una parte recepti, serio tamen dubitetur de eiusdem validitate, quaestio paululum implicatur ex multiplici hypothesi quae locum habere potest: *A*) huiusmodi baptisma collatum fuerit in *Ecclesia catholica,* ante matrimonium initum cum persona infideli: ex multis responsis S. Officii constat in anteacta praxi S. Sedis hoc baptisma etsi dubie validum, habitum tamen fuisse uti tale, in ordine ad matrimonium, cui proinde iudicatum fuit obstare impedimentum disparitatis cultus; heic tamen iterum duplex hypothesis occurrere potest: vel postulata et obtenta fuit legitima dispensatio ab hoc impedimento et tunc, etiamsi pars infidelis *discesserit,* applicatio privilegii paulini non conceditur atque ad summum coniux dubie baptizatus, recurrere poterit ad flagitandam vinculi dissolutionem, legitimi quidem non tamen sacramentaliter rati: Si vero matrimonium initum fuerit absque dispensatione, et nullum fuit ex hoc capite, utraque pars ideo poterit transire ad alia vota, vel primas convalidare nuptias omnibus peractis quae iure requiruntur ».

F. P. Kenrick [31] propriam opinionem in aliqua verba S. Pauli fundat: « Quando vero ex Ecclesiae dispensatione conciliatae sunt nuptiae inter fidelem et hominem non baptizatum, dubitari potest utrum ullo in rerum eventu solvi queat: nobis videtur semper solvi posse, si renuat infidelis cum fidei habitare, de eo enim dici potest: « Quod si infidelis discedit, discedat ».

Qui primus quaestionem aggressus est paulo latius est F. Hürth, S. I.[32] maxima scientia iuridica experientiaque praeditus, qui ait: « In

---

[30] *Quomodo in favorem fidei solvatur a S. Pontifice matrimonium in infidelitate contractum,* Ephemerides theologiae lovaniensis, vol. I, 1924, pp. 182-183, n. 183. L. L. McR., *The "Petrine Privilege" regarding the marriage bond,* The Clergy Review, vol. 40, 1955, p. 53: « If so, it would be wrong to conclude that they differ substantially from those covered canon 1125; because the infidelity of the one partner prevents such marriages from being a sacrament for either, and therefore they have no greater intrinsic firmess than marriages of infidels. The only difference is in the manner in which the Holy Father exercises his apostolic authority ».

[31] *Theologiae moralis* etc. Philadelphia 1943, vol. III, p. 320.

[32] *Notae quaedam ad privilegium petrinum,* Periodica de re morali canonica liturgica, 1956, p. 384.

potestate Pontificis (et in norma generali " salutis animarum ") contineri etiam casum matrimonii, ab initio initi cum *praevia dispensatione ab impedimento* disparitatis cultus, inter partem non-baptizatam et partem baptizatam " *catholicam* ", ex modo dictis sponte sua deducitur. Latissima verba Pontificis hunc casum non excludunt, nec explicite nec implicite; ergo quoad " principium " includunt. Hunc casum non excludi par. 2, can. 1120 (qui est de Privilegio *Paulino,* non de Petrino, et qui vi inquisitionis scientificae et historicae ad Petrinum trahi non potest) ».

Expositis igitur duabus sententiis, videamus quibus argumentis sententia affirmativa probari possit. Non omnes rationes, quae afferuntur sunt eiusdem valoris, sed omnes ad nostram opinionem aliquid conferunt. Id est ad unum spectant: Romano Pontifici potestatem vicariam competere dissolvendi coniugia inita cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.

IV. Sententia affirmativa probatur

a) *Ex epistolis paulinis nihil evincitur*

S. Paulus, loquens de matrimonio christiano, universam eius materiam dogmaticam non tangit, sed denuo asserta indissolubilitate matrimonii secundum praeceptum Domini,[33] solutionem alicui casui particulari sibi proposito ab Ecclesia corinthiana praebet. Hoc clare elucet sive e tenore ipsius epistolae, qua, in universim aliquae quaestiones ecclesiae corinthianae solvuntur, sive e primis verbis capitis VII « De quibus autem scripsistis mihi », quae sine ullo dubio ad quaestiones particulares referuntur, secundum ea quae a corinthiis scripta fuerant. Ideo S. Paulus, loquens de solubilitate matrimonii infidelium, cum una pars ad fidem catholicam conversa sit, non solvit totam materiam de divortiis ecclesiasticis, sed tantum unum casum, depromptum e circumstantiis illius temporis, tangit.[34] Nam quoad casum propositum non omnes possibiles so-

---

[33] *I Corinth.* VII, 10: « Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat ».

[34] F. Hürt, *Notae quaedam ad privilegium petrinum,* p. 376: « Non arbitrarium esse videtur censere et iudicare: casum Privilegii Paulini fuisse tantummodo unum, sed non unicum, casum in quo Apostolus pollebat potestate solvendi vinculum, et annuntiavit se ea uti. In toto enim capite VII Apostolus respondet ad *varios casus* (tum status matrimonialis tum status solutorum), ei propositos; mirum non est eum in allegato capite non omnia memorare quae personalem eius necnon

lutiones definit, ut alias facit, sed tantum eam requisitam a fidelibus illius temporis. Si Apostolus omnes casus possibiles respicientes solutionem vinculi naturalis, texere voluisset, alio modo locutus fuisset, sed ipse eo modo loquitur quo statim intellegi possit ab his qui solutionem casus expostulaverant. Ideo aliqua verba nobis obscura sunt quia casum particularem nescimus secundum quem fit responsio. Propterea S. Paulus extensionem suae potestatis, sibi divinitus collatae non describit,[35] sed tantum asserit se habere potestatem solvendi coniugium illo in casu particulari proposito. E verbis ipsius epistolae nullo modo deducitur S. Paulum voluisse suam potestatem tantum casui sibi proposito circumscribere: ne unum quidem verbum quoad limites. Itaque omnes dissolutiones vinculi ad casum Apostoli reducere non est logicum neque iuridicum, cum potestas apostolica magis ampla sit quam eius particulare exercitium. Eius extensio unice a praxi vel a definitione dogmatica metiri potest.

Secundum hanc mentem a Codice Iuris Canonici in can. 1120, 2, statuitur quod Paulinum « privilegium non obtinet in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus ». Et hoc iuste, nam matrimonium initum cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus nullo modo casui Apostoli aequiparari potest. Origo enim duorum vinculorum et adiuncta omnino dissimilia sunt. Primum vinculum est imperfectum et originem in ipsa infidelitate ducit; secundum vinculum ex una parte est in fide Christi et cum consensu Ecclesiae. In primo causa dissolutionis nullo modo praevisa fuit nec praevideri potuit, in secundo e contrario praevideri et cum morali certitudine, cautionibus praestitis a parte infideli, evitari potuit. Potest forsan obici in utroque casu adesse vinculum legitimum. Sed haec obiectio non est ad rem. Nam, quamvis in actu solutionis, praesertim cum post baptismum copula inter partes interfuerit,[36]

Ecclesiae circa vinculum solvendum potestatem spectant; sed plura eum silere ob hanc quoque rationem, quod ad hoc ei non fuit datum mandatum et impulsus Spiritus Sancti ».

[35] AL. DE SMET, *De sponsalibus et matrimonio,* p. 292, n. 341. Cf. E. B. ALLO, O. P., *Première épitre aux corinthiens,* Paris 1956, p. 153 ss. – G. B. RE, S. I., *Le lettere di S. Paolo,* Torino 1946, p. 79.

[36] Hoc enim in casu adhuc recurri ad privilegium paulinum potest. Canon enim 1124 praescribit: « Coniux fidelis, licet post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, ius tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque potest hoc iure uti, si coniux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine iusta causa, vel iam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris ». Hoc praescriptum servatur etiam si post conversionem unius partis matrimonium denuo initum vel confirmatum fuerit coram missionario, ut

natura vinculi in privilegio paulino, a vinculo exsurgente a matrimonio inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus non differat, tamen origo vinculi semper dissimilis est, secundum quam etiam causa dissolutionis statuitur. Fides enim nondum roborata non solum tueri debet sed etiam aequum non est ut a servitute peccati praepediatur. Lux et veritas communionem cum tenebris habere non possunt, praesertim cum errores in servitutem redigere veritatem temptent. Igitur ob has rationes iure hoc vinculum ab ambitu ipsius privilegii paulini excluditur. Hoc tamen praescripto, nullo modo definitur haec coniugia esse indissolubilia; sed neque ab aliis normis iuris canonici hoc deduci potest.

b) *Impedimentum disparitatis cultus a iure eccl. statutum fuit*

Matrimonium, cum sit divini et humani iuris communicatio,[37] decet ut inter personas eiusdem professionis religiosae ineatur.

Tamen ob peculiaria adiuncta nullum ius neque divinum neque naturale prohibet quominus inter personas diversi cultus contrahatur, dummodo institutioni catholicae prolis provisum sit atque partis catholicae perversionis periculum remotum sit. Etenim bona substantialia matrimonii per se in his quoque nuptiis non excluduntur, cum nihil neque naturae neque fini matrimonii opponatur. Ideo impedimentum disparitatis cultus, quatenus dirimens, inter impedimenta iuris mere ecclesiastici [38] adnumerandum est. Ad hoc ab Ecclesia institutum fuit, ut efficacius fides partis catholicae futuraeque prolis tueretur. Ideo Ecclesia,

---

decrevit S. C. S. Off. (Oceaniae Occident.) 27 sept. 1848: « Utrum pars fidelis matrimonium initi aut confirmati coram proprio missionario, promissione de cohabitatione pacifica a parte non baptizata prius data, possit disiungi non solum quoad habitationem sed etiam quoad torum et quoad vinculum a parte infideli, quae deinceps non vult amplius pacifice cohabitare propter partis fidelis religionem. Quaeritur utrum haec pars fidelis possit valide et licite convolare ad alias nuptias. — R. Affirmative ». *Fontes,* vol. IV, n. 180, p. 90; S. C. S. Off. (Siam), 4 iul. 1855, *Fontes,* vol. IV, n. 931, p. 205; S. C. S. Off. (Natal), 11 iul. 1866, ad 1, *Fontes,* vol. IV, n. 996, pp. 298-299; S. C. S. Off., 19 apr. 1899, *Fontes,* vol. IV, n. 513-514.

[37] Digestum, XXIII, 2, 1.

[38] BENEDICTUS XIV, Const. *Singulari nobis,* 9 febr. 1749, scribit: « Qua quidem in re, ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, non quidem iure sacrorum Canonum, sed generali Ecclesiae more, qui pluribus abhinc saeculis viget ac vim legis obtinet ». *Fontes* vol. II, n. 394, p. 196. Ita TH. SANCHEZ, *De sancto matrimonii sacramento,* Venetiis 1630, lib VII, disp. LXXI, n. 8: « Fatendum quidem est nullum esse textum quo haec irritatio inducatur, et ita eam non haberi ex lege aliqua ecclesiastica scripta; sed ex receptissimo Ecclesiae usu vim legis obtinuisse et ex apostolorum traditione ». A. ESMEIN, *Le mariage en droit canonique,* tom. I, Paris 1929, p. 242 ss. AE. HERMAN, S. I., *Ius iustinianeum qua*

cum hoc impedimentum, dispensatione, relaxat, nullum ius neque divinum neque naturale solvit, sed tantum exigit ut fides, quod maximum bonum est hac in vita, meliori modo quo possit, tueatur. Si igitur aliquando Ecclesia vinculum matrimoniale, hoc in casu, solvit, tantum vinculum naturale coniugii per se tangit, non aliud ius praecedens sive divinum sive naturale quod iam antea relaxaverat; propterea eius potestas non ligatur iure naturali vel divino iam soluto sed solvit ad normam mandati Domini, secundum legem universalem salutis animarum, quae ei concredita fuit.

c) *Haec coniugia non sunt sacramenta*

Matrimonium inter partem fidelem et partem infidelem non est sacramentum. Nam ait S. Thomas: [39] « Cum matrimonium sit quaedam relatio, et non possit innasci relatio in uno extremorum sine hoc quod fiat in alio; ideo quidquid impedit matrimonium in uno, impedit ipsum in altero, quia non potest esse quod aliquis sit vir non uxoris, vel quod aliqua sit uxor non habens virum, sicut nec mater non habens filium: et ideo dicitur communiter quod matrimonium non claudicat ». Quod principium recte quaestioni de sacramentalitate matrimonii applicatur; nam sacramentum non potest esse in uno quin sit in altero. Si igitur sacramentum non est in infideli neque in fideli esse potest, cum vinculum, quod e coniugio oritur, sit quaedam relatio inter duos et quidem eiusdem rationis in utroque. Proinde si una persona est incapax etiam altera, quamvis fidelis, incapax redditur propter nexum unitatis. Nam:

1. « Matrimonium in utroque coniuge est unum numero Sacramentum, sicut est unum numero matrimonium, ergo si in uno non est Sacramentum, nec in altero ».[40]

2. « Cum enim contractus matrimonii inter virum et uxorem unicus sit, et sacramentum unicum, significans unam coniunctionem Christi cum Ecclesia, sequitur, utramque personam sacramenti capacem esse oportere: quemadmodum et utraque persona ad contrahendum habilis esse debet ».[41]

---

ratione conservatum sit in iure ecclesiastico orientali, in *Acta Congressus iuridici internationalis,* vol. II, Romae 1935, p. 153. I. CHELODI, *Ius canonicum, de matrimonio,* Vicenza 1947, p. 91.

[39] *Summa theologica, Supplementum,* q. 47, art. 4.

[40] TH. SANCHEZ, *De Sancto matrimonii sacramento,* Venetiis 1754, lib. II, disp. VIII.

[41] P. LAYMAN, S. I., *Theologia moralis,* Venetiis 1630, lib. V, tract. X, pars II, cap. 2, p. 331. F. SCHMALZGRÜBER, S. I., *Ius Ecclesiasticum universum,* tom. IV, pars I, Romae 1844, p. 139, n. 307. L. BILLOT, S. I., *De Sacramentis Ecclesiae,* tom. II, Romae 1930, p. 380. F. M. CAPPELLO, *De matrimonio,* p. 32, n. 36.

3. « Quod si attendatur *vinculum* matrimonii, illud in utraque parte debet habere eandem firmitatem: sed vinculum sacramentale, quod adversarii *supponunt* in fideli, esset *firmius* quam vinculum naturale in infideli; ergo aequiparatio inter coniuges non existeret ».[42]

Sententia contraria hodie defendi omnino non potest cum Codex iuris canonici in can. 1012 edicat: « Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos »; hoc est, tantum inter christianos matrimonium habendum est ut sacramentum.[43]

Proinde haec coniugia, cum non sit sacramenta, dissolubilia sunt e potestate Romani Pontificis. Fundamentum igitur dissolubilitatis unice in absentia elementi sacramentalis oriri potest. Nam, hoc in casu, copula carnalis, quo fit una caro, non habet illam excelsam significationem, quae est propria matrimonii sacramenti. Etenim « matrimonio christianorum repugnat quidquid contrariatur sacrae eius significationi. Sed dissolubilitas contrariatur sacrae significationi matrimonii inter christianos consummati, quia ex quo eiusmodi matrimonium suam habuit consummationem, iam significat mysterium indivisibilis connubii Christi et Ecclesiae praecise in quantum indivisibile est... Ergo coniugium istud non potest amplius undecumque dissolvi, nisi forte per eum dispensationis modum qui operationi miraculorum assimilatur, et est penes solum Deum, nullo autem modo penes Ecclesiam, ratione amplissimae etiam potestatis clavium ei concreditae ».[44]

Igitur cum coniugiis mixtis elementum supernaturale sacramentalitatis desit, indissolubilitas signaculum firmitatis non accepit. Etenim « inseparabilitas, quamvis sit de secunda intentione matrimonii, prout est in officium naturae, est tamen de prima intentione ipsius, prout est sacramentum Ecclesiae. Et ideo ex quo institutum est ut sit Ecclesiae sa-

---

[42] F. X. WERNZ, S. I., *Ius Decretalium,* tom. IV, pars I, Prati 1911, p. 58, n. 44. AL. DE SMET, *De sponsalibus et matrimonio,* p. 152, n. 179.

[43] P. GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio,* vol. I, Romae 1932, p. 36, n. 36. TH. M. VLAMING, *Praelectiones iuris matrimonialis,* Bussum 1950, p. 40, etiam aliam rationem addit: « S. Pontifex aliquando solvit matrimonium inter partem baptizatam et partem non baptizatam initum et consummatum. Ergo tale matrimonium non est ratum seu sacramentum ».

[44] L. BILLOT, *De Ecclesiae sacramentis,* tom. II, p. 441. Cf. AL. DE SMET, *De sponsalibus et matrimonio,* p. 308, n. 356: « Solum igitur potestatis Ecclesiae subducitur matrimonium *ratum et consummatum;* non quod *a priori* impossibile sit ut Deus illam potestatem concesserit Ecclesiae, cum per se nihil impediat quominus etiam ad illud vinculum, quantumvis reliquis firmius, potestas ministerialis Ecclesiae a Deo extendatur; sed quod *de facto* illa potestas non fuerit a Deo concredita Ecclesiae ».

cramentum, manente tali institutione, non potest sub dispensatione cadere ».[45]

Proinde nota sacramentalitatis vinculum matrimoniale firmius reddit secundum significationem misterii coniunctionis Christi et Ecclesiae, quae perfecta omnino est tantum post copulam carnalem, quia Christi cum Ecclesia coniunctionem, praecise qua indivisibilem, significat.[46] Etenim « matrimonium ante carnalem copulam significat illam coniunctionem quae est Christi ad animam per gratiam, quae quidem solvitur per dispositionem spiritualem, contrariam, scilicet per peccatum mortale; sed post carnalem copulam significat coniunctionem Christi ad Ecclesiam quantum ad assumptionem humanae naturae in unitatem personae, quae omnino est indivisibilis ».[47]

d) *Comparatio cum dissolutione vinculi initi inter acatholicum et infidelem.*

Dispensatio ab Ecclesia concessa super impedimento disparitatis cultus naturam ipsius matrimonii non afficit, cum actus dispensationis, nihil aliud sit, nisi aliqua actio externa, qua Ecclesia iudicium profert utrum illis in adiunctis matrimonium in damnum partis catholicae sit necne. Iudicium autem non essentiam coniugii respicit sed protectionem fidei partis catholicae, ne, matrimonio contracto, eius fides pereat. Sua igitur actione Ecclesia non ad gradum aliquem altiorem matrimonium elevat, sed in sua essentia relinquit, quod naturaliter ei inest. Nam, contracto valido coniugio, vinculum quod inde oritur, idem semper permanet sive matrimonium contractum fuerit cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus sive celebratum fuerit sine ista dispensatione. Remotio enim impedimenti, cum adiuncta matrimonii respiciat, naturam vinculi non mutat, quia nihil ei adicit. Ideoque vinculum semper perpetuum erit sed tantum naturale. Proinde si Romanus Pontifex matrimonia inita inter partem infidelem et partem baptizatam in secta valet dissolvere,[48]

---

[45] S. THOMAS, *Summa theologica,* Sup. q. 67, art. 2, ad 3.

[46] « Sane, quod Dominus in evangelio dicit, non licere viro, nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est secundum interpretationem sacri eloquii de his, quorum matrimonium carnali copula est consummatum ». ALEXANDER III, c. 7, X, *De conversione coniugatorum,* III, 32.

[47] S. THOMAS, *Summa theologica,* Sup. q. 62, art. 2, ad 1.

[48] Hodie ista sententia communis est inter doctores. Cf. F. X. WERNZ, S. I.-P. VIDAL, S. I., *Ius canonicum,* Tom. V, *Ius matrimoniale,* Romae 1928, p. 775 s., n. 637. A. KNECHT, *Handbuch des Katholischen Eherechts,* Freiburg in Breisgau

non intelligitur cur non possit etiam solvere coniugia contracta cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus. In utroque casu, cum vinculum, quod e celebratione oriatur, eiusdem naturae sit, utrumque ab Ecclesia, eodem iure solvi potest. Ubi par est similitudo, idem oportet ut sit ius.

e) *Auctoritas Summi Pontificis Pii XII*

Hodie quaestio theoretica soluta est a Summo Pontifice Pio XII, qui in sermone habito Auditoribus S. R. Rotae, quaestionem de indissolubilitate matrimonii auctoritative solvit. Ipse edicit: « Il matrimonio rato e consumato è per diritto divino indissolubile, in quanto che non può essere sciolto da nessuna potestà umana (can. 1118); *mentre gli altri matrimoni, sebbene intrinsecamente siano indissolubili, non hanno però una indissolubilità estrinseca assoluta,* ma, dati certi necessari presupposti, possono (se si tratta, come è noto, di casi relativamente ben rari) essere sciolti, oltre che in forza del privilegio paolino, dal Romano Pontefice in virtù della sua potestà ministeriale. Nel dire che il giudice ecclesiastico è chiamato ad investigare se consti della esistenza di tali presupposti, voi subito comprendete come l'importanza dell'argomento bastevolmente indica che una simile investigazione vuol essere condotta con ogni severità, rigore e diligenza; tanto più che, trattandosi di uso di potestà vicaria in materia di diritto divino, la validità stessa dello scioglimento del vincolo dipende dalla esistenza dei necessari requisiti... Per la indissolubilità o dissolubilità del matrimonio non può nella Chiesa valere altra norma e prassi se non quella stabilita da Dio, autore della natura e della grazia.

1928, p. 719. F. I. Schenk, *The matrimonial impediments of Mixed Religion and Disparity of Cult,* Washington 1929, p. 288. F. M. Cappello, S. I., *Quaestiones de matrimonio et extrema unctione,* Periodica de re morali canonica liturgica, vol. 19, 1930, p. 87. V. Jelicic, O. F. M., *De privilegio fidei eiusque fundamento iuridico,* p. 153. L. C. de Lery, S. I., *Le privilège de la Foi,* p. 30. J. Linneborn-J. Wenner, *Grundriss des Eherechts nach dem Codex Iuris Canonici;* Paderborn 1940, p. 418, W. I. Doheny, *Canonical Procedure in matrimonial Cases,* vol. II, *Informal Procedure,* Milwaukee 1948, p. 499. E. F. Regatillo, *Interpretatio et iurisprudentia Codicis iuris canonici,* pp. 291-392. T. L. Bouscaren, S. I., *The Canon Law Digest,* vol. I, Milwaukee 1950, p. 552. S. Woiwod, *A practical Commentary on the Code of Canon Law,* vol. I, New York 1952, p. 813. H. A. Ayrinhac, *Marriage Legislation in the New Code of Canon Law,* New York 1952, p. 322. H. Jone, *Commentarium in Codicem iuris canonici,* Paderborn 1954, p. 365. R. Hürth, S. I., *Notae quaedam ad Privilegium petrinum,* periodica etc., 1956, p. 4 ss. J. Bánk, *Connubia canonica,* p. 45.

Al qual riguardo due sono i passi dei libri santi, che in certo modo indicano i limiti, entro i quali la soluzione del vincolo deve rimanere, e che escludono sia il lassismo odierno sia il rigorismo contrario alla volontà ed al mandato divino. L'uno è: " Quod Deus coniunxit, homo non separet "; [49] vale a dire non l'uomo, ma Dio può separare i coniugi, e quindi è nulla la separazione ove Dio non scioglie il loro vincolo. L'altro è: " Non servituti subiectus est frater aut soror...: in pace autem vocavit nos Deus "; [50] vale a dire non vi è più servitù nè vincolo ove Dio lo scioglie e permette così al coniuge di passare a nuove nozze ».[51]

E quibus verbis licet deducere matrimonium duobus iuribus regi: iuris immediate divini et iuris potestatis ministerialis, qua Romanus Pontifex amplissimam a Christo accepit solvendi vinculi potestatem, exercendam sub influxu Spiritus Sancti.[52] Hoc autem a textu S. Pauli dilucide deducitur. Nam Apostolus gentium claram distinctionem exhibet inter ius immediate divinum, quod continetur verbis: « *Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt; praecipuo non ego sed Dominus* » (*1 Cor.* VII, 10); et ius immediate apostolicum, quod fundatur in verbis: « Nam ceteris ego dico, non Dominus » (v. 12). uterque textus quaestionem de indissolubilitate matrimonii respicit, sed prius in praecepto Domini fundamentum habet, alter autem in praecepto Apostoli. Obiectum utriusque est vinculum matrimoniale, hoc est ius divinum, circa quod Apostolus potestatem ministerialem a Christo accepit, solvendi vinculum in aliqui-

---

[49] *Matth.* XIX, 6.

[50] *1 Cor.* VII, 15.

[51] *A.A.S.*, vol. XXXIII, 1941, pp. 424-425. V. DEL GIUDICE, *Il matrimonio nel diritto canonico e nel diritto concordatario italiano,* Milano 1946, p. 52, n. 1: « Ma il ricordato insegnamento contenuto nell'*Allocuzione* pontificia 3 ottobre 1941... induce a recedere dalla sua accennata opinione, e ad ammettere, quindi, la possibilità di scioglimento di un matrimonio contratto tra un infedele e un battezzato nella Chiesa cattolica, con dispensa dall'impedimento di disparità di culto, anche se consumato, e, a maggior ragione, di un matrimonio consumato contratto tra un infedele e un battezzato fuori della Chiesa cattolica. Presupposto della concessione della grazia o dispensa pontificia è sempre l'esigenza di assicurare il *bonum animarum* ». M. DE JONG, *De matrimonii essentia, definitione et indissolubilitate intrinseca ex iure naturali,* Romae 1952, p. 113.

[52] Haec potestas remote provenit a verbis promissionis Primatus Petri (*Matth.* XVI, 19)), cum nulli limites circumscripti sint, tamen ex ipsis verbis nescimus quid practice ligandum vel solvendum sit. Haec autem potestas est amplissima. Ita LEO XIII, Litt. Encycl. *Satis cognitum,* 30 iun. 1896: « *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis.* Ligandi solvendique translata locutio ius ferendarum legum, item iudicandi vindicandique designat potestatem. Quae quidem potestas tantae amplitudinis virtutisque dicitur fore, ut quaelibet decreta eius rata habiturus Deus », *Acta Leonis XIII,* vol. XVI, pag. 189.

bus casibus particularibus.[53] Ideo hoc ius directe et immediate a potestate apostolica promanat, secundum imperium Christi ligandi solvendique ea quae ad bonum animarum conferunt.

Hoc autem ius, privilegio speciali Apostolo concesso, ex ipso iure Primatus, Romanis Pontificibus competit, qui hoc iure usi sunt aliis in casibus, qui rationabiliter in privilegio paulino comprehendi non possunt. Tamen fundamentum istarum solutionum idem est ac in privilegio paulino, cum verba Sacrae Scripturae: « *non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi; in pace autem vocavit nos Deus* » (*1 Cor.* VII, 15), limites solubilitatis matrimonii circumscribant.[54]

---

[53] Nostra autem sententia confirmatur verbis PII XI, qui ait: « Quod si exceptioni, etsi rarissimae, haec firmitas obnoxia videatur, ut quibusdam coniugiis naturalibus solum inter infideles initis vel, si inter christifideles, ratis illis quidem sed nondum consummatis, ea exceptio non ex hominum voluntate pendet, neque potestatis cuiuslibet mere humanae, sed *ex iure divino, cuius custos* atque interpres est Ecclesia Christi ». Litt. Encycl. *Casti Connubii,* 31 dec. 1930, *A.A.S.,* vol. XXII, p. 552. Haec opinio autem defenditur a F. SCHMALZGRÜBER, S. I., *Ius Ecclesiasticum universum,* tom. IV, Romae 1845, pars IV, tit. 19, p. 388: « Potestas Papae in iis praesertim, quae publicum ecclesiae, et animarum bonum concernunt, extendi debet, quantum potest, hoc ipso, quod eidem universalem gubernationem ecclesiae, Christus commiserit verbis, *quodcumque ligaveris, et quodcumque solveris...* atqui dispensatio in matrimonio rato concernit publicum ecclesiae, et animarum bonum, quippe cum per illam gravia ecclesiae mala impediri, eiusque, et animarum bonum promoveri possint; ergo nisi vinculum matrimonii rati aliunde sit penitus indissolubile, *etiam ad hoc extendi debet potestas dispensandi pontifici concessa a Christo;* non est autem omnino indissolubile, si enim tale esset, esset vel ex ratione contractus, vel ex ratione sacramenti, et significationis illius: non est tale ex ratione contractus, ut patet ex matrimoniis infidelium, quae dissolvi possunt: non ex ratione significationis suae; quia matrimonium ratum solum significat coniunctionem Christi per caritatem cum anima iusta, quae coniunctio solvi potest ». AL. DE SMET, *De sponsalibus et matrimonio,* p. 292, n. 341.

[54] P. Card. GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio,* vol. II, Romae 1932, p. 239, n. 1166, ita explicat: « Putamus Apostolum non excludere potestatem a Domino receptam, quod foret absurdum, sed dicere receptam potestatem, propria apostolica auctoritate, applicare ad casum particularem iniustae derelictionis coniugis fidelis ». F. M. CAPPELLO, S. I., *De matrimonio,* Romae 1950, p. 757, n. 768. MT. CONTE A CORONATA, *De sacramentis tractatus canonicus,* vol. III, *De matrimonio.* Taurini 1948, p. 871, n. 624. Sententia autem contraria quae repetit originem privilegii paulini ab immediata concessione Christi Domini, sed a S. Paulo tantum promulgata, nullum iudicium in verbis S. Scripturae habet et videtur aperte contraria verbis ipsius Apostoli. Tamen haec sententia defenditur a multis auctoribus. Cf. BENEDICTUS XIV, *Opera omnia,* tom. 11, *De synodo dioecesana,* Prati 1844, lib. VI, cap. IV, n. 3. F. X. WERNZ, S. I.-P. VIDAL, S. I., *Ius canonicum,* tom. V, *Ius matrimoniale,* Romae 1928, p. 751, not. 56. TH. M. VLAMING, *Praelectiones iuris matrimonialis,* Bussum 1950, p. 497. Isti auctores propriam

Ideo fundamentum iuridicum quo haec Summi Pontificis potestas solvendi matrimonium innititur, in ipso defectu sacramentalitatis necessario reponi debet. Ipse autem favor fidei nihil aliud est nisi causa ob quam dispensatio conceditur.[55] Sane per plura saecula favor fidei unica causa extitit,[56] secundum quam dissolutio matrimonii non sacramentalis iustificabatur, cum fides esset supremum bonum quod a servitute liberari deberet. Sed haec causa, quamvis ut motiva magni aestimanda sit, tamen non est neque unica neque suprema. Ipsa enim in specialibus adiunctis in damnum animarum verti posset vel scandali vel fidei prolis si nullo alio modo ei subveniri posset. Ideo haec causa supremae normae salutis animarum subordinari necesse est, in qua bonum commune et bonum privatum singulorum continetur.

Solutio igitur istorum vinculorum unice huic normae supremae subiecta est, quae est salus animarum, qua cum bonum commune societatis religiosae et generatim totius generis humani tum bonum singulorum, debita et proportionata consideratione habita, obtineri valeat. Hoc est, bonum privatorum bono universali totius communitatis praevalere non debet, secus non in salutem sed in damnum animarum esset. Quae norma a Summo Pontifice Pio XII probata est: « In ogni caso, la norma suprema, secondo la quale il Romano Pontefice fa uso della sua potestà vicaria di sciogliere i matrimoni, è quella che già in principio abbiamo additata come la regola dell'esercizio del potere giudiziario della Chiesa, vale a dire la *salus animarum,* per il cui conseguimento così il bene comune della società religiosa, e in generale dell'umano consorzio, come il bene dei singoli trovano la dovuta e proporzionata considerazione ».[57]

---

sententiam fundant in aliquo responso S. C. S. Off. (Natal), 11 iul. 1866, in quo legitur: « Matrimonium... tum solum quoad vinculum dissolvi potest, virtute privilegii in favorem fidei a Christo Domino concessi, et per Apostolum Paulum promulgati ». *Fontes,* IV, 996, p. 300. Quae verba non sunt ad rem cum in responsione S. O. non fiat ex professo haec quaestio doctrinalis et nullo modo distinctio fiat utrum hoc privilegium immediate vel mediate a Christo Domino proveniat.

[55] H. Jone, *Commentarium in codicem iuris canonici,* tom. II, Paderborn 1954, p. 365.

[56] A. Lehmkuhl, *Theologia moralis,* vol. II, Friburgi Brisg. 1910, p. 534, n. 929: « Nam causa, cur divinitus solutio matrimonii tali permissa sit, est *fidei* favor. At haec causa generalis est, specialem autem et immediatam causam cum suis conditionibus et adiunctis statuere, puto esse Ecclesiae seu Romani Pontificis ».

[57] *A.A.S.,* vol. XXXIII, 1941, p. 426. Eadem norma statuitur in tertia allocutione habita ad Auditores S. R. Rotae: « Finalmente il pensiero dell'appartenenza alla superiore unità della Chiesa e della subordinazione del suo fine universale, la *salus animarum,* comunica all'attività giuridica la fermezza per procedere nel sicuro cammino della verità e del diritto, e la preserva non meno da una debole condiscen-

Quam normam iam Card. P. Gasparri enuntiaverat: « Ex dictis satis superque demonstratum est Romanos Pontifices hanc potestatem solvendi vinculum matrimoniale in infidelitate contractum et exercuisse et exercere in casibus qui longe distant a privilegio Paulino; proinde hanc potestatem ipsos habere dicendum est. Hanc potestatem eidem misericors Deus concessit in fidei favorem et salutem animarum. Ut igitur haec dispensatio a Romano Pontifice obtineri valeat, necesse in primis est ut exinde non oriatur scandalum, secus enim eius concessio non in salutem, sed in damnum verteret animarum. Deinde requiritur ut concessio dispensationis necessaria sit pro animarum salute spirituali obtinenda ».[58]

f) *Praxis Ecclesiae*

Etiam practice aliquae dispensationes a Summo Pontifice Pio XII largitae fuerunt. Prima, nobis cognita, concessa fuit Episcopo dioecesis Monterey-Fresno sequenti rescripto: « Mense octobri elapsi anni pervenerunt ad S. Officium ab ista Rev.ma Curia Episcopali acta suppletoria in causa dispensationis matrimonii N. et N., utpote non consummati. Praefatis actis cum praecedentibus attente collatis et diligenti examini subiectis haec Suprema S. Congregatio censuit non fuisse remotum quodlibet dubium circa assertam matrimonii inconsummationem; censuit tamen petitam dissolutionis gratiam concedi posse etiam alio titulo, nempe in favorem fidei, eo quod oratrix non baptizata extiterit toto tempore cohabitationis cum coniuge. Quare, licet matrimonium cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus initum fuerit, attentis peculiaribus causae circumstantiis, et praesertim probabili matrimonii inconsummatione, Ss.mus D. N. D. Pius Divina Providentia Papa XII, in audientia die 17 iulii 1947 Exc.mo D.no Assessori S. Officii impertita, benigne annuere dignatus est pro gratia dissolutionis praefati matrimonii; ita ut oratori, praevia conversione et recepto baptismo, novas nuptias inire valeat cum viro catholico. Ipsa autem moneatur gratiae concessionem

---

denza verso le disordinate brame delle passioni che da una dura e ingiustificata inflessibilità. La salute delle anime possiede come guida una norma suprema assolutamente sicura: la legge è la volontà di Dio. A questa medesima legge e volontà di Dio un'attività giuridica, che riconosce e ha coscienza di non avere nessun altro fine che quello della Chiesa, si indirizzerà fermamente nel regolamento dei casi particolari a lei sottoposti e vedrà così confermata in un ordine superiore quella che già era nel suo proprio campo la sua massima fondamentale: servigio e affermazione della verità nell'accertamento del vero fatto e nell'applicazione ad esso della legge e della volontà di Dio ». *A.A.S.*, vol. XXXVI, 1944, pp. 289-290.

[58] *Tractatus canonicus de matrimonio,* vol. II, Romae 1932, p. 238, n. 1165.

fundari etiam in asserta carentia sui baptismi, unde se non posse hac gratia uti si aliquod prudens dubium retineat se antea iam fuisse baptizatam. In praesenti concessione continetur quoque dispensatio ab impedimento criminis de quo in can. 1075, n. 1 (Ex Aedibus Sancti Officii, die 18 iulii 1947 — Protoc. 706/42 — 3172/46).[59]

g) *Conditiones pro gratiae concessione*

Ab istis responsionibus, quae quamvis privatim concessae fuerint tamen nullo modo in dubium vocari possunt, clare elucet Romanum Pontificem matrimonia inita cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus solvisse, propterea ei potestatem vicariam quoad solubilitatem istorum matrimoniorum competere. Tamen nemini latet adesse magnum discrimen inter istas dissolutiones et eas quae a privilegio paulino originem ducunt. Haec enim directe a potestate vicaria Romani profluunt: vinculum autem solvitur eo momento quo gratia impertitur, ita ut orator, mutata voluntate novis nuptiis renuntiare possit, dum alteri parti ius non adimitur novas nuptias ineundi. E contrario in privilegio paulino tunc

---

[59] T. L. Bouscaren, S. I., *The Canon Law Digest,* vol. III, Milwaukee 1953, p. 485.

I. Prieto, *Una nueva applicacion del « Privilegio de la Fe »*, « Rivista Española de derecho canonico », 1955, pp. 233-236. Alius casus a Bouscaren in *op. cit.* p. 486 refertur: « Maria, non baptizata atque orta e parentibus non catholicis, matrimonium civile anno 1947 cum Ioanne catholico iniit. Elapsis duobus mensibus, matrimonium coram Ecclesia convalidatum fuit, obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis et ad cautelam disparitatis cultus. Unio infelix. Vir ad novas nuptias convolavit. Mulier, obtento divortio, amorem erga alium iuvenem catholicum fovere incepit. Religionem catholicam vult amplecti et solutionem sui vinculi in favorem fidei petit ». Gratia die 30 ianuarii 1950 concessa fuit a S. O. (N. 1289/49). Etiam alii duo casus in vol. IV, Milwaukee 1958, pp. 347-352, quorum unum referre sufficiat, quia alter a primo essentialiter non differt.

« Alaphridus Cinelli, e parentibus catholicis ortus, baptizatus in Ecclesia catholica, cum stipendia mereret, amore puellae Elinor Robins adlectus est, non baptizatae. Duo iuvenes matrimonium civile attemptaverunt, quod die 28 ianuarii 1941 in ecclesia S. Patricii in Kokomo convalidatum fuit; obtenta dispensatione ab impedimento disparitatis cultus. Vir, e castris reversus, statim agnovit mulierem mores mutavisse. Dissociatis animis separatio in mense septembri 1945, sine spe reconciliationis facta est. Mulier divortium, mense aprilis 1946, obtinuit. Dissolutio petitur in favorem fidei oratoris, mulieris quacum matrimonium inire cupit, cum ab haeresi religionem catholicam amplecti desideret et prolis. In altero autem casu tantum hae causae afferuntur: iuvenilis aetas, ideo periculum incontinentiae; periculum matrimonii civilis; desiderium condendi familiam catholicam ». Periculum scandali in utroque casu excluditur. Cum omnia acta relata non sint nescimus utrum tantum ob relatas rationes gratia a S. O. concessa sit.

vinculum prioris matrimonii solvitur, cum pars conversa valide novas nuptias iniverit.[60] Qua ratione comprobatur nullo modo hae dissolutiones ad privilegium paulinum referri posse. Ut autem valide et licite haec potestas exerceatur aliquae conditiones servari debent.

1. In omni dispensatione necesse omnino est ut scandalum removeatur, secus gratia in damnum potius quam in aedificationem animarum esset. Hoc in casu potius quam bonum privatum petentis bonum commune fidelium prae oculis habendum est: hoc enim alteri praevalere debet. Secus idea indissolubilitatis matrimonii a populo amittitur et ansa datur ista coniugia ineundi, spe habita dissolutionis, dum ista matrimonia gravibus intervenientibus causis permitti deberent et magna cum cautela, remota qualibet festinatione.

2. Fundamentum quo haec gratia innititur est non baptismus unius sponsi. Ideo haec probatio morali cum certitudine ex actis deduci debet; quod si dubium supersit, gratia nullo modo concedi potest, nisi certis rationibus nullitas ipsius baptismi probari possit. Quo in casu ad amussim normae a Sanctae Sede statutae servandae sunt.

3. Alia conditio essentialis servari debet, cum pars infidelis baptismum receperit sive in secta sive in Ecclesia catholica. Quo in casu praeter processum de non baptismo partis infidelis, necesse est ut etiam morali certitudine constet matrimonium ne semel quidem, consummatum fuisse post collationem baptismi parti infideli. Inconsummatio autem probari debet secundum normas statutas a S. Congregatione pro disciplina sacramentorum super rato et non consummato. Nam si post baptismum partis infidelis coniuges copula carnali usi fuerint, etiam semel, matrimonium fit ratum et consummatum, quod nulla humana potestate nullaque causa dissolvi potest.[61] Si hoc acciderit ulterior inquisitio omnino inutilis est, cum nulla spes concessionis gratiae adsit.

4. Cum omne matrimonium sit intrinsece indissolubile [62] tantum gravibus rationibus intervenientibus eius dissolubilitas excusari potest. So-

---

[60] *Codex I. C.* can. 1126: Vinculum prioris coniugii, in infidelitate contracti, tunc tantum solvitur, cum pars fidelis reapse novas nuptias valide iniverit.

[61] *Codex I. C.* can. 118: Matrimonium ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest.

[62] Ita Pius VI, *Rescript. ad Episc. Agriens.*, 11 iul. 1789: « Quo manifesto patet, inquit, matrimonium vel in ipso statu naturae, ac sane ante multo quam ad proprie dicti Sacramenti dignitatem eveheretur, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat *perpetuum indissolubilemque nexum,* qui proinde nulla civili lege solvi queat. Itaque licet Sacramenti ratio a matrimonio seiungi valeat, velut inter infideles, adhuc tamen in tali matrimonio, siquidem verum est matrimonium, *perstare debet, omninoque perstat perpetuus ille nexus,* qui a prima origine divino iure matrimonio ita cohaeret, ut nulli subsit civili potestati. Atque adeo quodcumque

lutio igitur istorum vinculorum, qualibet e causa, concipi ne quidem potest, secus indissolubilitas quae omni naturali matrimonio, intrinsece a Conditore mundi insita est, servari non posset. Ne igitur dignitas ipsius coniugii pessumdetur ac magis magisque in populo legitimitas divortii civilis confirmetur, praesertim cum ratio dissolutionis eandem ob causam in utroque casu iustificetur v. g. ratione adulterii,[63] necesse omnino est ut causae ob quas gratia elargiatur, extra communem ordinem rerum sint. Gravitas enim ipsius materiae hoc exigit. Liceat autem has adnumerare:

a) *Conversio partis non baptizatae.* Hoc in casu adest verus favor fidei, qui plene iustificat solutionem vinculi. Matrimonium fit ratum sed non consummatum. Gratia autem primo et per se intuitu conversionis partis infidelis conceditur.

b) *Dubium positivum super validate ipsius coniugii.* Quamvis enim aliquando nullitas matrimonii ad normam iuris probari non possit sive ob defectum testium sive qualibet alia causa, tamen argumenta positiva potius pro nullitate vinculi quam pro eius validitate militant. Hoc in casu formalitas iuridica cederet veritati. Melius enim est habere firmum vinculum quam incertum.

c) *Dubium positivum super inconsummatione matrimonii.* Haec enim causa cum fere semper a voluntate agentis non dependeat, difficulter a partibus creari potest. Non enim solutio vinculi unice a voluntate sponsorum provenire debet, sicut esset in casu adulterii. His in adiunctis omnes intelligere possunt rationem solutionis, cum e matrimonio nullum bonum proveniat.

Haec autem dicta sint cum humili summissione decisionibus Sanctae Sedi quae sola has rationes comprobare et alias adiungere potest.

Ex dictis igitur satis constat Romanum Pontificem habere potestatem solvendi coniugia inita cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus. Secunda igitur paragraphus canonis 1120 mutanda esset hoc modo: « Hoc privilegium non obtinet in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitaris cultus. In casu autem particulari Sedes Apostolica ob gravissimas rationes illud solvere potest ».

---

matrimonium contrahi dicatur, vel ita contrahitur ut reapse sit verum matrimonium, tumque adiunctum habebit perpetuum illum nexum divino iure omni vero matrimonio cohaerentem; vel contrahi supponitur sine illo perpetuo nexu, tumque matrimonium non est ». PIUS XI, Litt. Encycl. *Casti Connubii,* 3 dec. 1930, *A.A.S.,* vol. XXII, p. 551. C. S. Off. (Natal), 11 iul. 1866, *Fontes,* IV, 996, p. 300, ad 8.

[63] Divortium civile inter baptizatos nulla e causa iustificari potest. « Christus igitur, cum ad talem ac tantam excellentiam matrimonia renovavisset, totam ipsorum disciplinam Ecclesiae credidit et commendavit ». LEO XIII, Litt. Encycl. *Arcanum,* 10 febr. 1880, *Acta Leonis XIII,* vol. II, p. 18.

VOTO
PER LA PONTIFICIA COMMISSIONE ANTIPREPARATORIA PER IL CONCILIO ECUMENICO

(G. D'Ercole)

I

Problema dell'unione

Premesse

Nell'annunciare il Suo proposito di indire la celebrazione di un Concilio Ecumenico, il Santo Padre ha indicato il ritorno dei dissidenti alla Chiesa come uno degli obbiettivi principali del Concilio medesimo.

In seguito, questa finalità pubblicamente è stata ripetuta meno, sicchè al presente si ha la sensazione che un velo, quasi discreto, sia sceso su questo obbiettivo. Chi rifletta quanto il problema sia arduo, quanta accorta prudenza richieda e quanta grave responsabilità comporti, non può non ammirare l'alta saggezza di un tale metodo.

L'unione è problema di uomini e di contatti tra uomini, da una parte, e dall'altra è problema che impegna il supremo magistero ecclesiastico.

Come problema di uomini la questione richiede un insieme di contatti, i quali possono esser tenuti idoneamente solo da coloro che la Chiesa ha formato, attraverso un lungo tirocinio, ad un lavoro sapiente e responsabile.

Potranno esserci adesioni di massa, o notevoli movimenti di gruppi, celeri o lenti, come ci potranno essere solo adesioni isolate; l'un modo e l'altro saranno opera della grazia, che la Chiesa implorerà con la preghiera e coadiuverà con l'opera trepida, solerte, apostolica dei suoi Ministri.

Ma qualunque sarà il modo con il quale la Provvidenza attuerà il movimento di unione, qualunque sia il tempo entro il quale il movimento avverrà, lo scrivente esprime la sua ammirazione per i criteri di silenziosa discrezione che sembra siano adottati dalla Pontificia Commissione Antepreparatoria costituita dal Santo Padre. In proposito si esprime il parere:

1) che si vigili su quanto la stampa cattolica scriverà sulle reazioni degli acattolici a proposito dell'unione;

2) che, nei modi ritenuti più opportuni e attraverso gli organi più qualificati *ad hoc,* si diano istruzioni, si impartiscano disposizioni a predicatori, conferenzieri, direttori di corsi, professori perchè richiedano auto-

rizzazione previa a trattar pubblicamente temi riguardanti l'unione e i problemi dommatici, morali, disciplinari, politici con essa congiunti;

3) che costoro, qualora ne abbiano il permesso, ne trattino con scienza e prudenza, astenendosi da polemiche, valutazioni non ponderate, apprezzamenti offensivi, astio, disistima degli avversari; che nutrano nei loro cuori una fiduciosa attesa, seguendo il monito che il Santo Padre ha pronunciato, in altra circostanza: « Se mesto è il tramonto, pensare che domani sarà il giorno sereno ».

A)

PROPOSTA DI UNA DICHIARAZIONE SOLENNE DEI PADRI DEL CONCILIO AI SEPARATI SULLA REDENZIONE - LA CHIESA - LA GERARCHIA. *Testimonianze bibliche e appunti di patristica per la redazione del proposto documento.*

Anche se l'unione non formasse un tema apertamente specifico del Concilio, ad essa mirino i Padri e la preparino con un documento solenne, che ne costituisca quasi la *magna charta.*

Lo scrivente riterrebbe che sarebbe ugualmente confacente allo scopo, se il documento proposto non sia redatto in forma di costituzione dommatica, seguita da canoni, con sanzione, ma abbia la forma di una lettera dei Padri ai dissidenti, nella quale questi vengono esortati a tornare all'unità della Chiesa, proponendo ai medesimi gli elementi della fede cattolica sui punti controversi che hanno causato i dissidi. La dichiarazione dei principi cattolici avrà il compito di precisare ai dissidenti il quadro delle condizioni di domma e di disciplina che troveranno nel tornare nella unica Chiesa.

Certe controversie dommatiche, al momento delle varie separazioni, sono sorte con elementi e soluzioni che allora mettevano i dissidenti in contrasto irriconciliabile con la Chiesa cattolica. Oggi, specialmente ad opera del progresso delle ricerche bibliche e teologiche, i punti di contrasto sono notevolmente diminuiti; tra i dissidenti stessi vi è un nuovo *consensus* sul problema della Chiesa, che non dista dal domma cattolico come in altri tempi. Lo stesso si può dire della dottrina della redenzione.

Un documento solenne, dichiarativo, rivolto sotto forma di invito, come abbiamo già detto, potrebbe raggiungere lo stesso obbiettivo di una definizione dommatica, pur non avendone la veste e forse faciliterebbe di più il raggiungimento dell'obbiettivo finale, la unione.

Si propone sommessamente, per il fine dell'unione, come auspicato

nelle pagine precedenti, che il documento solenne, proposto, contenga, tra gli altri elementi che si riterranno necessari, anche la dottrina cattolica soteriologica ed ecclesiologica.

A tal fine si sottopongono all'alta e ispirata dottrina dei Padri del Concilio le conclusioni che esegeti e teologi, qualificati per scienza ed ortodossia, ritengono possano dedursi dai dati biblici, sicchè i Padri ne possano trarre materia per la redazione del proposto documento.

Alla presentazione dello schema di redazione, lo scrivente, premette delle note illustrative:

1) Egli parte da una tesi che presenta con le parole di uno scienziato sicuro e responsabile, Mons. Cerfaux, il quale scive: « la richesse de l'être chrétien s'exprime par les formules: justice, sainteté et grâce; vie dans le Christ, Esprit. C'est toute notre nouvelle nature.

On comprend mieux quelle fut l'erreur du protestantisme d'avoir isolé la notion de la justice: en l'isolant, il la dénaturait ». L. CERFAUX, *Le Christ dans la théologie de Saint Paul,* 2 ed., (Parigi 1954) 242.

Al Concilio Vaticano fu presentato un progetto di definizione della dottrina soteriologica; ma esso non fu discusso a causa della sospensione di questo (il testo dello schema è riportato nella *Collectio Lacensis* 7 [Friburgo Br., 1890] 514). Un accenno alla dottrina sulla soddisfazione c'è anche nella *Humani Generis* che condanna coloro che pervertono la nozione della soddisfazione data per noi da Cristo (*A.A.S.* 42 [1950] 570).

2) Da qualche tempo, di decennio in decennio, la dottrina della redenzione nella ricerca teologica ha fatto progressi notevoli e sostanziali. Ciò appare da un prospetto delle dottrine a partire dall'epoca contemporanea.

Nel secondo decennio di questo secolo sono state abbandonate vecchie dottrine sulla redenzione, correnti tra teologi a partire dal sec. XVII e comuni anche alla predicazione, non esclusi i grandi oratori. Da allora si è sostenuta la dottrina della redenzione per riparazione (Rivière,[1] Galtier,[2] Parente [3]).

Recenti studi storici hanno manifestato, nella Bibbia e nella Tradizione, altre componenti della redenzione, oltre quelle classiche del merito, della soddisfazione, del sacrificio e del riscatto. Il Rivière non li ha valorizzati, oppure si è esplicitamente opposto, come ad esempio nei riguardi dei rapporti fra divinizzazione e redenzione.

---

[1] J. RIVIÈRE, *Rédemption* in *Dictionnaire de Théologie Catholique* (Parigi 1937) 1913-2004.

[2] P. GALTIER, *De Incarnatione et Redemptione*, Parigi 1945.

[3] P. PARENTE, *De Verbo Incarnato,* Torino 1946.

« Il limitare i frutti dell'opera redentrice di Gesù all'eliminazione della colpa, poteva lasciare ancora l'impressione di una redenzione giuridica, o almeno del ristabilimento di un rapporto, che sarebbe stato pressapoco uguale anche in un ordine di pura natura mentre non deve mai dimenticarsi che la redenzione di Cristo si verifica in un ordine soprannaturale » (G. OGGIONI, *Il mistero della Redenzione,* in *Problemi e orientamenti di Teologia dommatica* 2 [Milano 1957] 318-319).

Teologi recenti, quali L. Richard, E. Masure, A. Stoltz, E. Mersch si sono avviati a nuove sintesi, che pur non essendo immuni da imprecisioni, a parere di specialisti, tuttavia hanno tenuto conto di elementi di primaria importanza, prima trascurati.

Il Richard,[4] partendo dalla posizione raggiunta da Rivière, dà alla incarnazione e alla risurrezione un valore soteriologico, ed all'origine di tutto pone l'amore divino.

E. Masure,[5] premesso che due sono i modi di presentare la storia del dogma della redenzione, lascia liberi di scegliere tra l'uno e l'altro sistema, ma ritiene che ciascuno deve essere condotto fino in fondo; ed allora uno troverà alla fine quello che l'altro pone al principio. Il primo parte dalla considerazione dell'uomo peccatore, che si sforza di ottenere la propiziazione divina mediante l'espiazione, la soddisfazione e la riparazione del proprio peccato, e che può perfino diventare capace di meritare; ma il risultato positivo dell'opera propiziatrice e meritoria per l'umanità peccatrice è possibile solo in forza della solidarietà tra noi e Cristo. L'altra, parte dalla considerazione del Figlio di Dio che, incarnandosi fra gli uomini peccatori, solidarizza con loro, diventandone maestro, esempio, medico, pastore, vita e redime così dal peccato.

A. Stolz,[6] dopo aver esposta la concezione occidentale (che egli chiama giuridica) la definisce chiaramente incompleta, e si pronuncia a favore di una concezione fisica, dove Cristo è considerato causa della nostra salvezza, non solo in quanto ha giuridicamente soddisfatto, espiato, meritato ecc. ... ma anche in quanto ha prodotto la nostra salvezza come causa efficiente.

E. Mersch:[7] la redenzione da parte di Dio è opera di amore, e l'amore rende possibile all'uomo riparare il suo peccato secondo giustizia; per il solo fatto di incarnarsi, cioè di inserirsi profondamente nell'uma-

---

[4] L. RICHARD, *Le dogme de la rédemption,* Parigi 1932.

[5] E. MASURE, *Le Rédempteur,* in *Le Christ, Encyclopédie de connaissances christologiques* (Parigi 1932) 518-551.

[6] A. STOLZ, *Teologia della mistica,* Brescia 1940.

[7] E. MERSCH, *La Théologie du Corps Mystique,* Bruxelles 1949.

nità peccatrice, Cristo, innocente per essenza, doveva diventare intrinsecamente redentore votato alla sofferenza e alla morte, perchè questa è condizione ormai naturale dell'uomo peccatore. Il Mersch, seguendo S. Tommaso, insiste sull'aspetto della redenzione *secundum efficientiam,* dove egli vede la sintesi della redenzione per divinizzazione, dei greci, con quella per soddisfazione dei latini.

In terzo luogo la redenzione viene considerata nell'umanità: anche questa, per la solidarietà con Cristo, collabora alla redenzione di se stessa, non solo nel senso che l'atto compiuto da Cristo è in qualche modo suo, ma anche nel senso che l'umanità deve continuare la redenzione di Cristo. Viene così esclusa l'idea di ogni pura sostituzione.

Il progresso è notevole e ci si avvicina in maniera sempre più concreta ai dati biblici. Ma la corrispondenza tra queste dottrine e le testimonianze bibliche non è ancora piena. Si dice, molto esattamente, che l'opera di Gesù ha prodotto nell'umanità una divinizzazione; ottimamente, ma non si è ancora esatti, obiettivi, nell'enumerare gli elementi della divinizzazione. Alla origine di questa incompletezza c'è ancora la mancanza di interezza della valutazione di tutti gli elementi che sono contenuti in questo principio: la redenzione è ordinata alla liberazione dal peccato. Pochi, nel valutare tale principio, vi comprendono per intero gli elementi che in esso sono contenuti, conforme ai dati della Sacra Scrittura e della Rivelazione; in una sintesi recente della questione, ottimamente avviata sotto molti aspetti, si dice « non è però fuor di posto insistere un poco nel riflettere sull'aspetto formale della redenzione, che è la liberazione dal peccato. Una guida illuminata su questo argomento proverrà anzitutto dalla categoria del riscatto: è qui che può essere sfruttato tutto quello che la Bibbia, la Tradizione e la teologia dicono al riguardo, e anche quello che vi aggiunge una sana speculazione sul peccato, condotta col sussidio della ragione, ma più ancora con quello della rivelazione. Alla luce della rivelazione, ad esempio, il peccato si presenterà come una realtà complessa, che si pone, storicamente, sul piano soprannaturale, e che ha stretti rapporti col demonio, la carne, la legge; tutti questi aspetti non devono essere trascurati da chi vuole studiare il concetto cristiano del peccato e della sua responsabilità » (G. OGGIONI, *Il Mistero della Redenzione* 327).

Ed effettivamente alla luce della Rivelazione il peccato si presenta come una realtà complessa, e, particolarmente, c'è un aspetto, che gli è proprio e abitualmente non è avvertito, ma dal quale derivano tutti gli altri.

Ci possono essere due modi di considerare la redenzione: in relazione alla causa dello stato dell'uomo (il peccato) o in relazione alla pena. La pena del peccato è molteplice: morte, schiavitù, non più figli di Dio. Ma

ognuna delle pene ha una sua ragione di essere. È abituale considerare ciascuna pena come contenuta nelle altre, quindi considerare praticamente una sola pena; ciò in sostanza è vero; ma tale metodo porta a una confusione di linguaggio; la confusione di linguaggio porta ad una inavvertenza di ciascuna delle nostre condizioni e della parte che ciascuna delle azioni redentrici di Gesù ha riguardo ad ognuna di quelle condizioni nel quadro totale della sua opera restauratrice. Incarnazione, versamento di sangue, morte, risurrezione, obbedienza, amore per gli uomini costituiscono tutta l'opera redentrice di Gesù; ma ogni stadio ha una sua funzione specifica: l'incarnazione, cioè l'assunzione della carne passibile, è in relazione alla necessità che Gesù assumesse lo stesso stato dell'umanità, che ha carne passibile; il versamento di sangue ha relazione: 1) alla macchia, alla *foeditas* dell'uomo, al peccato, 2) alla schiavitù, 3) all'alleanza da costituire; la morte di Gesù ha relazione alla nostra condanna alla morte; la risurrezione di Gesù ha relazione: 1) alla nostra idoneità alla risurrezione, 2) alla nostra risurrezione effettiva, 3) al dono dello Spirito, 4) alla partecipazione della natura divina, alla ricostituzione a figli di Dio. Quindi, nel considerare il peccato da cancellare e la sua effettiva cancellazione, occorre tener presente che le relazioni tra peccato e morte fisica, tra peccato e schiavitù ecc., sono inseparabili nell'uomo decaduto; occorre considerare ogni stato nella sua realtà, per comprendere la funzione che ognuno degli atti redentivi di Gesù ha riguardo a questi stati.

L'opera di Gesù è prima di tutto vivificazione, essendo una reintegrazione alla vita; e poichè la morte ci teneva in schiavitù, la vivificazione è anche redenzione, perchè è liberazione.

La conclusione della redenzione è la risurrezione di Gesù; l'opera di reintegrazione alla vita parte dalla incarnazione di Gesù e si conclude nella Risurrezione, che n'è il punto culminante; perchè, distrutto in noi il corpo di morte, la Risurrezione di Gesù rende idonei anche noi ad una risurrezione e ci fa diventare figli di Dio ed eredi.

Il peccato e la liberazione dal peccato trovano il loro posto entro questi limiti ed entro tali limiti vanno intesi.

Per tali motivi, sia consentito osservare che è possibile una revisione dei sistemi sinora presentati da maestri di tanta fama e arrecare ad essi qualche chiarimento. È principalmente su questo che vorrei richiamare l'attenzione e far notare quale materiale genuino, prezioso, necessario, insostituibile abbiamo nella Sacra Scrittura per costruire una sintesi dell'opera restauratrice di Gesù.

Riterrei che tale materiale possa essere *la migliore espressione del*

Magistero dei Padri del Concilio su questo capo, perchè aderente ai dati della divina Rivelazione.

Una visione dei dati rivelati, oggettiva, scientificamente e teologicamente sicura, riterrei che si abbia in queste due opere:

Mons. L. CERFAUX, *Le Christ dans la théologie de Saint Paul,*[2] Parigi 1954, F. X. Durrwell, *La Résurrection du Christ, mystère de salut,*[4] Le Puy 1954.

Mons. Cerfaux, con alta dignità e con sicura scienza, ha scritto: « Il serait séduisant de construire logiquement, à partir de la Résurrection une synthèse qui placerait toute la réalité chrétienne, sanctification, justification, vie mystique, Eglise, corps du Christ, etc. dans l'efficience de la vie du Christ...

Ce n'est point pour faciliter notre tâche que nous récusons ces méthodes. Saint Paul n'a pas développé logiquement toutes les synthèses qui se sont amorcées dans sa pensée » (L. CERFAUX, *Le Christ*[2] 71).

Mons. Cerfaux, di fatto, ha sviluppato il suo studio proprio su questi temi, dai quali appare che la realtà cristiana è fondata su di essi, e parte dalla risurrezione di Gesù, nell'efficienza della vita del Cristo.

Mons. Cerfaux ha limitato il suo studio a San Paolo; ma San Paolo non potè insegnare l'essenza del Vangelo, costituita da questi elementi, senza che egli trovasse la base e la giustificazione del suo insegnamento nella dottrina e nelle dichiarazioni programmatiche di Gesù e nell'attuazione da parte di Gesù dell'opera che egli era venuto a compiere per mandato del Padre.

Dichiarazioni, dottrina, opera di Gesù hanno il loro storico principalmente in San Giovanni. Occorreva perciò uno studio che considerasse questo aspetto dell'opera restauratrice di Gesù anche nel Vangelo di San Giovanni, ed eventualmente anche nel resto del Nuovo Testamento.

Il lavoro di Mons. Cerfaux si integra con l'opera di Padre Durrwell, il quale non si è fermato solo su San Paolo, ma ha considerato tutti gli scritti neotestamentari e li ha considerati, non solo da esegeta, ma anche da teologo puro, sicchè la sua opera è storica e speculativa insieme. Le idee centrali di Padre Durrwell sono le seguenti: « La permanence toujours actuelle de la mort et de la résurrection dans le Christ de gloire et l'identification de l'Eglise au Christ glorieux non seulement dans un seul corps mais encore dans l'acte même de sa mort et de sa glorification. Ces deux vérités complémentaires nous paraissent être des plus fécondes pour la compréhension de l'Eglise, de sa vie et des sacrements » (*préface*).

Una luce, se pur alquanto indiretta, su un punto centrale del problema della redenzione, porta il lavoro di L. MORALDI, *Espiazione sacrificale e Riti espiatori nell'ambiente biblico e nell'Antico Testamento,* Roma 1956. La luce è indiretta, perchè tratta solo dell'espiazione nel Vecchio Testamento; ma lo studio dà la base per la intelligenza dei dati rivelati che presentano l'opera di Gesù anche come espiazione e propiziazione.

Lo scrivente ha fatto oggetto di particolari ricerche questi argomenti e ne ha scritto in un opuscolo dal titolo: *L'essenza del Vangelo nella costituzione dell'esse christianum e nel fine societario della Chiesa e della sua disciplina.* Lo scrivente ha limitato la sua ricerca alla ricostruzione storica dei dati biblici della redenzione. Raccolti e vagliati i precedenti, che egli ha chiamato stato di morte e impossibilità di autoreintegrazione di vita, lo scrivente ha esaminato i dati relativi al disegno di Dio per restituire gli uomini alla vita; ha considerato gli effetti dell'opera di Gesù in noi, partendo dalle parole di San Paolo: « Gesù abolì la morte e fece risplendere vita e incorruzione »; esposti gli elementi della abolizione della morte ha trattato degli elementi della costituzione di vita e di incorruzione, le condizioni per mantenere la vita ed ha concluso all'essenza del Vangelo riguardo al fine dell'uomo.

Dalla soteriologia è passato alla ecclesiologia, ed ha cercato di definire il fine societario della Chiesa, sempre in sola rispondenza ai dati biblici.

Premesso quanto sopra, lo scrivente sottopone all'alta considerazione della Pont. Commissione Antepreparatoria degli appunti che, qualora si ritenga opportuno, potranno essere sottoposti all'esame dei Padri del Concilio per la proposta dichiarazione su alcuni punti di soteriologia ed ecclesiologia, che riguardano da vicino uno dei problemi dell'unione.

Dio stabilisce una relazione misteriosa di responsabilità tra noi e il peccato di Adamo e da allora instaura con l'uomo una disciplina singolare, che mantiene, poi, ancora nella Genesi e negli altri libri sacri sino al N. T. In tutto il Pentateuco vi è una nozione e una disciplina del peccato più complessa di quella cristiana del medesimo. Non solo si risponde del peccato formale, ma anche di quello materiale. Dio si accinge a punire con pene il Faraone, bramoso di abusare di Sara, ma non consapevole che si trattasse di una coniugata.[28] Punito è Abimelec, che è nelle stesse condizioni del Faraone.[29] L'economia della Torah rende responsabili di

---

[25] I. DE LUGO, *Tractatus de Poenitentia,* Disp. VI, Sectio VII; cf. *De incarnatione,* Disp. VII, Sectio III.

[26] L. BILLOT, *De peccato originali,* Roma 1910; cf. anche *Etudes* 162 (1920) 131 ss.; P. PARENTE, *I due Adami e la nostra solidarietà con loro,* in *Teologia Viva* 1 (Roma 1953) 443-452.

[27] Cf. M. FLICK, *Il dogma del peccato originale nella teologia contemporanea,* in *Problemi e orientamenti di teologia dommatica* 2 (Milano 1957) 116-118.

[28] *Gen.* 12, 17-19: « ... Il Signore colpì Faraone con grandi flagelli e la sua corte per il fatto di Sara, moglie di Abramo. Faraone allora chiamò Abramo e dissegli: che è questo che mi hai fatto? Perchè non mi hai notificato che essa è tua moglie? Perchè hai detto che essa è tua sorella, ond'io la presi in moglie? Ebbene, ecco la tua donna; pigliala e vattene ».

[29] *Gen.* 20, 2 ss.: « ... Or disse Abramo di Sara sua moglie: È mia sorella. E Abimelec, re di Gerar, mandò a prendere Sara. Ma Dio venne ad Abimelec in sogno di notte, e dissegli: Vedi, tu stai per morire a cagione della donna che tu hai presa, mentre essa ha marito... Poi Abimelec chiamò Abramo e gli disse: che ci hai fatto? E ti ho forse offeso io che hai attirato sopra me e sopra il mio regno una grande colpa? ».

una trasgressione, anche se si pecca solo materialmente; anzi, le situazioni precise sono le seguenti: si imputano tanto il peccato formale, quanto il materiale, perchè Dio ritiene trasgressore tanto chi ha peccato formalmente, quanto chi ha peccato solo materialmente; e colpisce, con una sanzione penale, tanto chi ha peccato deliberatamente, quanto hi ha peccato senza avvertenza e consenso deliberato.[30] Non solo, ma si risponde perfino di atti non posti; la comunità risponde tanto del peccato formale, quanto di quello materiale, commesso dal Sommo Sacerdote [31] o da uno dei capi [32] o da se stessa [33] e i figli rispondono ugualmente del peccato dei loro ascendenti.[34]

Nei discendenti di Adamo avviene la medesima cosa: essi non commettono la trasgressione nè formalmente, nè materialmente; personalmente non sono rei, eppure ne rispondono; infatti sono puniti.[35]

Di ciò non è possibile dare alcuna ragione nè di tipo giuridico nè di tipo morale; c'è solo da constatare la manifestazione misteriosa di una volontà positiva di Dio.

Una ragione, se è possibile indicarla, è piuttosto da ricercarsi altrove. Non si tratta, infatti, di una vera e propria condanna dei discendenti, ma di una loro decadenza; l'uomo decade dallo stato di immortalità somatica, dallo stato di libertà e di figlio di Dio nello stato di morte e schia-

---

[30] *Lev.* 5, 2-4: « ... una persona che tocchi qualsiasi oggetto impuro senza avvedersene... ovvero che tocchi alcuna impurità umana... senza avvedersene, quando ne diviene consapevole sarà in colpa... Anche una persona che giura inconsideratamente... »; *Num.* 15, 22 ss.: « Che se mancheretere per inavvertenza... allora se l'inavvertenza fu commessa dalla comunità... essa intera offrirà un giovenco... e il sacerdote farà l'espiazione per tutta la comunità dei figli d'Israele e sarà loro perdonato, perchè fu una inavvertenza... »; cf. v. 27, 28, 29.

[31] *Lev.* 4, 2-3: « ... quando alcuno *per inavvertenza* trasgredisce qualunque divieto della divina legge, facendo una cosa proibita, se chi pecca è il gran sacerdote, coinvolgendo il popolo nel reato, offrirà in espiazione al Signore per la colpa da sè commessa un giovenco senza difetto... ».

[32] *Lev.* 4, 22-23: « Qualora pecchi uno dei capi facendo per inavvertenza qualche cosa vietata dal Signore suo Dio, e così contragga reato, quando sarà fatto consapevole del fallo da lui commesso, offrirà in sacrificio un caprone maschio senza difetto ».

[33] *Lev.* 4, 13-14: « Se tutta la comunità di Israele cade in un fallo e senza avvedersene pecca facendo alcuna cosa dal Signore vietata, quando viene a scoprirsi il peccato commesso, la comunità offrirà un giovenco in espiazione... ».

[34] *Ex.* 20, 5-6: « ... sono un Dio geloso, che punisco l'iniquità dei padri nei figli fino alla terza e quarta generazione di coloro che mi odiano; ma uso clemenza fino alla millesima verso coloro che mi amano e osservano i miei precetti ».

[35] Cf. F. SPADAFORA, *Il peccato nel Vecchio Testamento,* in *Il peccato* (Roma 1959) 32-48.

vitù; quindi è carne, ha un corpo di carne, un corpo di peccato ed è nello stato di peccato » (G. D'ERCOLE, *Essenza del Vangelo nel tempo* [Roma 1960] numero marginale 11).

DOMANDA 86. —

... si propone di ampliare la parte finale della formula « *...si sacrificò sulla Croce, unico mediatore tra Dio e gli uomini* » alla luce dello sviluppo recente della dottrina sul sacrificio di Gesù, rendendola con questi concetti:

Si sacrificò sulla Croce e risorse per ridarci la vita e restituirci la figliolanza divina.

DOMANDA 88. — *Con quali miracoli specialmente, Gesù Cristo confermò la sua dottrina e dimostrò di esser vero Dio?*

Si propone di vedere la possibilità di dare una nuova redazione alla formula 88 e, per conseguenza, anche alla formula 86, tenendo presenti quelle che sembrano essere la finalità dei miracoli di Gesù, che sono più che dimostrazione di potenza, principalmente inizio della sua opera reintegrativa di vita (Gesù talvolta risana dalle malatie e contemporaneamente rimette i peccati) che si concluderà con la risurrezione, la quale genera dei cristiani reintegrati alla vita. Darei molta importanza a queste precisazioni. Così risaliremmo a San Tommaso (Cf. G. D'ERCOLE, *Essenza del Vangelo nel tempo* [Roma 1960] numero marginale 29).

DOMANDE 90, 91 e 92. —

Si tottopongono alla considerazione dei revisori del Catechismo le deduzioni sul ruolo della risurrezione di Gesù esposte nel presente voto a pag. 329-333.

DOMANDA 105. — *Che cos'è la Chiesa?*

Si studi la possibilità di tener presente in una definizione della Chiesa gli elementi proposti a pagg. 338-341 del presente schema.

DOMANDA 108. — *La Chiesa perchè è una?*

Agli elementi proposti aggiungerei che la Chiesa è una specialmente perchè unica è la vita conferita, alla quale partecipano i fedeli.

DOMANDA 109. — *La Chiesa perchè è santa?*

Aggiungerei anche che la Chiesa è santa perchè i membri che le appartengono sono stati santificati con il battesimo e sono santi se sono in grazia.

DOMANDA 110. — *La Chiesa perchè è cattolica?*

Osserverei che la Chiesa non è solo instituita e adatta per tutti gli uomini, ma è istituzione vitale, necessità di vita e perciò universale, cioè cattolica.

DOMANDA 113. — *Chi è il Papa?*

Aggiungerei che il Papa è pastore, e quindi è, ministerialmente, il principale autore di vita della Chiesa, come osservato a pag. 342 e ss. del presente pro memoria.

DOMANDA 118. — *Perchè Gesù Cristo istituì la Chiesa?*

... la Chiesa non è solo guida, ma è principalmente fonte di vita.

DOMANDA 137. — *Qual è il peccato originale?*

Per una revisione della formula, mi riferisco specialmente a quanto osesrvato a pagg. 322-325 del presente voto e alle osservazioni fatte in relazione alla domanda 74.

DOMANDA 139. — *Come si cancella il peccato originale?*

Proporrei l'ampliamento della formula come segue: *il peccato originale si cancella con la fede e il santo battesimo.*

DOMANDA 144. — *Perchè il peccato grave si chiama mortale?*

Completerei la formula: *il peccato mortale... le toglie oltre i meriti e la capacità di farsene dei nuovi, la presenza di Dio in noi e la rende degna...*

DOMANDA 147. —

Specificherei gli elementi della grazia che si riacquistano con la cancellazione del peccato.

DOMANDA 155. —

Specificherei tra le ragioni che giovano a tenerci lontano dal peccato anche i beni positivi della vita che si perdono.

DOMANDA 158. — *Che significa « risurrezione della carne »?*

Si è di avviso che s'includano nella risposta gli elementi contenuti nella esposizione fatta alle domande 90-91 sul ruolo della risurrezione di Gesù, della nostra idoneità alla risurrezione e della nostra risurrezione effettiva.

DOMANDA 270. — *Che cos'è la grazia santificante?*

La grazia santificante è quel dono soprannaturale, inerente all'anima nostra e perciò abituale, che ci rende santi, cioè giusti, amici e figli adottivi di Dio, fratelli di Gesù Cristo ed eredi del paradiso.

Sottoporrei alla considerazione della redazione del catechismo, le seguenti osservazioni sulla grazia santificante.

« Si può porre l'equazione vita = grazia? Sì, perchè San Giovanni dice tanto che Gesù ha dato la vita, quanto che ha dato la grazia. Ma il concetto teologico odierno di grazia non sembra che contenga tutti gli elementi che sono contenuti nel concetto neotestamentario di vita. La grazia teologicamente è dono soprannaturale conferito all'anima umana in ordine alla vita eterna. La vita eterna, nei dati neotestamentari, non è che conseguenza della vita conferita già con il battesimo: questa vita è principalmente partecipazione alla risurrezione di Gesù, quindi principalmente idoneità alla risurrezione nostra, che è lo stesso che nuovo conferimento d'immortalità somatica (con la differenza tra la prima immortalità somatica e la nuova che con la nuova si muore *ad tempus*). Con la immortalità somatica, congiuntamente e inseparabilmente, tanto come esigenza di restaurazione, quanto come consistenza di effettiva restaurazione, noi abbiamo la partecipazione della divina natura, e quindi siamo figli, siamo in *Christo Iesu,* abbiamo il dono dello Spirito.

Donde: la grazia è dono conferito all'uomo (a tutto il composto umano) in ordine alla vita (Gesù nel Vangelo di San Giovanni e San Paolo).

La dottrina teologica insegna che la grazia è dono soprannaturale che accompagna l'uomo nell'itinerario verso il fine (la vita eterna), offrendogli i mezzi. Nel Tuovo Testamento la vita è partecipazione della natura divina, filiazione, dono dello Spirito (presenza dello Spirito) e sembra esser trasformazione, costituzione di essere, quindi non propriamente mezzo. L'essere cristiano è trasformazione ontologica; nell'al di là l'essere già acquisito continua. Con il batesimo noi abbiamo un unico essere che avrà due modi di vivere, il presente e il futuro.

Non solo San Paolo presenta la grazia sotto la luce soteriologica, come una forza redentrice dal peccato, restaurazione iniziata con il battesimo che è rinascita in Cristo risorto (*Rom.* 6, 4-11) vita nuova alimentata dalla fede e dalla carità; ma la luce soteriologica nella sua dottrina illumina la salvezza come restituzione alla vita nel senso di partecipazione presente alla risurrezione di Gesù Cristo (risurrezione anticipata; idoneità alla risurrezione). È rinascita che è direttamente intesa come risurrezione anticipata e solo di conseguenza come rinascita morale: ed è alimentata dalla fede in quanto la fede è causa, condizione, per rinascere alla risurrezione anticipata, alla sanità (*salvus eris*) ed è alimentata dalla carità, perchè è condizione per dimorare in Cristo, cioè per mantenere l'unione mistica in Cristo, giacchè chi non ama, ritorna alla morte (*manet in morte*). Ed è vita nuova, perchè è nuova creatura, nuova creazione, non solo vita nuova nel senso di vita rinnovata dalla sola morale, ma ha limiti più

ampi: è nascita dall'alto o di nuovo, e non si accende solo nelle anime, perchè l'Eucarestia è causa di risurrezione da morti e di risurrezione anticipata (cf. G. D'ERCOLE, *Essenza del Vangelo nel tempo* [Roma 1960] numero marginale 54).

DOMANDA 278. —

Sostituirei all'aggettivo « spirituale » qualche cosa di diverso. La vita nel Vangelo di San Giovanni non ha aggettivi.

Circa le DOMANDE 290, 295, 297, 298, 299, 300 si è di sommesso avviso che sarebbe opportuno includervi il concetto di vita e degli elementi contenuti nella vita, la quale è costituita dalla idoneità alla risurrezione, da una generazione proveniente da un germe divino, da una nascita dall'alto che è filiazione da Dio, dalla comunicazione della vita divina, con Gesù e in Gesù, dalla dimora di Dio nel credente fatto tempio di Dio e dello Spirito Santo.

DOMANDA 321. — *Perchè Gesù Cristo istituì l'Eucaristia?*

Gesù Cristo instituì l'Eucaristia, perchè nella Messa il sacrificio permanente del Nuovo Testamento e nella Comunione il cibo delle anime, a perpetuo ricordo del suo amore e della sua Passione.

L'Eucarestia è elemento necessario alla vita. Includerei nella presentazione dei fini della Eucaristia anche il concetto contenuto nelle parole di Gesù: non avrete la vita in voi, se non vi ciberete della carne del figlio dell'uomo, e se non berrete il suo sangue. Chi ne mangia ha la vita eterna e Gesù lo risusciterà nell'ultimo giorno. Come si è osservato a proposito della domanda 270, l'Eucarestia è anche causa di risurrezione anticipata, oltre che di risurrezione da morti.

DOMANDA 347. —

Preciserei e completerei la nozione di sacrificio secondo le recenti risultanze della dottrina indicate a pag. 327 del presente voto.

DE IURE CONDENDO

(S. Goyeneche)

Liber II

De personis

Pars prima – *De clericis*

I. *Praelati titulares* (can. 110).

Puto reducendum horum Praelatorum numerum, nam « numerositate vilescunt ». Etiam minuendus aliquatenus esset fastus omnium Praelatorum, qui vanitatem sapit, ambitionem excitat, invidiam et admirationem extraneorum et nostratum provocat. Hac in re, clerici et Praelati Ecclesiarum Orientalium forsitan dignitatis et modestiae nobis praebent exemplum. Quae dicta, paramenta sacra vel liturgica non afficiunt.

II. *Privilegia clericorum* (can. 118 et sqs.).

a) *Privilegium fori* (can. 120). In *contentiosis* causis non ecclesiasticis fere ubique terrarum, sive consuetudine, sive ex concordatis (cf. Conc. Ital. 11 febr. 1929, a. 8; id. Hisp. 27 aug. 1953, a. XVI; id. Domin. 16 iun. 1954, a. XIV, etc.) evanuit. Quod ceterum valde opportunum videtur, nempe, ut per leges et magistratus civiles iudicentur illae causae quae fundamentum habent negotia conclusa ad normam legum civilium propriarum regionum.

b) Videntur quoque eaedem rationes valere pro causis *criminalibus* in quibus agitur de delictis contra leges civiles regionis commissis. Etiam hic, vel usus vel concordata (cf. cit. Conc. Ital. l. c.; Domini. l. c. etc.) fere ubique forum vel aboleverunt vel ad minimum reduxerunt.

c) Sit ergo conclusio: 1° In causis *contentiosis ecclesiasticis, exclusive* tribunal ecclesiasticum iudicat clericos et laicos; 2° Delicta contra leges iustas Status *exclusive* iudicant tribunalia Status; 3° Delicta contra *leges ecclesiasticas* iudicat tribunal ecclesiasticum sive agatur de clericis sive de laicis; 4° In causis mixti fori datur praeventio.

III. *Vita communis clericorum* (can. 134).

Commendanda *non imponenda*: ad summum, posset imponi *moderate,* non stricte, inter parochos et vicarios cooperatores. Aliis coetibus

clericorum saecularium illam praescribere nefas erit. Prudens norma habetur in Synodi Romanae Constitutionibus n. 119.

IV. *Sacerdotes Opifices* (can. 138).

Confirmetur a Concilio explicita declaratione prohibitio huiusmodi institutionis uti contraria naturae et officio sacerdotali, quod est ad Deum ut offerat dona et sacrificia pro peccatis (*Hebr.* 5, 1), ut eat et praedicet, baptizando et homines docendo servare omnia quaecumque Christus mandavit (*Math.* 28, 19-20). Pro hoc labore possent adhiberi Instituta saecularia laicalia, vel laici Institutorum saecularium clericalium.

V. *Cumulatio beneficiorum et officiorum* (cann. 156, 1439).

Ius canonicum adversissimum semper fuit incompatibilium officiorum vel beneficiorum cumulationi, uti videre licet in fontibus ad calcem canonum supra citatorum. Codex disciplinam veterem retinuit adeo ut « concessio alterius officii a Sede Apostolica non valet, nisi in supplici libello mentio prioris incompatibilis habeatur, aut clausula derogatoria (in concessione) adiciatur » (can. 156 § 3); et, praeterea, « nullus clericus habilis sit ad acceptanda et retinenda sive in titulum sive in commendam perpetuam plura beneficia incompatibilia ad normam can. 156 » (can. 1439 § 1). Nihilominus, haec plaga tumens invadit coetus ecclesiasticos, Curia Romana non exclusa, quae si tolerata pergant, non leve malum corpori Ecclesiae inferet.

Non inutilem rem certe, Concilium faciet, si presse regulam traditionalem urgeat, restringens, quoad posse, eiusdem relaxationes, quae in exitialissimum usum et abusum faciliter vertunt.

VI. *Concilia Provincialia* (can. 283).

a) Horum Conciliorum fine considerato (can. 290), et, praesertim, Societatis condicionis praeproperis mutationibus, illorum *ventennalis* celebratio (can. 283) insufficiens prorsus apparet. Praefertur *decennalis*. Saltem frequentiores desiderantur *collatione*s Episcoporum suffraganeorum cum Metropolita (can. 292 § 1). In Italia, singulis annis habentur (S. C. Cons. 22 martii 1919, *A. A. S.* XI, 175). Cur non collationes huiusmodi *alternis saltem annis* celebrandae praecipiuntur?

VII. *Capitula Canonicorum* (can. 391 ss.).

Hoc institutum perantiquum et classicum in iure canonico, retinendum est saltem in ecclesiis cathedralibus, cum tribus propriis eorumdem officiis, nempe, ad divinum cultum in dictis ecclesiis, fovendum,

ad Episcopum, Sede plena, adiuvandum tamquam Senatus et Consilium, et ad eius vices supplendas, Sede vacante, in regimine dioecesis. Ad nova tamen tempora sunt adaequanda:

a) Reducendo choralem obligationem ad dies dominicas et ad festa de praecepto.

b) Conferendo canonicatus seminariorum professoribus, officialibus Curiae, directoribus operum dioecesanorum, etc.

c) Plenam dependentiam ab Episcopo affirmando, Capitulo tantum suffragium consultivum tribuendo etc.

Quod de aequandis novis temporibus Capitulis dicitur, universo Instituto beneficiali applicari debere censeo. Positis his principiis, Codicis revisoribus opus complendi Capitulorum reformationes relinquatur.

Pars secunda – *De religiosis*

I. *Confessarii Religiosarum* (can. 520, ss.).

Actualis disciplina de confessariis religiosarum funditus est reformanda. Data enim facilitate maxima religiosis feminis concessa domo exeundi et, singulariter, data libertate omnibus religiosis feminis facta, post explicitas declarationes Commissionis Authenticae Interpretationis Codicis ad can. 522, per quas tandem facultas eis recognoscitur advocandi quemcumque sacerdotem ab Episcopo loci approbatum pro mulieribus, et ipsi confitendi, quotiescumque eis visum fuerit (cf. resp. d. 28 dec. 1927, *A. A. S.* XX, 61), revera ratio confessariorum extraordinariorum (can. 521 § 1) et adiunctorum (ib. § 2) corruit, immo, ipsa necessitas specialis facultatis ad audiendas confessiones religiosarum can. 876 praescripta vix aut ne vix quidem, sensum amplius habet (cf. *Maroto* in Comm. pro Religiosis IX, 93 ss). Rebus sic stantibus, puto religiosis feminis expresse concedendam illam libertatem qua in Codice gaudent ceterae mulieres.

II. *Exemptio religiosorum* (can. 488, 2°, 615).

Religiosorum exemptio, etiam regularium, valde deminuta est in Codice (cf. *Goyeneche,* Quaestiones canonicae de iure religiosorum vol. I, pp. 59-69. Neapoli 1954, ubi recensentur omnes casus in quibus religiosi exempti, etiam regulares, subiecti sunt locorum Ordinariis); inde puto retinendam, quia ipsa non commoditati religiosorum inservit, sed bono universalis Ecclesiae et, praesertim, immediato servitio Romani Pontificis, primitus cedit uti abunde probari potest monumentis cano-

nicis et historicis. Nihilominus, salvo praescripto can. 497 § 2, firmanda videtur auctoritas Episcopalis ita ut leges vel mandata Episcoporum quae ad populi disciplinam et bonos mores fovendos et tutandos feruntur, sanctionesque irrogatae vel irrogandae contra illa delinquentes, etiam exemptos omnes religiosos afficiant, eosque Episcoporum potestati coercitivae subiciant; videtur etenim quod, profecto, hic valere debeat principium « locus regit actum ».

III. *Sanctiones religiosis saecularizatis* (can. 642).

Prohibitiones in hoc canone irrogatae eis qui ad normam iuris indultum saecularizationis et consequentem incardinationem dioecesi alicui, Episcopo volente, obtinuerunt, iustae non videntur. Saecularizatio enim legitime obtenta a S. Sede, non est delictuosa, hinc non debet puniri. Videant Ordinarii loci casus singulos, et consequenter operentur. Illa perpetua deminutio habilitatis ad munera ecclesiastica nimis gravis est, nec videtur plene iustificari.

IV. *Processus iudicialis in dimissione religiosorum exemptorum* (can. 654 ss.).

Supprimendus: est difficilis et *inutilis*: sufficit modus procedendi in dimittendis religiosis non exemptis (can. 649) qui, tametsi administrativus, satius praebet et superioribus plenam certitudinem causae dimissionis, idest, incorrigibilitatis religiosi dimittendi, et huic media efficacia defensionis; quae omnia tandem submittuntur definitivo iudicio S. C. de Religiosis (can. 650, § 2, 2°).

V. *Instituta Saecularia.*

Huiusmodi Institutorum maximopere Ordinariis locorum subiectio exigenda est, quia cum eorum membra vitam communem non agant (Const. « Provida Mater Ecclesia », 2 febr. 1947, art. II, § 1), sed singula in saeculo propriis professionibus civilibus incumbunt et hac ratione apostolatum « professionale » exercent, nemo non videt absolutam necessitatem ea invigilandi, tuendi, et, uti opus fuerit, opportune corrigendi, ne individualis et nimis libera activitas, in grave discrimen eorum vertat. Ad quod *valde necessaria apparet* plena subiectio auctoritati Ordinariorum loci. De hoc gravis admonitio Concilii non dabitur inutiliter, eo vel maxime quod Instituta Saecularia in dies multiplicantur.

Liber III

De rebus

Pars prima – *De Sacramentis*

I. *Usus linguae vulgaris in confectione et administratione Sacramentorum.*

Valde opportuna apparet, aliqua Concilii Oecumenici declaratio circa hanc satis vexatam quaestionem. Puto, *nunc,* absque periculo posse linguas vulgares adhiberi, in administratione baptismatis, confirmationis, extremae unctionis, celebratione matrimonii et administratione Sanctissimae Eucharistiae. Nihil prorsus innovandum in Ordinum collatione. Ad Missam quod attinet, *immutatur maneat usus linguae latinae a Praefatione usque ad Communionem sacerdotis.* Illae tamen admissiones fiant caute, ita ut *Ritualia omnia,* etiam in linguis exarata vulgaribus, *unice* a S. Sede edantur, *iisque solis* ministri utantur, ne in formulas variationes inducantur, quae errores doctrinae generare valeant, « cum forma orandi sit etiam forma credendi ».

II. *Instauratio Diaconatus autonomi.*

Non videntur aspernendae rationes quae militant pro instauratione *Diaconatus autonomi* ubi clerus deficit, praesertim vero in locis missionum. Diaconis istis committi posset cura ecclesiae, praedicatio ad populum, administratio sollemnis baptismi, eucharistiae, viatici, adsistentia matrimonio, specialis cura et instructio catechumenorum etc. Ordinationi praecedat necesse est specialis et apta institutio in scholis ad hoc exstructis seu erectis (cf. « Documentation Catholique », t. 56, 2 aug. 1959, col. 1007-1015).

III. *Abolitio reservationis peccatorum* (c. 893).

Quod factum est in Urbe Romae (cf. *Syn.* art. 63 § 3) fiat in mundo universo; haec reservatio Ordinario quae omni vi caret quoties legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit (can. 900, 2°), quaeque extra territorium reservantis non urget (ib. 3°), inutilis ferme videtur et contradictoria.

IV. *Defensio matrimonii* (can. 1014).

Gaudet matrimonium favore iuris, verum malitia et humana perversitas contra ipsum non adeo raro praevalet, sive ope simulationis con-

sensus, sive appositionis conditionum contractus resolutivarum. Proponerem: ut nullo modo admittatur ad accusandum vel ad denuntiandum matrimonium, et inde negetur *absolute* possibilitas illud impugnandi nisi de simulatione vel conditionum appositione documento inexcepibili constet. Si hoc documentum deficiat, standum est praesumptioni dati consensus ad normam can. 1086, et conditiones tamquam non adiectae sint considerandae (can. 1081). Quodsi matrimonium infelix resultet, concedatur, ad summum, coniugum separatio, minime declaratio nullitatis. Hac ratione huiusmodi plaga tumens aliquatenus minuetur et forsitan sanabitur.

Pars secunda – Sectio II – *De temporibus sacris*

I. *Abstinentia et ieiunium* (can. 1250).

Videtur antiquissimo et sacratissimo tempori Quadragesimae velut ablata substantia, si ieiunium penitus ab eo auferatur. Si tamen opportunum, datis temporibus, ieiunium prout est in Codice praescriptum, non pareat retinendum, unus saltem ieiunii dies in hebdomada, tempore Quadragesimae, ut minimum, praescribatur. Aliter liturgia huius temporis esset funditus reformanda.

Pars quarta – *De Magisterio ecclesiastico*

I. *Magisterium ecclesiasticum* (can. 1386).

Emollienda proponitur praescriptio huius canonis, vi cuius etiam ad edendos libros qui de rebus *profanis* tractent, vel ad scribendum in diariis, foliis et libellis periodicis *praevia licentia* Ordinarii requiratur, tum pro clericis saecularibus, tum pro religiosis. Ne quid nimis!

Liber IV

De processibus

Pars prima – Sectio I

I. *De tribunalibus Superioribus* (cann. 1594, 1598 etc.).

Optandum maxime est, ut nemo tribunali superiori praeponatur iudex, qui, praeter eximiam scientiam et iurisprudentiae peritiam, magistraturas inferiores per aliquod tempus non fuerit professus.

Pars tertia

I. *Suspensio ex informata conscientia* (can. 2186).

Videretur auferenda; nimis enim, uti liquet, favet Superioris arbitrio; est praeterea inhumanum et minus aequum ut quis non praemonitus, et inauditus suspendatur ab officio (cann. 2187, 2188); denique hic poenam aequari delicto non apparet, nam effectus suspensionis publici sunt, dum delictum, ex se, occultum uti fundamentum requiritur (can. 2191 § 1).

Liber V

De delictis et poenis

Pars secunda – *De poenis*

I. *Generalis animadversio.*

Est communis opinio systema poenale ecclesiasticum, reformatione indigere. Talem reformationem complere, nequit esse obiectum activitatis Concilii Oecumenici. Ab ipso tamen, sumere posset initium reformatio, si aliqua principia iam in tuto ponerentur sub quibus illa auspicata reformatio in futuro Codice poneretur. Noto aliqua:

a) Plus aequo in Codice superabundant poenae latae sententiae; quae tamen, si non declarentur in foro externo, plenos effectus non habent (cf. ex. gr. cann. 167, § 1, 2°; 765, 2°; 795, 2°; 1628 § 3; 1654, § 1, etc. etc.).

b) Nimiae etiam et complicatae sunt *reservationes* ex interferentiis fori interni et externi et ex diversis Superioribus potestate ab eis dispensandi vel absolvendi praeditis.

c) Saepius contra principium can. 2224, § 1 « ordinarie tot poenae sint quot delicta » poenae ecclesiasticae, licet materialiter unae sint, formaliter *plures sunt.* Sic ex. gr. remotio ab actibus legitimis ecclesiasticis (can. 2256, 2°), excommunicatio (can. 2259 ss.), interdictum (can. 2275), suspensio (can. 2279) etc. etc. Uno verbo, opus est ut systema poenale ecclesiasticum simplex, clarum, ac immediatum, unde eius efficacia melius resultet, fiat.

Quae omnia dicta sunt plena qua par est submissione atque salvo meliori praepositioni Concilii Oecumenici Praepositorum iudicio.

DE REFORMANDO CODICE I. C.

(A. Gutiérrez)

I. *Concilium et disciplina ecclesiastica.*

Ecclesia non indiget profundis reformationibus; potius quaestiones pastorales et organizationis erunt tractandae. Et cum Codicis reformatio facienda sit post Concilium sufficiet, si istud aliquas magnas quaestiones resolvit, et declarat veluti supremas normas directivas (gli indirizzi generali) quibus reformationes in revisione Codicis fieri poterunt. Secus periculum est ut Concilium fiat organum legislativum, quod vitandum est; esset in damnum Primatus R. Pontificis et impediret futuram evolutionem et libertatem Ecclesiae hierarchicae et libertatem actionis.

II. *Codex liturgicus* (can. 2).

Desideratur Codex liturgicus, simplificatus tamen in omnibus suis partibus.

III. *Leges prohibentes, irritantes, poenales* (can. 11).

An aliud systema oporteat adoptare: *a*) Ubi sufficiat irritatio actus vel inhabilitatio personae ad obtinendum effectum desideratum, poteritne tolli obligatio in conscientia? *b*) Ubi sufficiat comminatio alicuius privationis (poenalitatis) violantibus determinatas leges, poteritne tolli obligatio in conscientia?

Hac via, neque disciplina detrimentum patietur, quia, ut supponimus, illa remedia sufficiunt ad effectum desideratum obtinendum, et multae occasiones peccandi supprimerentur. Res tamen est magnae gravitatis; ideoque audiendi sunt optimi theologi, et tandem S. Officium.

IV. *De temporis supputatione* (can. 31-35).

Nonne possent utiliter simplificari normae de temporis supputatione?

V. *Officia et beneficia ecclesiastica* (can. 145 se., 1409 seq.).

Censeo reformandam esse disciplinam hac in re, nam feudalismum et medium aevum sapit, non amplius respondentia, quoad plura, nostro tempori.

VI. *Caelibatus ecclesiasticus* (can. 132).

Retinendus sive pro sacerdotibus sive pro diaconis et subdiaconis. Numquam dispensandus sacerdotibus (salvo c. 214); dispensandus diaconis, qui, facta probatione, noluit sacerdotium recipere (cf. infra, n. 7-8). Posset dispensare sacerdotibus incapacibus castitatis ex causa patologica bene comprobata iudicio v. gr. trium peritorum, etc.; non ex aliis causis. Imponatur examen medicum candidatorum.

VII. *Aetas ordinationis* (can. 975).

Ordinatio sacerdotalis ne fiat nisi intra 28-32 annos. Interea poterit conferri diaconatus cum ampla potestate quae iure divino non reservetur Ordini sacerdotali. Diaconi vero, si statum clericalem definitivum relinquant, poterunt dispensari ab omnibus obligationibus Ordini adnexis, non excluso caelibatu.

Ita, sacerdotes maturiores accedent ad presbyteratum, defectiones rariores evadent et salvabitur caelibatus sacerdotii catholici, quod non dispensaretur neque in casu reductionis ad statum laicalem, nisi ex causa patologica, ut dictum est sub n. 6.

VIII. *Diaconatus.*

1. Faverem sententiae proponenti diaconatum per longum tempus probationis (usque ad 28-32 annum), dispensabilem etiam quoad caelibatum (cfr. n. 7).

2. Non essem contrarius diaconatui ad vitam, seu qui non sit necessario via ad presbyteratum, cum caelibatu tamen. Neque lex aliqua hoc prohibet.

3. Non faverem diaconatui sine caelibatu, nec etiam in missionibus; potius concedi poterunt per viam indulti, etc. amplae facultates catechistis laicis, immo et ipsis concedi ordines minores, etiam ad vitam.

IX. *Vita communis clericorum saecularium* (can. 134).

Can. 134 compleri posset: « Consuetudo vitae communis inter clericos laudanda ac suadenda est, eaque, quantum fieri potest, ubi viget servanda, *ubi non viget inducenda* ». In magnis civitatibus, et in parvis (Vicariatibus foraneis) ubi habeantur viae communicationis, non erit difficilis, saltem pro multis. Applicari poterit nova lex iuvenibus clericis.

X. *De Curia Romana* (can. 242 seq.).

N.B. — Non est proprie materia conciliaris, quia adiuvat R. Pontificem in exercitio Primatus. Tamen pro casu quo a S. Pontifice aliquid Concilio proponatur, haec notarem.

I. In genere

1. Normae procedendi (can. 243) in via administrativa pro casu controversiae, non fuerunt reformatae inde a Normis S. Pii X, quae tamen in pluribus complendae videntur. Quoad modum expediendi negotia, plura tradidit Codex (De rescriptis, etc.), alia tamen utiliter tradi possent.

2. Mihi non videtur neque necessarium neque prudens instituere aliquam Congregationem specialem pro processibus administrativis agendis in quibuslibet materiis; periculum est ut adspectus gubernationis, quod bene persentiunt respectiva Dicasteria, parvipenderetur. Tamen censerem utile, aliquas normas generales dari, procedendi (processum summarium administrativum instituere):

a) in controversiis de negotiis mere privatis (iurium subiectivorum) quae ex partium consensu, ad auctoritatem gubernativam deferuntur;

b) in illis quae, licet magna ex parte intersunt boni publici, notabiliter etiam afficiunt privatum interesse (ut contigit in remotione parochorum...); quo in casu ipsa S. Congregatio, generatim, iudicavit an res tractanda sit in normali iudicio, an observato in sinu suo processu summario administrativo, an denique sine ullo processu sed de plano, auditis partibus et examinatis probationibus, resolvenda res sit.

3. Coetus ad resolvenda dubia de competentia (can. 245) « singulis vicibus designandus », difficulter constituitur; quare melius videretur « coetus permanens », distinctus utique a qualibet Congregatione. Posset ipsa Commissio Interpres, minime vero Signatura Apostolica; vel Congregatio coordinatrix, de qua infra, n. 5.

4. Desideraretur amplior « internationalizatio » Romanae Curiae; et

maior libertas assumendi officiales undique collectos, sed maiore rigore. In omnibus Dicasteriis valde utile esset sacerdotes saeculares et religiosos assumere.

5. Quoad coordinationes inter SS. Congregationes. — Excogitandum esset medium aptum.

1) Norma generalis ferri posset nihil decernendum vel faciendum cum charactere aliquo generali quod notabiliter possit tangere seu interesse, etsi indirecte, competentiam aliarum SS. CC., quin istae saltem consulantur; et simul.

2) Praevideri poterunt et ordinari Plenariae vere mixtae. — Congregatio mixta postulari poterit a qualibet S. Congregatione « interessata »; in casu dubii vel contestationis alterius Congregationis de iure petenti Congregationem mixtam, decidet Congregatio de competentia (cfr. modo dicta, n. 3).

3) Constitui posset quaedam veluti suprema Congregatio, composita ex omnibus Praefectis aliisque valde peritis, quae de hac coordinatione curet. Ad ipsam liceret singulis Congregationibus recurrere quoties non sufficiat remedium n. 1) et aliquid interest suae competentiae in activitate alius Congregationis. Huic super-Congregationi committi posset munus resolvendi dubia competentiae.

II. Quoad divisionem competentiae

1. Forsan S. Congregatio Concilii (mutato nomine) reduci posset ad disciplinam populi christiani (laici). Sacra Congregatio Consistorialis (mutato etiam nomine) assumeret totum clerum, episcopalem et infraepiscopalem saecularem; relicta forsan parte de constitutione, conservatione et statu diocesium, etc. alii S. Congregationi, puta sectioni speciali S. C. de Negotiis extraordinariis.

2. S. Congregatio de Religiosis in particulari. — *a*) Conservanda videtur unificatio circa Status perfectionis evangelicae (et haec S. C. posset recipere hoc nomen: *S. C. de Statibus perfectionis evangelicae*) sc. Religiones, Societates sine vòtis, Instituta saecularia, Associationes perfectionis evangelicae totalis seu quae recipiunt tria consilia generalia. Optimos attulit fructus.

b) Redeant ad S. C. de Religiosis pro negotiis vitae religiosae Religiones omnes quae ex concessionibus « multiplicatis » dependent a S. C. de Propaganda aliisve.

c) Quoties aliquod negotium religiosorum demandetur alii Congregationi, haec altera S. C. nihil cum charactere generali vel momentosum, etc. decernere queat nisi saltem collatis consiliis et audita S. C. de Religiosis, vel in Plenaria mixta discussum.

XI. *Ius missionale* (can. 293 sq.).

Unificandum esse videtur et aptius codificandum. — Hodie nimis deferri videtur voluntati S. C. de Propaganda Fide, saepe cum Missionariorum et Religionum missionariarum molestia. In codificatione paranda partem habere debent Religiones missionariae. Instructio anni 1929 recognoscenda esset et corrigenda. Collectio eleemosynarum non debet impediri per opera pontificia missionalia, usque dum Congregatio de Propaganda assumat omnes expensas Missionum et formationis missionariorum; quod neque possibile neque conveniens est.

XII. *De parocho et paroecia* (can. 462).

Ne augeantur seu multiplicentur functiones et ministeria paroecialia. Paroecia est pro *necessaria* cura animarum (can. 216 § 1). Cur paroecia debet omnia absorbere, « centralizzare »? Cur functiones sacerdotales non necessariae fidelibus sed supererogatoriae et ad melius esse seu ad fovendam pietatem, debent uni reservari, exclusis aliis sacerdotibus? Cur libertas fidelium hac in re supererogationis limitari debet? Potestne parochus ad omnia attendere? Estne capax una persona omnia sciendi, omnia ordinandi, omnia promovendi? Nonne est res optima, sancta aemulatio inter diversas ecclesias, saltem in rebus non necessariis? Sublata hac aemulatione, pax quidem statuitur, sed pax monopolii, quae non est bona regula gubernationis. Tale monopolium erit in bonum parochi et ecclesiae paroecialis, sed in damnum aliorum sacerdotum, necnon ecclesiarum, et in damnum fidelium.

Notetur quod parocho iam reservantur omnes fere functiones quae adnexum habent stipendium seu eleemosynam obligatoriam.

In apostolatu tamen locali, procuranda est coordinatio sub uno Episcopo (cfr. infra, n. 16).

XIII. *Status religiosus in genere et vocatio religiosa* (can. 487).

1. Solemniter declaretur excellentia status perfectionis in suis diversis formis, eius natura, elementa, functio in ecclesia, contra grassantem naturalismum et contra errores a SS. Pontificibus denuntiatos.

2. Declaretur etiam iterum libertas vocationis religiosae, libertas eas fovendi et colligendi, etc.

3. Conservetur clara distinctio inter statum religiosum et alias formas status perfectionis.

4. Adhortentur religiosi ad fidelitatem vocationi, austeritatem vitae individualis et collectivae, plenam obedientiam, zelum apostolicum, regularem observantiam...

XIV. *Exemptio et privilegia Regularium* (cann. 488, 2°; 613, 615).

1. *Quoad ordinem internum*: Ampla, immo totalis autonomia, est necessaria. Nihil innovandum.

2. *Quoad ordinem externum et apostolatus*: *a*) Delerem vocem « exemptio », magis autem « privilegium exemptionis », ut odiosam et minus exactam, etiam conservando rem ipsam; *b*) « Mare magnum privilegiorum » examinandum esset, et nostris temporibus accomodandum (fuit praeceptum ad publicationem Codicis, sed non fuit in praxim deductum examen).

Idem dicendum de *Congregationibus* ex privilegio exemptis.

In genere ecclesiae religiosorum omnium debent subdi Ordinario loci.

Examen tamen privilegiorum non debet fieri in Concilio, sed relinqui R. Pontifici, ut ipse concedat vel abroget prout opportunum iudicet ad bonum Religionum et universalis ecclesiae.

XV. *Congregationes clericales iuris pontificii non exemptae.*

Quoad ordinem internum debent esse « autonomae » non minus quam exempti. Proinde indigent « iurisdictione » pro illo ordine, quia tandem Superiores gubernant subditorum vitam religiosam, christianam et clericalem; et Religio vices facit dioecesis (cann. 111, 585). Potestas poenalis est necessaria. Quoad ordinem externum prosequuntur sub iurisdictione Episcoporum ad normam Codicis.

XVI. *Relationes inter Episcopos et Religiosos quoad apostolatum.*

1. *Quoad apostolatum characteris localis*: Salvo fine specifico uniuscuiusque Religionis a S. Sede praestituto, salva religiosa disciplina, quae non violatur sine damno religiosi et apostolatus, et salva lege seu contractu fundationis: *a*) Episcopi est coordinare opera et activitatem (characteris localis) religiosorum cum operibus et activitate aliorum in Dioecesi; et quidem absque acceptione personarum, prae oculis habito maiore animarum bono. In hoc aeque omnes sunt eius cooperatores; religiosi ipsi debent sinceram obedientiam. *b*) Episcopi est etiam definire modum, methodum, criteria, tempus... exercendi talem apostolatum. In his praevaleat eius iudicium « regulamentis » singularum Religionum. Magni tamen faciat Episcopus methodos proprias religiosorum, nam valorem et commodum habent experientiae et specializationis.

2. *Quoad apostolatum non stricte localem* (collegia, prelum, etc.); dependentia sit minus stricta. In hoc valde utiles erunt Conferentiae Religiosorum, Commissiones regionales mixtae, etc.

XVII. *De Associationibus Religiosorum.*

1. Associationes particulares conserventur et foveantur. In domo Domini, multae mansiones, multi spiritus..., salva unitate de qua infra. Nulla unio extinctiva, nulla absorptio ab A. C., nullum monopolium. Procuranda « conviventia ». Salvare varietatem in unitate et viceversa.

2. Sed in exercitio apostolatus localis coordinatio omnino procuranda est, et quidem sub Ordinario loci, unico, cum R. Pontifice in Diocesi Pastore. In regimine interno Associationum, servetur Codex Iuris Canonici.

3. Modus practicus coordinationis, praesertim ratione habita A. C. Duplex systema adoptari potest: *a*) Plures sint Associationes autonomae, ex quibus una sit A. C. localis (nam omnes Ass. pertinent et faciunt A. C. universalem); et activitas singularum coordinetur ab Episcopo seu Commissione Episcopali; haec Commissio poterit constare omnibus Directoribus singularium Associationum. *b*) Aut unica constituatur A. C. localis, constans omnibus Associationibus inter se foederatis tanquam sectionibus eiusdem A. C., sub Episcopo seu Commissione Episcopali.

XVIII. *Foederationes Monialium* (can. 488, 7°).

Obligentur Monasteria Monialium, sicut fecit Conc. Tridentinum cum Monasteriis hominum, ad efformandas foederationes, prout praevidentur in Const. Apost. *Sponsa Christi,* salvis iuribus Episcoporum in singula Monasteria.

XIX. *Novae fundationes* (can. 492 § 1).

Commendetur Episcopis ne novis fundationibus faciendis faciliter indulgeant, absque vera necessitate; sed potius opera utantur Religionum iam existentium. Suadeatur omnibus (sicut Synodus Romana) ne novas fundationes aggrediantur sine beneplacito Episcopi; qui beneplacitum non debeat concedere nisi ex vera necessitate et utilitate, et salva licentia S. Sedis ad erectionem postea faciendam. Quandoque loco Congregationis religiosae condi poterit Institutum saeculare.

XX. *Suppressio aliquarum Religionum.*

Suppressio est valde difficilis; tamen adsunt aliquae parum utiles Ecclesiae et forsan damnosae. Poterit tentare foederatio ipsarum, ita nempe ut singulae remaneant cum satis ampla autonomia, sed gubernentur ab unico Superiore centrali, habeant domus formationis communes, etc. Ita tandem fundentur in unum organismum magis vitalem et efficacem.

XXI. *Creatio novorum Ordinum cum votis sollemnibus.*

Praevideri posset creatio novorum Ordinum ab Apost. Sede, sicut in Codice Orientali, absque tamen exemptione ab Ordinariis locorum; et ad votum paupertatis quod attinet, vel dote constituta ad instar Monialium vel praevisione sociali futura bene constituta, vel admissa clausula reversibilitatis bonorum in casu eggressus, aut quid simile.

XXII. *Foederationes Religiosorum.*

Opportune commendarentur a Concilio quia possunt esse utilissimae sub multiplici respectu: vires uniuntur, caritas fovetur et cooperatio, optimum instrumentum S. Sedis et Hierarchiae etiam localis, dummodo bene intelligantur. Adsunt aliqua praeiudicia, sed infundata. Possunt esse verticales (Superiores maiorum sive hominum sive mulierum) et horizontales (secundum diversos apostolatus).

XXIII. *Adsistens religiosus pro Religionibus mulierum* (can. 500 § 3).

Puto esse valde utile, sicut fit pro Foederationibus Monialium. Unio etiam cum religionibus virorum, bene regulata, moderata et sub dependentia Superiorum maiorum, praesertim si Religiones sunt valde affines in spiritu vel in origine, etc. erit etiam valde utilis.

XXIV. *Moniales II Ordinis relate ad Ordinem I virorum* (can. 500 § 2).

Puto etiam convenientem esse restitutionem iurisdictionis Superioribus I Ordinis in Moniales II Ordinis. Debet tamen esse *valde moderata,* solis Superioribus maioribus concedenda, salva potestate Episcoporum saltem prout in Codice habetur pro Monasteriis dependentibus a Regularibus viris.

XXV. *Confessarii Religiosarum* (cann. 520-526; 876).

Conservetur principium can. 876 (necessitas specialis iurisdictionis ad *officium* confessarii), et legislatio can. 520 sq. Tantummodo supprimatur circumstantia loci in confessione occasionali tanquam conditio ad validitatem confessionis; et vel recipiatur formula Codicis Orientalis, vel simpliciter norma communis pro confessionibus mulierum.

XXVI. *Vota solemnia, vota simplicia* (can. 579 seq.).

Forsan differentia inter professionem solemnem et simplicem desumptam ex invaliditate vel illiceitate actuum contrariorum votis, esset suprimenda. Nonne a veris religiosis hodie potest exigi observatio votorum sub sanctione nullitatis actuum contrariorum? Logice illis qui per-

fectionem profitentur applicentur leges modo perfecto. Illa distinctio, ni fallor, sapit circumstantias historicas diversas ab hodiernis circumstantiis. Haec innovatio posset afficere vel non afficere extensionem seu ambitum votorum, prout melius videbitur (et revera innovatio implicite innuitur in Codice in verbis: Simplex professio... actus contrarios reddit illicitos, sed non invalidos, nisi aliud expresse cautum fuerit) (can. 579).

XXVII. *Votum simplex paupertatis* (can. 680).

Puto: *a*) Posse conservari tanquam minimum in hac materia ad obtinendum characterem « religiosum ». In domo Domini multae mansiones; et haec non est diruenda. *b*) Sed Religiones sunt ad meliora incitanda, applicandi frequentius clausulam Codicis fere obliteratam: « Quilibet professus a votis simplicibus, *nisi aliud in Constitutionibus cautum sit,* conservat proprietatem... et capacitatem. Limitetur proinde capacitas alia bona adquirendi diversis modis, immo permittatur renuntiare propriis bonis (omnibus vel parti), praesertim in adulta aetate, salva securitate futuri.

XXVIII. *De institutione Religiosorum* (cann. 587-591).

1. Specialis Commissio redigat hunc titulum iuxta Const. Apost. *Sedes Sapientiae,* ex ipsa recipiendo praecipuas et fundamentales normas. In particulari praecipiantur visitationes auctoritate S. Sedi periodice faciendae, adhibitis ex. gr. Foederationibus nationalibus Religiosorum.

2. Aliquid dicatur et praecipiatur de formatione laicorum Fratrum.

3. Item de formatione Religiosarum, praecipiendo « curriculum studiorum et formationis obligatorium », non secus ac pro clericis: sub aspectu spirituali, apostolico et technico.

XXIX. *Habitus Religiosarum* (can. 596).

Suadeatur simplificatio habitus religiosarum, manente forma prope talari, et capillis necnon lineamentis corporis sufficienter velatis.

XXX. *Obedientia religiosa.*

Verus conceptus declaretur, contra errores et tendentias hodiernas. Simul tamen exhortentur Superiores ad convenienter evolvendam « personalitatem » singulorum religiosorum in bonum ipsorum et Ecclesiae.

XXXI. *Excellentia vitae contemplativae* (can. 597).

Extollatur, vestigia prementes Pii XI (*Umbratilem*) et Pii XII (*Sponsa Christi*). Quaedam Congregationes religiosae possent faciliter assumere vota sollemnia et clausuram sic dictam papalem minorem, vel etiam minimam, cum magno fructu pro recollectione et vita orationis.

Ceterum nulla difficultas ut creentur Ordines mulierum centralizati; habemus exempla recentia optima.

XXXII. *Regimen et adaptatio Monialium* (can. 597).

Specialis Commissio redigat canones iuxta Normas Const. *Sponsa Christi,* praesertim circa constitutionem Foederationum et regimen ipsarum et circa clausuram maiorem et minorem (cfr. n. 31).

Aliqua de Sororibus externis possent etiam statui.

XXXIII. *De Ecclesiis Regularium* (can. 615).

Supprimi posset exemptio ecclesiarum Regularium. Revera est fere illusoria, quia iam ab Ordinario loci dependent in toto fere ministerio exercendo, cultu publico, praedicatione, confessionibus, etc. Praeterea Congregationes, absque speciali praeiudicio, non gaudent hac exemptione. Revera fideles sunt subditi Episcopi, non religiosorum; iustum est ut Ipse iurisdictionem habeat in sede cultus, praedicationis, etc.

XXXIV. *Processus dimissionis Regularium* (can. 654 seq.).

Processus dimissionis exemptorum utiliter in formam simpliciorem reduceretur; excessivum videtur obligatio observandi totum librum de processibus; eo vel magis quod clauditur actu administrativo, sc. decreto S. Congregationis.

XXXV. *In tractando et decernendo de statu religioso, praesertim clericali, haec prae oculis habeantur:*

1. Religiones sunt « institutiones pontificiae »; earum Superior supremus internus est ipse S. Pontifex; constituunt *clerum Papae* sub multiplici respectu, immo fundamentaliter sunt clerus Papae (cf. can. 499 § 1; 111; 585; 488, § 3; 618, etc.). Proinde non possunt et non debent tractari indiscriminatim ut clerus stricte et undequaque localis (seu dioecesanus, ut hodie plures intelligunt, minus recte), nisi pro ea tantum parte qua apostolatum stricte localem exercent.

2. Religionum functio seu finis in Ecclesia, ut plurimum est:

a) Contemplationis (et orationis et sacrificii pro Ecclesia).

b) Occupationis et expugnationis (di conquista, missione, etc.).

c) Apostolatus specializati, supererogationis, perfectionis (non utique exclusivum, relate ad clerum episcopalem).

d) Supplementi et complementi cleri episcopali seu sic dicti dioecesani.

3. Hinc, Religiones debent remanere liberae (magis quam sint hodie) ut de ipsis faciliter disponere possit S. Pontifex, et quidem ad duplicem scopum:

a) pro inceptis (imprese) characteris generalis, scil. in bonum Ecclesiae universalis vel alicuius regionis;

b) ad succurrendas ecclesias particulares indigentes, sine clero, periclitantes in fide, etc.

Est duplex functio Primatus, descripta in can. 218 §§ 1 et 2. Summus enim Pontifex indiget clero proprio, non solum qua Episcopus Romanae Dioecesis, sed qua Pastor universalis, et quidem pro illa duplici fundamentali functione Primatus: in bonum universalis Ecclesiae qua talis (can. 218 § 1), et in bonum singularium Ecclesiarum particularium, quarum est proprius et immediatus Pastor (can. 218 § 2) et Ordinarius loci (can. 198) non minus, immo magis quam singuli Episcopi.

4. Haec principia habent multas applicationes practicas, sive quoad autonomiam internam, ius colligendi et formandi vocationes, statuendi domos formationis ubique, etc. sive in ordine externo non stricte locali. Et dolendum quod quidam Episcopi videantur haec ignorare; et peius quod aliqua Dicasteria Romanae Curiae plus aequo forsan videantur indulgere localismo, vel statui religioso adversari, forsan in damnum Primatus cuius debent esse adiutores; aut si velis, potius viderentur Eum adiuvare in functione Pastoris singularum Ecclesiarum particularium, quam in alia Pastoris universalis.

XXXVI. *Instituta saecularia.*

Incorporentur Codici summa principia et normae de Institutis saecularibus iuxta *Provida Mater.* Concilium de ipsis convenienter agere poterit tractando de Statibus Perfectionis, nam professio status perfectionis etsi in mundo, *dat speciem* istis Institutis inter alias Associationes fidelium; et potius quam saecularitas, ponderanda est religiositas intrinseca seu theologica.

XXXVII. *De laicis in genere.*

Censeo non nimis indulgendum esse « laicologiae » in Iure Canonico. Ut plurimum sufficit magisterium ecclesiasticum quod diversas quaestiones morales, sociales, etc. *opportune tractat.* Concilium tamen convenienter has quaestiones sub adspectu morali, tractabit.

XXXVIII. *De fidelium associationibus* (can. 648).

Mihi videtur magis explicite agnoscendum esse ius associationis ad bonum finem perfectionis, caritatis, seu beneficentiae, immo et apostolatus in ambitu non proprie hierarchico seu organizato a Hierarchia, quin ad hoc sit necessarius interventus Episcopi vel Parochi, salva semper competentia Episcopi quoad fidem et mores. Implicite ius liberae asso-

ciationis recognoscitur in can. 684, explicite in quadam *corrientensi;* sed declaratio publica magis explicita, esset utilis ad centralismum parochorum moderandum. Loquimur de Associationibus quae non praetendant habere personalitatem moralem in Ecclesia in ordine iuridico, et poterunt organizari a Sacerdotibus, a laicis, a religiosis, etc.

XXXIX. *Actio Catholica.*

An opportunum vel praematurum sit adhuc codificare ius A. C., videant Patres. Sed puto, cum Pio XII, bene distinguendum esse inter A. C. *universalem,* ad quam proprie pertinent omnes Associationes fidelium quae apostolatum quovis modo in unione cum Ecclesia (Episcopo vel Papa) exercent, et A. C. *localem,* quae est *una* ex piis Associationibus fidelium. Nullo modo haec debet habere monopolium directionis, et omnes ipsi submitti. Associationes remaneant omnes autonomae (vel foederentur); earum tamen apostolatus coordinetur ab Episcopo vel Commissione episcopali; in hac poterunt participare omnes Directores Associationum singularium.

XL. *Associationes sacerdotales.*

Foveantur Associationes dioecesanae sacerdotales omne genus: ad mutuum iuvamen, ad perfectionem sive humanam et sacerdotalem simpliciter procurandam sive etiam perfectionis evangelicae totalis (Instituta saecularia sacerdotalia). Desideratur in Codice titulus de Associationibus sacerdotum saecularium. Neque eas Episcopi diffidenter inspiciant.

XLI. *Paroeciae Religiosorum* (can. 630).

A) Generatim paroeciae *non debent committi religiosis,* nisi Constitutiones expresse permittant; quia, ut alibi diximus (n. 35, 2), functio seu finis Religionum in Ecclesia ut plurimum: est

a) occupationis et expugnationis (di conquista), dum paroeciae sunt « circumscriptiones territoriales » (can. 216 § 1);

b) pro apostolatu specializato, supererogatorio, perfectionis seu ad melius esse in Ecclesia; dum paroeciae sunt pro apostolatu generico, et « pro *necessaria* animarum cura » (can. 216 § 1; 642);

c) pro supplemento et complemento cleri episcopalis seu sic dicti dioecesani.

Praeterea vita paroecialis incompatiblis est cum pluribus regulis disciplinae religiosae; religiosus enim parochus est veluti « semi-exclaustratus » (can. 630 § 1). Merito prohibentur paroeciae satis communiter in iure particulari religioso.

Consequenter sive Episcopis sive Superioribus potius suadendum

est ut paroeciae dentur clero saeculari; et nonnisi ex vera necessitate, religiosis.

B) *Modus*. Servetur modus in iure explicite praevisus, scil. unio pleno iure Communitati; hoc modo facta concessione paroeciae, respondet Communitas (immo Provincia vel Religio ipsa), conveniens habetur stabilitas et stimulus, Episcopus de provisione non debet curare et minuitur eius responsabilitas, etc. Poterit fieri « ad nutum S. Sedis », dummodo clausula non officia stabilitati necessariae et naturae unionis « pleno iure ». Bona paroeciae et Communitatis poterunt separari.

Alius modus, per simplicem commissionem Communitati, admittatur per exceptionem; et paretur formula contractus iusti ex utraque parte.

In quantum sit possibile ne conferantur paroeciae singulis religiosis.

C) Communitas paroecialis religiosa ita ordinetur ut disciplina et spiritus religiosus in quantum fieri possit salventur. *Sub hoc respectu* minus oportet ut Parochus sit simul Superior. Codex supponit utraque munera separata in pluribus canonibus. Certe « diarchia » est incommoda; sed hoc ipsum forsan demonstrat eius necessitatem, et ex ea potest obtineri iusta aequilibritas inter exigentias paroeciae et religiosae disciplinae. Proponerem ergo:

a) in Communitatibus parvis, dedicatis exclusive ministerio paroeciali, facilius poterunt cumulari duo munera in eadem persona;

b) in Communitatibus magnis, vel cum diversis ministeriis, hoc non oportet. Bonum esset constituere sectionem specialem ex personis addictis paroeciae, cum quodam vicario seu delegato unici Superioris, pro directo regimine illius sectionis, cum specialibus facultatibus, etc.

In protegenda disciplina et spiritu religioso, non minus debent incumbere Episcopi quam Superiores Religiosi; nam praesertim in religiosis, defectus spiritus et infidelitas propriae vocationi, est in grave damnum ministerii et animarum.

Plura alia suggerere vellem; sed spatium mihi concessum iam superavi.

DE NOVIS LEGIBUS CONDENDIS

(P. Tocanel)

De legibus

Meminerint Episcopi aliique Ordinarii se potius legum generalium exsecutores esse, quam legum particularium conditores. In condendis autem legibus particularibus prae oculis habere debent se non posse legibus generalibus derogare, nec aliquid contra leges particulares, constitutiones vel statuta a Sede Apostolica approbata statuere, nec iurium, privilegiorum ac indultorum ab eadem Apostolica Sede personis physicis aut moralibus concessorum legitimum impedire usum.

Quemadmodum Episcopi Galliae in Postulatu ad Concilium Vaticacanum I conclamabant: « Obruimur legibus », ita hodie immensum habemus aliarum super alia coacervatarum legum cumulum. Non quod legum multitudo constituat indicium de quo loquitur Tacitus: « Corruptissima Republica plurimae leges »; attamen, nec naturae nec fini Ecclesiae respondet, quia nimis complexam organizationem externam, onera nec necessaria nec utilia ab bonum spirituale fidelibus imponit, activitatem externam auget et consequenter vitam interiorem comminuit, plerumque confusionem creat, subditos lassos facit, reverentiam legibus debitam minuit, inobsequentias fovet, etc.

Altera ex parte novae leges plerumque conduntur non ad lacunas supplendas, nec ut melius consulatur animarum saluti et fini Ecclesiae consequendo, quatenus leges vigentes hodiernis exigentiis minus responderent; sed vel quia ius conditum nec servatur nec a Superioribus urgetur, vel ut prospiciatur uni alterive casui particulari, contra regulam quae dicit: « quod raro fit, non observant legislatores ».

Ideo Episcopi aliique Ordinarii vel Superiores curare debent imprimis ut leges generales seu praescripta Codicis Iuris Canonici adamussim observentur; eo vel magis quod uniformitas quoad disciplinam, legibus generalibus inductam, confirmat quodammodo Ecclesiae unitatem. Nec facile auditus iis praestari debent, qui dicunt Codicis praescripta non amplius hodiernis exigentiis respondere. Id enim dici potest de uno alterove canone, qui emendari et nostris temporibus accommodari debet; non vero de disciplina ecclesiastica generatim, quam perfecit Concilium Tridentinum et Codex fere ex integro refert. Tempora utique mutantur, sed disciplina, praesertim canones qui statum clericalem et religiosum respiciunt, non possunt mutari cum illis; nec leges ita mutari possunt, ut nullum imponant onus.

Cum leges generales non omnia ordinent, Legislatores infra Romanum Pontificem possunt leges particulares ferre, quibus melius consulatur bono animarum secundum loci temporumque conditiones. Eorum autem competentia legislativa limitatur ratione personarum quae vel eximuntur absolute, vel in nonnullis tantum subiciuntur, vel legibus a Superiore legislatore latis reguntur. Ita, v. g. Religiosi, etiam qui non sunt exempti ex iure vel privilegio, qui vel proprium habent legislatorem internum, vel speciali modo subiciuntur normis a S. Congr. de Religiosis latis, ideoque Episcopus vel Concilium provinciale aut plenarium non possunt dare leges contra statuta vel constitutiones ab Apostolica Sede approbatas. Ratione iurium et privilegiorum a Sede Apostolica personis physicis vel moralibus concessorum, quae a legislatoribus particularibus non possunt auferri vel impediri quoad legitimum usum, si in usu adhuc sunt nec revocata (can. 5).

Haud raro leges dioecesanae et statuta conciliorum pronvincialium vel plenarium limites competentiae legislatoris excedunt et iustitiam commutativam violant. Inde controversiae et recursus sine fine. Ideo, quoties Episcopi vel Concilia particularia leges aut decreta ferunt, quae directe vel indirecte Religiosos quoque afficiunt, expedit ut leges et decreta etiam a S. Congr. de Religiosis expendantur et recognoscantur.

De mediis apostolatus

Meminerint sacri Ministri Christum Dominum instituisse media ad finem Ecclesiae obtinendum; ideo nefas est moderna inventa in eorum locum substituere vel maioris momenti aestimare. Moderatus tamen usus sub vigilantiae auctoritatis ecclesiasticae et secundum normas ab eadem latas non prohibetur, immo commendatur.

Praecipua Ecclesiae media seu instrumenta ad fidelium sanctificationem idonea et necessaria, ideoque a sacris ministris adhibenda, ab ipso Christo Domino sunt Ecclesiae collata: talia sunt sacramenta, praedicatio et oratio, quibus alia accedunt ab Ecclesia iure constituta ad impetrandam gratiam maxime idonea, idest sacramentalia.

Porro, nemo est qui non videat quanti momenti sint pro apostolatu christiano moderna inventa, idest repraesentationes cinematographicae, televisio et radium. Etenim quemadmodum inimici Christi his instrumentis utuntur ut fidem et bonos mores corrumpant, ita ministri Christi his instrumentis uti possunt ut fideles instruant, pericula contra fidem et bonos mores repellant, etc.

Duo tamen mala, teste experientia, ex usu modernorum instrumentorum saepe proficiscuntur. Imprimis sacerdos qui his mediis utitur, ple-

rumque deest proprio officio, idest vel negligit, vel male adhibet media necessaria vel utilia a Christo Domino et ab Ecclesia constituta. Usus enim modernorum instrumentorum, etiam moderatus, laborem exigit diuturnum, ideoque sacerdos vix tempus sufficiens invenit ut confessiones rite excipiat, Breviarium digne ac devote recitet, orationi assidue instet, etc. Imo nonnulli putant paroeciam optime organizatam esse et se proprio muneri sat satisfecisse, si oecum habet pro repraesentationibus cinematographicis et televisivis.

Acta Apostolorum exemplum exhibent hac in materia sequendum. Apostoli enim, convocantes multitudinem discipulorum, dixerunt: « Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus ». Videtur quod hoc exemplum sit quam maxime ad rem. Parochus vel ecclesiae rector debet eligere virum laicum, alicui associationi ecclesiasticae adscriptum vel boni testimonii et prudentem, cui custodiam oeci et usum instrumentorum committat.

Sed, quod peius est, haud raro in oecis paroecialibus repraesentationes cinematographicae exhibentur quibus clericos interesse scandalo est, quaeque ad peccatum, saltem per accidens, alliciunt. Ideo Synodus Romana, art. 83, § 2, haec habet: Clerici, religiosi utriusque sexus, Institutorum saecularium sodales, omnes qui ad ecclesiasticam vel religiosam vitam contendunt, « vetantur etiam ad oecos accedere vel alia ludorum loca ab ecclesiastica Auctoritate pendentia vel probata, iis tantum exceptis quibus opportune ad hoc concessae sunt a Vicariatu veniae et facultates ».

Quam ob rem Episcopi aliique Ordinarii normas de usu modernorum instrumentorum dare et assidue invigilare debent ut sacri ministri ministerio pastorali proprie dicte instent, alia ex parte ne usus modernorum instrumentorum potius ad peccatum quam ad virtutem alliciant; numquam vero oeci paroeciales locentur personis quae repraesentationes cinematographica indiscriminatim exhibent. Praeterea expedit ut hac de re concilium plenarium vel saltem provinciale decreta edat.

De Missis vespertinis et sacra Communione

In omnibus ecclesiis et oratoriis, etiam semipublicis, quotidie una Missa vespertina celebrari potest. Sacra autem Communio iis tantum horis matutinis et vespertinis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri valet, nisi aliud rationabilis causa suadeat.

1. Teste experientia, maior fidelium numerus Missas vespertinas quam Missas matutinas frequentat. Immo Missas horis postmeridianis celebratas plerumque audiunt etiam personae quae hucusque numquam vel perraro Missis matutinis assistebant.

Porro, Pius XII, f. r., hanc innovationem introduxit non modo ut christifideles facilius praecepto de audiendo Sacro satisfacere, verum etiam ut Missae sacrificium ministerialiter offerre et uberiores fructus percipere possent.

Quam ob rem expedit ut in omnibus ecclesiis et oratoriis, tam publicis quam semipublicis, una Missa vespertina celebretur, et quidem non « certis diebus » tantum (Const. Christus Dominus, d. 9 ian. 1953, VI), sed quotidie; nec cum clausula: « si bonum spirituale notabilis partis christifidelium id postulet » (M. P. Sacram Communionem, d. 19 martii 1957), cum non semper sacerdos celebrans scire possit quot personae Missae mox celebrandae intersint; et a fortiori sacerdos non potest toties quoties licentiam ab Ordinario loci petere.

Ceterum, si mane Missae celebrari possunt, licet notabilis pars christifidelium non intersit, immo sufficit ut habeatur minister, nescitur cur horis postemeridianis una saltem Missa celebrari nequeat, nisi bonum spirituale notabilis partis christifidelium id postulet, idest nisi viginti saltem personae Missae voluntate et praesentia participent.

Postulatur, ergo, ut in omnibus ecclesiis et oratoriis una Missa vespertina celebrari queat absque Ordinarii loci licentia speciali vel semel pro semper data. Potest addi clausula: « dummodo in ecclesiis et oratoriis publicis, quae notabilis pars christifidelium mane frequentat Missae audiendae causa, una Missa etiam horis matutinis celebretur.

2. Praeterea compertum est ampliorem christifidelium numerum ad s. Synaxim accedere horis postmeridianis, etiam intra hebdomadam, quia mane generatim vix e somno excitantur, tot negotiis operam dare debent, ut Missae interesse et S. Communionem recipere nequeant. E contra, horis postmeridianis, a maioribus occupationibus expediti, facilius possunt ad s. Synaxim accedere.

Porro, prima concessio sat restricta comprobata est. Etenim, christifideles poterant s. Communionem recipere infra Missam vespertinam vel proxime ante vel statim post (Instr. S. Officii const. Christus Dominus adnexa). Missa enim vespertina una tantum celebrari potest, et plerumque celebratur hora quando plerique interesse et ad s. Synaxim nequeunt.

Ideo optimo consilio modo S. Congr. S. Officii respondet quaestioni: utrum s. Communio distribui possit horis postmeridianis etiam independenter a Missae celebratione, ideoque non modo in ecclesia vel ora-

torio in quo Missa vespertina celebratur, verum etiam in ecclesiis et oratoriis in quibus Ss.mum Sacramentum asservatur. Respondet quidem « affirmative », sed conditiones postulat quae s. Communionis distributionem sat coarctant.

Exigitur enim ut s. Communio independenter a Missae celebratione distribuatur « ab bonum commune fidelium », idest « si bonum spirituale notabilis partis christifidelium id postulet »; ideoque non potest s. Communio distribui uni vel alteri petenti. Praeterea requiritur ut loco Missae alia sacra functio, ab ipso loci Ordinario determinanda, celebretur, et infra hanc functionem vel proxime ante et statim post s. Communio distribuatur.

Porro, si horis matutinis s. Communio independenter a Missae celebratione distribui potest omnibus legitime petentibus et absque speciali functione sacra, non videtur cur id fieri nequeat horis postmeridianis. Praeterea, primo obtutu concessio videtur valere dumtaxat pro ecclesiis vel oratoriis in quibus Missa vespertina non celebratur. Immo, sacerdos semel tantum sacram functionem et s. Communionem administrare potest; ideoque personae quae nec Missae vespertinae, nec sacrae functioni interesse potuerint, ad s. Synaxim postea accedere nequeunt, licet agatur de notabili parte fidelium; vel sacerdos toties sacras functiones celebrare deberet et s. Communionem distribuere, quoties horis vespertinis notabilis fidelium pars ad s. Synaxim accedere cupit, quod non videtur respondere menti S. Congr. S. Officii.

Cum ergo mens S. Sedis sit fovere accessum christifidelium ad s. Synaxim; cum praecipuum pastorum munus sit administrare sacramenta, idest audire confessiones et distribuere s. Communionem , expedire videtur ut norma definitiva, clara et facilis, uti proponitur, statuatur. Consequenter exceptio: « nisi aliud rationabilis causa suadeat », de qua in can. 867 § 4, non deberet afficere horas vespertinas, quibus Missae sacrificium offerri valet, sed tempus sive matutinum sive vespertinum in quo Missae sacrificium celebrari nequit.

De cooperatione inter clerum saecularem et religiosum

Ministerium clericorum saecularium et religiosorum ita ab Ordinariis locorum et Superioribus coordinari debet, ut ex una parte melius consulatur populi necessitatibus spiritualibus secundum conditiones nostrorum temporum; alia ex parte tamen integra maneant disciplina religiosa ad normam Constitutionum, necnon iura et privilegia ab Apostolica Sede religiosis concessa.

Ratione status, clerici saeculares sacro ministerio operam dare de-

bent; religiosi autem, sive clerici sive laici, ad evangelicam perfectionem secundum proprias Constitutiones tendere debent (cann. 487, 488 n. 1). Attamen status religiosus non est incompatibilis cum sacro ministerio; ideo ab Ecclesiae incunabulis usque ad nostra tempora religiosi, praesertim sacerdotes, sacro ministerio semper incubuerunt. Novissimis vero istis temporibus Sedes Apostolica speciales dedit normas de religiosorum institutione apostolica et pastorali (Cons. Sedes Sapientiae et adnexa Statuta Generalia).

Porro, ut clerus saecularis et religiosi, viribus unitis efficacius valeant adlaborare pro animarum salute, et inimicorum Sanctae Ecclesiae impetum propulsare, eorum opera ita ab Ordinariis locorum et Superioribus coordinari debent secundum locorum et personarum exigentias, ut integra maneant iura, officia et privilegia status religiosi, praesertim religiosa disciplina. Ideo Supremus Legislator, dum commendat ut religiosi libenter ministerium praestent cum requiritur ad consulendum populi necessitati, et vicissim locorum Ordinarii ac parochi libenter opera religiosorum utantur, consulto addit: « salva religiosa disciplina », quae est fundamentum status religiosi (cann. 608 et 1334).

Perperam nonnulli putant coordinationem apostolatus clerum saecularem inter et religiosos fieri non posse cum hac clausula, vel religiosorum iura ac privilegia, maxime privilegium exemptionis sacro ministerio impedimento esse seu afferre locorum Ordinariis impedimentum apostolatui coordinando. Ideo alii petunt ut privilegium exemptionis revocetur, alii de religiosorum opera disponere volunt independenter ab auctoritate Superiorum, alii nolunt de religiosis audire, alii nolunt religiosorum privilegia recognoscere, etc.

Exemptio tamen, quatenus dicit libertatem a iurisdictione Ordinarii loci et subiectionem Romano Pontifici et Superioribus internis, in se non est nisi autonomia qualificata. Autonomia enim quoad regimen internum et religiosam disciplinam est elementum essentiale cuiuslibet status religiosi. Haec autonomia in religionibus clericalibus exigit, tamquam notam connaturalem, iurisdictionem in Superioribus. Ideo institutum exemptionis ab antiquo in Ecclesia tam Latina quam Orientali invenitur.

Non opponitur iurisdictioni Ordinarii loci, nam hic iurisdictionem non habet a Deo, sed ex missione canonica (can. 109); ideo Summus Pontifex potest eximere ab iurisdictione Ordinariorum locorum sive personas sive loca, sive res seu causas, ut decursu saeculorum fecit. Praeterea, exemptionis utilitas, ait Gregorius XVI, « ecclesiasticis sanctionibus, longaque saeculorum plurium experientia, et vel ipso haere-

ticorum et incredulorum in illam odio comprobata est ». Per exemptionem enim consulitur unitati et disciplinae vitae religiosae, nam ideo Romani Pontifices religiosos ab iurisdictione Ordinariorum locorum eximerunt, dicit Leo XIII, « quo melius in religiosis ordinibus omnia essent inter se apta atque connexa, ac sodales singuli pacato et aequabili vitae cursu uterentur; denique ut esset incremento et perfectioni religiosae conversationis consultum »; consulitur bono dioeceseon et bono totius Ecclesiae, quia ex una parte liberat Ordinarium loci a molesta sollicitudine et cura, stimulat fervorem ac zelum utriusque cleri, ex alia parte Superiores libere possunt missionarios ubique mittere; consulitur dignitati et decori Sedis Apostolicae, cuius summum imperium et immediatam potestatem in omnes christifideles religiosi exempti luculenter testantur, et si qua parte impugnetur, iidem sunt illius potestatis veluti nati assertores et defensores.

Ceterum, religiosorum exemptio, prout in Codice I. C. aut indultis particularibus conceditur, sat moderata est; nec afficit ea quae curam animarum officialem respiciunt. Equidem, religiosi exempti indigent consensu, vel licentia, vel approbatione Ordinarii loci ut domum et ecclesias vel oratoria publica erigant (can. 497, 1162 § 4), sacram concionem ad populum habeant (cann. 1339 et 1340), libros typis tradant (cann. 1386 et 1390), confessiones saecularium audiunt (can. 874), etc. Ordinarius loci potest praecipere ut religiosi exempti orationes imperatas in Missa recitent, pontificalia in ecclesiis exemptis peragere (can. 337). leges quoad cultum divinum ad normam can. 1261 etiam exemptis imponere, auxilium ad catecheticam populi institutionem sine tamen regularis disciplinae detrimento exigere (can. 1334), etc. Ideo nulla immutatio quoad religiosorum exemptionem necessaria apparet; et, ut vitentur conflictus, sufficit ut ab utraque parte leges ecclesiasticae generales et Sedis Apostolicae concessiones speciales reverenter serventur.

Cum tot beneficia ex religiosorum praesentia dioecesi et Ecclesiae universae obveniant, non intelligitur cur in nonnullis locis erectio domorum religiosarum impediatur. Inimici Sanctae Ecclesiae timent praesentiam religiosorum, ideoque, cum supremum principatum in aliqua natione obtinent, statim Ordines et Congregationes religiosas supprimunt, quia probe cognoscunt momentum vitae religiosae quoad educationem iuventutis, defensionem iurium Ecclesiae, fidelitatem erga Romanum Pontificem, etc. Ideo Ordinarii locorum tot domus religiosas in propria dioecesi erigere vel ut erigantur curare debent, quot inimici nominis christiani nidos struunt; horum praesentiam timere debent, non religiosorum.

Nonnulli conqueruntur de religiosorum privilegiis, praesertim de privilegio exemptionis. At Sedes Apostolica, sicut omnibus coetibus clericorum saecularium decursu temporum plura dedit privilegia, ita Ordinibus et Congregationibus religiosis specialia concessit privilegia et indulta remuneratoria. Equidem, religiosi « sorsero i primi a strappare le nazioni dall'ombra del paganesimo e della barbarie, per condurle alla luce della fede cristiana e ai benefici della civiltà. Non è troppo l'asserire che poche nazioni del mondo moderno sono state convertite al Cristianesimo e ammaestrate nelle arti pacifiche, senza che ciò sia avvenuto per mezzo del Monachismo » (Gasquet, Saggio storico della costitutione monastica, Roma, 1912, p. 5). Hoc testatur etiam longa series Martyrum ex Japonia, Asia, Africa et America. Praecipuum meritum et quoad fidei propagationem et quoad scientiarum ecclesiasticarum incrementum habent Ordines Mendicantes; ideo Romani Pontifices merito eorum operam immortalem amplissimis affecerunt praemiis.

Ergo, nec maior cooperatio inter clerum saecularem et religiosos, ad apostolatum quod attinet, nec particulares abusus ex una vel alia parte exigunt ut leges mutentur et religiosorum iura ac privilegia revocentur. Religiosi semper apostolatui operam navarunt atque etiam hodie ubique nimis nonnumquam impendunt. Si Ordinarii locorum volunt de eorum opera libere disponere seu independenter ab autonomia et disciplina religiosa, ideoque cum necessario disciplinae regularis detrimento, actum esset de statu religioso; religiosi ad statum clericorum saecularium reducerentur.

FACULTAS PHILOSOPHICA

DE DOCTRINA S. THOMAE AQUINATIS MAGIS IN DIES AMANDA ATQUE TRADENDA

(H. Degl'Innocenti, O. P.)

Neminem latet quanti Ecclesia fecerit et faciat doctrinam S. Thomae. Ab Innocentio VI (1352-1362), Urbano V (1362-1370), S. Pio V (1566-1572) qui S. Thomam universalis Ecclesiae Doctorem declaravit, Clemente VIII (1592-1605), Paulo V (1605-1621); Pio IX (1846-1878); Leone XIII (1878-1903), praecipue in Enc. *Aeterni Patris*; S. Pio X (1903-1914) in Enc. *Pascendi*; Benedicto XV (1914-1922); Pio XI (1922-1939); Pio XII (1939-1958) in Enc. *Humani generis*, S. Ecclesia non destitit laudare, commendare S. Thomam, eiusque doctrinam omnibus suis filiis proponere et Clericis etiam imponere (*C.I.C.*, can. 1366, § 2); ita ut Benedictus XV asserere potuerit: « Thomae doctrinam Ecclesia suam propriam edixit esse » (Enc. *Fausto appetente,* die 29 iunii 1921; *A.A.S.,* 13 [1921], 332). Nullum igitur dubium quin Ecclesia velit thomismum in sua genuina plenitudine ubique vigere.

Horum omnium rationem aperte reddit Pius XII in Enc. *Humani generis* ubi dicit « (Ecclesia) plurium saeculorum experientia probe noscit Aquinatis methodum ac rationem sive in tironibus erudiendis, sive in absconditis veritatibus pervestigandis singulari praestantia eminere; ipsius autem doctrinam eum divina revelatione quasi quodam concentu consonare, atque ad fidei fundamento in tuto collocando efficacissimam esse, necnon ad sanae progressionis fructus utiliter ac secure colligendos » (*A.A.S.,* 42 [1950], p. 573).

Summa enim res hic agitur. Nam, ut aiebat idem Pius XII ad eos qui interfuerunt tertio Thomistico Internationali Conventui Romae celebrato a. 1950, « Magni momenti profecto et instans causa vos coegit: de coniunctionibus enim tractastis quae inter catholicam fidem et rectam rationem, inter hodiernam philosophiam et christianam religionem intercedunt. Quo super argumento Encyclicas Litteras *Humani generis* scitis nuper a Nobis editas esse. Hae vobis disputantibus et edisserentibus tutum iter innuerunt, *praelucente veluti radiantissimo sole S. Thomae Aquinatis doctrina.*

Profecto philosophia perennis immensae molis opus est, ad quod extruendum, a providentissimo Dei numine excitata per saeculorum decursum lectissima ingenia, flos sapientiae, elaborarunt; eademque,

perpetua pollens iuventa, nunc quoque robusta virescit et variarum disciplinarum incrementis semper patet et prodest, sive cum res physicae altius sunt indagandae, sive cum rerum gestarum memoria considerantius est tradenda, sive cum critica methodus accuratius instruenda est. At vero inter omnes scholasticae philosophiae cultores Sancto Thomae *incomparabilis palma* reservatur, ipseque principem occupat locum. Veritatis unice amator, is quanta reverentia, quam quidem veritas poscit, res penitus intelligendos considerat, facta rimatur, litteras et documenta, e quibus acta dictaque explorantur, investigat. Quam apta est ipsi in disquisitionibus partium dispositio, quam firmum argumentorum robur et lucida dicendi proprietas! Victrici fortitudine, quam mentis celsitas parit, ad conclusiones progreditur; metaphysica principia, quae sunt omnibus aetatibus commune christianae sapientiae patrimonium, usque ad extrema consectaria placide et tuto enucleando deducit » (*A.A.S.,* 42 [1950], pp. 734-735). Haec de philosophia generatim sunt dicta; de harmonia fidei et rationis, quae sequuntur adiungit Summus Pontifex: « Hoc sane indubium: quantum caelum supereminet terras, tantum Divinae Revelationis vera supergrediuntur humanae mentis vires: illa his celsiora sunt, at minime quidem adversantur et repugnant; supra sunt, non contra. S. Thomas autem mira quadam alacritate hominis intelligentiam, nimio illo fulgore quasi haesitantem et suspensam, in templum mysteriorum Dei introducit, et argumentationis arte quaestiones exsolvens, efficit ut inter se divinarum et humanarum rerum convenientia resplendeat et appareat. Nunc quoque quam acris ardeat certatio in stabiliendis rationibus quae inter fidem et humano lumine haustas doctrinas mutuae sunt, supra memoratae Nostrae Encyclicae Litterae demonstrant, quas quidem hoc consilio et proposito ducti edidimus, ut catholicae fidei depositum integrum, illaesum et indemne servetur. Quas Nos illic attingimus quaestiones, inter vos ac postea studiosae iuventuti, cui vacatis, pertractate, nullo non tempore obtemperantes afflatui, quo Angelicus Doctor vera perdidicit, summo nempe nisu intelligentiae ac religiosa pietate. Pertractate, eius methodo insistentes, qua semper is sententiarum continentiam et limites definit, sine inutili verborum effluentia, sed sobrio et solido sermone, illa claritate perspicuus, qua tum ipse, tum scholasticae philosophiae doctores aurea sua aetate enituerunt, atque Ecclesiam et scientiarum fines suo lumine collustrarunt » (ibid., p. 735).

At non omnes qua par est reverentia, studio et amore, colunt ac prosequuntur philosophiam scholasticam in genere, et thomisticam in specie. Quo Pius XII aperte denuntiat: « Hac de causa quam maxime deplorandum est philosophiam in Ecclesia receptam ac agnitam, hodie a nonnullis despectui haberi, ita ut antiquata quoad formam, rationalistica,

ut aiunt, quoad cogitandi processum, impudenter renuntietur. Dictitant enim hanc nostram philosophiam perperam opinionem tueri metaphysicam absolute veram exsistere posse; dum contra asseverant res, praesertim transcendentes, non aptius exprimi posse quam disparatis doctrinis quae sese mutuo compleant, quamvis sibi invicem quodammodo opponuntur. Quare philosophiam nostris traditam scholis, cum sua lucida quaestionum descriptione ac solutione, cum accurata sua notionum determinatione clarisque distinctionibus, utilem quidem esse posse concedunt ad propedeusim scholasticae theologiae, mentibus hominum medii aevi egregie accommodatam; non tamen praebere philosophandi rationem quae hodiernae nostrae culturae ac necessitatibus respondeat. Opponunt deinde philosophiam perennem nonnisi philosophiam immutabilium essentiarum esse, dum hodierna mens ad « exsistentiam singulorum spectet necesse est et ad vitam semper fluentem. Dum vero hanc philosophiam despiciunt, alias extollunt sive antiquas, sive recentes, sive Orientis sive Occidentis populorum ita ut in animos, insinuare videantur quamlibet philosophiam vel opinationem, quibusdam additis, si opus fuerit, correctionibus vel complementis, cum dogmate catholico componi posse; quod quidem falsum omnino esse, cum praesertim de commentis illis agatur quae vel " immanentismum " vocant, vel " idealismum ", vel materialismum sive historicum sive dialecticum, ac vel etiam " exsistentialismum " sive atheismum profitentem, sive saltem valoris ratiocinii metaphysici adversantem, catholicus nemo in dubium revocare potest » (ibid., pp. 573-574).

Quam vere ista dicantur quotidiana experientia docet. Non pauci catholici, qui haud amplius in philosophiam credere videntur, historiae philosophiae fere unice incumbunt; alii meliores partes temporis et ingenii modernae philosophiae tribuunt, christiana philosophia quasi neglecta; auctoribusque extraneis peregrinisque doctrinis exponendis sudant, dum nostros auctores solidamque perennem philosophiam ignorant aut parvi faciunt. Et ideo quam maxime concurrunt ad philosophiam, quam aliunde aberrantem proclamant, evulgandam, conservandam, solidandam. Certe debemus esse moderni, filii temporis et culturae nostrae, et sicut prudentes medici, non solum pharmaca salutaria sed et perniciosa venena cognoscere quo melius ea vitare ac reicere valeamus. Sed non est obliviscendum errores longe melius detegi ac profligari studio ac expositione veritatis quam directa errorum confutatione. Multo melius est positive construere quam negative aërem verberare. Catholici omnes et praecipue studiosae iuventutis magistri, ac doctores tam laici quam clerici, non inopportune neque inutiliter monebuntur ne talibus insidiis cedant neve plus sese erroribus immisceant quam de veritate congaudeant.

Sicut lux sola sua praesentia tenebras fugat, ita veritas, quae lucem intellectualem audit, suo motivo robore erroris tenebras dissolvit. Necesse est fidere veritati, veritas liberabit nos.

Aquinas ipse, qui iuxta Pium XI erat « mirifice factus ad philosophandum » (Enc. *Studiorum Ducem,* die 29 iunii 1923; *A.A.S.* 15 [1923], 318), haec docet: « Studium philosophiae non est ad hoc quod sciatur quid *homines* senserint, sed qualiter se habeat *veritas* rerum » (*In I de Caelo et Mundo,* lect. 22, n. 8). « Non enim — pergit idem S. Thomas — pertinet ad perfectionem intellectus mei quid tu velis vel quid tu intelligas cognoscere, sed solum quid *rei veritas* habeat » (I q. 107, a. 2).

Porro, si errare humanum est, qui turpius errant sunt philosophi, aiente Cicerone: « Nihil tam absurde dici potest quod non dicatur ab aliquo philosophorum » (*De divinatione,* II, 58, 119). « Inter autem alios errores — notat S. Thomas — *indecentior* videtur esse error quo circa intellectum erratur, per quem nati sumus devitatis erroribus cognoscere veritatem » (*De unitate intellectus contra Averroistas,* in proemio). Nil igitur melius contra philosophicos errores quam doctrina S. Thomae, nam — ut aliquando dixit Pius XI — « *non verrà mai meno il valore della dottrina tomistica,* perchè bisognerebbe che venisse meno il valore delle cose » (*Allocutio ad studentes universitarios,* mense februario 1927; cf. « Angelicum », 6 [1929], p. 10).

Idem immo a fortiori, valet de Sacra Theologia, quia si Aquinas est magnum in philosophia, est certe maximus in Theologia, omnibus consentientibus. Non est dubitandum — inquit S. P. Pius XI in Enc. *Studiorum ducem* — « quin ad summum dignitatis culmen evecta Theologia sit per Aquinatem » (*A.A.S.* 15 [1923], 317).

Atqui etiam contra Theologiam, speciatim S. Thomae, paucis abhinc annis pugnatum est. Testis est immortalis memoriae Pius XII: « Plura dicta sunt, at non satis explorata ratione, " de nova theologia " quae cum universis semper volventibus rebus, una volvatur, semper itura, numquam perventura. Si talis opinio amplectenda esse videatur, quid fiet de numquam immutandis catholicis dogmatibus, quid de fidei unitate et stabilitate? » (ex *Allocutione* ad Patres S. I. in XXIX Congregatione electores, die 17 sept. 1946; *A.A.S.,* 38 [1946], 384-385). Et in Allocutione ad Patres delegatos ad Capitulum Generale Ord. Praed., die 22 sept. 1946, haec praeclare pronuntiat: « Ipsi, qui theologiae et philosophiae excolendis semper praecipuum locum addixistis: *S. Thomam Aquinatem, harum disciplinarum communem Magistrum,* Ecclesiae dedistis, *cuius* sive in tironibus erudiendis, sive in absconditorum verorum investigatoribus porro ducendis, *singularis est auctoritas,* ipso in Codice

Iuris Canonici decretorio modo asserta: « Philosophiae rationalis ac theologiae studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Angelici Doctoris *rationem, doctrinam* et *principia;* eaque sancte teneant » (can. 1366, § 2). « Quod quidem *praescriptum* — pergit S. P. — quanti faciendum sit, decessorum Nostrorum consilia vestigiaque secuti, alias animadvertimus... *Nunc* vero agitur de ipsis *philosophiae perennis et theologiae fundamentis,* quae quaelibet ratio et disciplina, re ac nomine catholica aestimanda, agnoscit et veretur: agitur *de scientia et fide,* de earum natura et mutua ratione; agitur de ipsa fidei basi, quam nullum censurae iudicium labefactet; agitur *de veris a Deo patefactis,* an nempe mentis acies ea certis notionibus penetrare atque ex eis ulteriora colligere possit. Paucis dicimus: de hac re quaeritur, an videlicet *quod S. Thomas aedificavit,* ultra et super quodlibet tempus una compositis et compactis elementis, quae omnium temporum christianae sapientiae cultores suppeditaverant, *solida rupe innitatur, perpetuo vigeat et valeat, catholicae fidei depositum efficaci praesidio etiam nunc tueatur,* novis quoque theologiae et philosophiae progressibus *securo* usui et moderamini sit.

Id sane Ecclesia asserit, cum id sibi persuasum habeat hoc itinere ad veritatem cognoscendam et solidandam tuto procedi » (*A.A.S.* 38 [1946], 387-388).

Quid autem valeat S. Thomas eiusque doctrina contra modernas a veritate aberrationes, paucis iisdemque optimis ita complectitur Pius XI: « Deinde ad errores effugiendos, in quibus omnium huius temporis miseriarum fons est et caput, religiosius quam umquam alias, est in Aquinatis institutione consistendum. Omnino enim modernistarum in omni genere Thomas opinionum commenta convincit; in philosophia vim et potestatem humanae intelligentiae, ut memoravimus, tuendo, firmissimisque argumentis Deum esse probando; in re dogmatica supernaturalem a naturae ordine discriminando causasque credendi et ipsa dogmata illustrando; in theologia omnia quae fide creduntur non in opinione niti sed in veritate, eademque immutari non posse ostendendo; in re biblica genuinam divinae inspirationis notionem tradendo; in disciplina morum, in re sociali et in iure recte principia ponendo de iustita legali aut de sociali itemque de commutativa aut de distributiva, et quae iustitiae cum caritate sint rationes explicando in ascetica de christianae vitae perfectione praecipiendo, atque etiam aequalis suis temporibus adversarios religiosorum ordinum oppugnando. Denique contra illam quae vulgo iactari solet, rationis humanae a Deo solutam libertatem, Noster primae veritatis iura summique Domini in nos auctoritatem affirmat. Hinc

apparet satis esse causae quamobrem Modernistas nullum Ecclesiae Doctorem tam metuant quam Thomam Aquinatem.

Quemadmodum igitur olim Aegyptiis in summa annonae caritate dictum est *Ite ad Ioseph,* a quo sibi ad alendum corpus frumenti suppeditaretur copia, ita iis, quotquot sunt in desiderio veritatis, *Ite ad Thomam* Nos dicimus, ut ab eo sanae doctrinae pabulum, quo affluit, in sempiternam suorum animorum vitam petant ».

Denique idem S. P., iterum iterumque inculcatis amore ac sequela S. Thomae, ita concludit: « Atque ad hanc normam ita se omnes gerant ut *eum* ipsi *suum vere possint appellare magistrum* » (*A.A.S.* 15 [1923], 309-324).

Redeamus igitur ad S. Thomam eiusque inextinguibiles thesauros aperta mente patuloque corde, nec umquam sinamus ut tanto Doctore tantaque doctrina in oblivionem traditis, ad infectos latices sitim veritatis extinguamus, in quibus non vitam sed omnium miserrimam mortem inveniremus.

DE ACTUALITATE DOCTRINAE S. THOMAE AQUINATIS VINDICANDA AD REM METAPHYSICAM QUOD ATTINET

(G. Giannini)

Affirmatio, quae « actualitatem » alicuius philosophi respicit, diverso modo intelligi potest: uno autem modo, eo sensu intelligitur ut philosophus veluti tempora quodammodo antecesserit, eorum problematum solutionem aggrediens quae tantum posteriore tempore ad plenam et reflexam sui positionem pervenerunt; altero autem modo, ut scilicet fiat relatio ad virtualitatem principiorum suae cogitationis, quae ostenditur tamquam comprehensiva solutionis posteriorum problematum.

Actualitas, quae philosophiae S. Thomae Aquinatis nobis agnoscenda videtur, potius huic secundo quam primo modo pertinet, etsi negari nequeat elementa non pauca, quae primum modum ingrediuntur, continere. Hac autem animadversione nihil aliud exprimere volumus nisi alicuius indubii facti constatationem: studium nempe modernae et coaevae philosophiae multa problemata patefacere pro quorum solutione cohaerenti difficile est non invenire apud S. Thomam principia et normas directivas. Eam partem modernae et coaevae cogitationis obvie respicimus quae speculative significativa exhibetur et non in sterilem et vacuam elucubrationem resolvitur.

Hisce autem positis, sub respectu huius actualitatis vindicandae — omnibus ceteroquin cautelis adhibitis ut philosophiae thomisticae principia serta tectaque maneant — duae necessitates praesertim hodie Aquinatis discipulis imponi videntur: 1) de globali indole modernae et coaevae cogitationis rationem habere ad hoc stabiliendum, *utrum* scilicet et *quousque* haec ad doctrinam thomisticam caute locupletandam conferre possit; 2) ea capita eiusdem doctrinae thomisticae individuare quae possibilitatem alicuius « dialogi », sensu « aperturae » reciprocae et constructivae completarietatis, permittant. Ut autem haec munera facilius et commodius adimpleri possint, opportunum ducimus brevem analysin eorum instituere quae in re metaphysica in hodierna cogitatione desiderari videntur.

Initium sumimus ab *antintellectualismi* consideratione, utpote qui ad modum positionis globalis, e « philosophia exsistentiae » resultantis, haberi potest. Haec autem speculativa dispositio putat se, vi cuiuscumque schematis intellectualistici remotionis, ad vitam novam personam restituisse; loco metaphysicae elaborationis, sensu intellectualistico sumptae, fit recursus ad subtilem et complexam phaenomenologiam introspectivam, ad hoc praesertim ut in persona ostensio quam maxime perfecta « exsistentiae » attingatur; primae autem partes insuper problemati vitae hominis tribuuntur. Actualitas metaphysicae S. Thomae hac in parte praecise apparet, cum scilicet maturatio deteriorum seminum modernae elucubrationis veluti ad phasin criticam abire videtur.

Doctrina thomistica quae hic applicari potest, ea potissimum est quae in primis philosophiam concipit ut scientiam de ultimis causis, seu ad modum mediationis omnium rerum sub aspectu universalissimo entis qua talis; quae omnia exigentiam fundamentalem metaphysicae iustificationis implicant. Hoc autem modo veluti manu tangere possumus quam false affirmetur phaenomenologiam personae instituere idem esse ac antintellectualismum statuere et confirmare. Etenim intimior philosophica perscrutatio phaenomeni personae nos ducit ad eiusdem notionem intellectualisticam critice iustificandam; haec autem notio tamquam unica quae sit capax tutam reddendi phaenomeni intelligibilitatem ostenditur, ex eo praesertim quod modus agendi personae in linea exsistentiali ut « esse » perfecte naturae rationali correspondens exhibetur.

Conceptus, qui iuxta nuper notata fundationis metaphysicae personae processum dirigit, iure « experientia integralis » vocari potest. Hic autem conceptus, qui typice rigorem stricte speculativum exigentiae rationalis connotat, aspectum vere actualem philosophiae thomisticae manifestat. Etenim huius conceptus valor in eo est ut metaphysicae iura « experientiae » veri nominis vindicentur; hoc autem affirmatur contra

principium empiristicum, quod dogmatice in kantismum transivit, coarctandi nempe experientiam in ambitu cognitionis entis mere sensibilis, sub praesupposito nihil intelligibile esse in sensibilibus. Praecise sub hoc aspectu experientiae integralis vindicandae, exhibet S. Thomas in textu insigni (*De verit.,* q. 1, a. 9), et quidem harmonice compositas, sani realismi notas fundamentales, conceptualis rigoris nempe et exsistentialis concretudinis, quatenus ex analysi cuiusdam actus maxime concreti, seu actus cognitionis — qui, mediante reflexione, perceptioni tou ego subiecti cognoscentis connectitur — iure transit ad affirmationem aliquam indolis essentialisticae, utpote quae ad ipsam naturam intellectus refertur.

Aspectus iste actualitatis doctrinae Angelici ad rem metaphysicam quod attinet, nobis tamquam unus inter maxime foecundos apparet, praesertim pro eo quod respicit relationem agnoscendam inter transcendentiam gnoseologicam et metaphysicam. Iuxta S. Thomae doctrinam, quae loco nuper citato exprimitur, tuto affirmari potest alteritatem subiecti cognoscentis et obiecti cogniti, quae transcendentiam gnoseologicam connotat, suum fundamentum habere in ea quae heideggeriana locutione « differentia ontologica » inter *ens* et *esse* vocari posset. Subiectum etenim cognoscens, in sua « apertura », et quidem inconditionata, coram obiecto cognito tamquam a se distincto, exsistentiam alicuius relationis ostendit quae fine finali nexu participationis inter ens (participans) et esse (participatum) nititur: ergo differentia ontologica inter ens et esse ponitur tamquam fundamentum metaphysicum differentiae noëticae inter subiectum et obiectum. Ita animadverti licet S. Thomam dynamismum rationalem solide vindicasse cum metaphysicum aedificium construeret super fondamentum alicuius phaenomenologiae apertae; quod certe nequaquam de ontologia heideggeriana dici potest.

In metaphysica S. Thomae problemata sat multa, quae ab ontologia heideggeriana excitata sunt, cohaerentem solutionem inveniunt. Etenim inde a prima « via » thomistica ad demonstrandam exsistentiam Dei, integer processus fundationis entis finiti continetur; hic autem processus in applicando ipsi realitati principio contradictionis tandem aliquando consistit. Principium contradictionis ipsi realitati applicare idem est ac conditiones possibilitatis tou fieri rerum quaerere. Iuxta S. Thomae principia metaphisica conditiones possibilitatis tou fieri rerum sunt: *a*) *intrinsece*: compositio ex actu et potentia; *b*) *extrinsece*: in primis et fundamentaliter, causa efficiens; *c*) *radicaliter*: compositio e substantia et accidentibus. Hoc processu mediante, ens finitum ad Infinitum connectitur, ens contingens in ipso Esse subsistenti et necessario quod Deus est finalem explicationem invenit. Abyssus quidam profecto adest inter *ens*

commune et *ipsum Esse subsistens*; tamen inter entia et Esse relatio analogiae datur quae ligamine participationis nititur.

Haec autem nota indolis profundae metaphysicae, quae Aquinatis philosophiae competit, ambiguitatem quandam in aliquibus recentioribus methodologicis tentaminibus contentam denuntiat. Cum enim dicitur pugnam contra metaphysicam, quae latius in quibusdam tendentiis hodiernae cogitationis invenitur, dirigi tantum contra metaphysicam aliquam verbalisticam et sterilem, huius autem pugnae exitum hoc solum evincere ut metaphysica hodiernis exigentiis aptetur, ambiguitatis periculum vix aut ne vix quidem vitatur. Quo enim criterio « verbalismus » alicuius metaphysicae statuitur, et consequenter quid sibi vult metaphysicam hodiernis exigentiis aptare? Evidenter, aliquis metaphysicae conceptus supponitur in quo ipsius methodologi praeiudicia systematica inveniri poterunt, ita ut metaphysicae veri nominis notio pervertatur cum ipsi elementa non pauca tribuantur quae inquisitioni indolis prorsus diversae pertinent.

Exigentia metaphysica, quae typice Aquinatis doctrinam philosophicam connotat, nihil prorsus commune invenit cum his methodologicis tentaminibus, quae plus minusve ad modum alicuius substitutionis thematicae stricte philosophicae haberi debent. Idem dicendum videtur de distinctione illa, quae nuperrime proposita est, inter metaphisicam « dogmaticam » et « criticam »: quarum prima metaphysicam illam indicat quae considerat problema realitatis, praescindendo tamen a significatione quam idem problema quoad hominem illud ponentem habet; altera autem huius significationis e contra rationem habet. Absque dubio, distinctio ista aliquam partem veri possidet quam sive apud S. Augustinum (*Confess.,* IV, 4) sive apud S. Thomam (*Summ. theol.,* I, q. 1, a. 1) haud difficile est invenire; aliam significationem tamen respicimus eiusdem distinctionis quae ab eius fautoribus explicite affirmatur: illam nempe secundum quam natura a spiritu irreductibiliter separatur, quod profecto conceptionem idealisticam sapit.

Ad hoc autem inconveniens vitandum, quod sane non parvum in subiecta materia apparet, putamus *analogiae entis* conceptum, qui in philosophia thomistica fundamentalem locum obtinet, maxime conferre. Etenim vi analogiae, consideratio aliqua institui potest ratione cuius natura et spiritus tuto affirmantur mediante distinctione quae tamen nullo modo est separatio, cum demum illae res, inter se specifice differentes, iisdem legibus universalibus entis subiiciantur. His omnibus insuper addi posse contendimus referentiam ad aliam thesim thomisticam, scilicet de *intelligibilitate entis,* quae suam vim manifestat etiam relate ad aliam quaestionem quae in coaeva philosophia agitatur, illam

nempe quae exigentiam « semanticam » « apophanticae » opponit, seu separationem quandam statuit inter « cognitionem-contactum » (cum realitate) et « cognitionem-notionem ». Contra haec, quae mente heideggeriana proferuntur, animadvertendum est postionem thomisticam de proprietatibus transcendentalibus entis, eam praesertim qua « verum » determinatur relate ad ens, multum conferre ad cohaerentem solutionem inveniendam, et simul ad illa pericula cavenda in quae postea gnoseologismus modernus revera incidit. Etenim, ut Angelicus recte docet, cognitio est *logice* immediata, *psychologice* autem est mediata, seu est cognitio entis prouti in se est, sed simul et modo ineliminabili, est cognitio *mea,* scilicet subiecti alicuius quod secundum propriam structuram psychologicam ipsi enti se aperit, quin tamen haec structura nullo modo normative se habeat quoad indolem absolutam entis quod se ostendit. Hoc autem sensu S. Thomas in conceptione aliqua mere psychologistica cognitionis minime irretitur, quatenus ipse constanter affirmat hominem non species intelligibiles, sed res ipsas cognoscere.

His omnibus mature perpensis — quae tamen tantum per modum exempli allata sunt — concludendum videtur doctrinam S. Thomae Aquinatis ad rem metaphysicam quod attinet, viva et foecunda actualitate pollere, vi cuius possibilitas dialogi cum moderna et coaeva philosophia instituendi cum fructu proponitur et commendatur. Problemata quae nunc agitantur et discutiuntur principia directiva pro eorum solutione apud Aquinatem inveniunt; hoc autem concrete indicare et solide demonstrare magnam vim habere videtur relate ad multa praeiudicia superanda quae erga philosophiam thomisticam adhunc militant; quod sane impensum hiatum illum, qui inter laicam (et non « laicisticam ») et ecclesiasticam culturam haud raro invenitur, aliquantulum minuere poterit.

DE RECTA METHODO DOCENDI SCIENTIAS AUXILIARES PHILOSOPHIAE AD MENTEM SANCTI THOMAE AQUINATIS IN SCHOLIS CATHOLICIS INSTAURANDA

(J. Motylewski)

Humanus intellectus ex sensibilibus naturaliter in divinorum cognitionem ducitur ut cognoscat de Deo quia est, et alia huiusmodi quae oportet attribui primo principio (S. Thomas, *Contra Gentes* I, c. 3), secundum illa Apostoli gentium: « Invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur » (*Rom.* I, 20). Hac via omnes, etiam indocti et quocumque scientiarum rudimento carentes, « Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine, ... per visibilia creationis opera, tamquam causam per effectum », certo cognoscere possunt (S. Pius X, *Iusiurandum contra errores modernismi,* ex Motu proprio « Sacrorum Antistitum », 1 sept. 1910, DB, 2145).

Praeter communem sensibilium cognitionem, ordinata rerum naturalium notitia quae a scientia traditur, multum confert ut qui eius rationes intelligere sunt capaces, ad superiorem naturae cognitionem rationibus philosophicis illuminatam ascendere possint.

Una fuit aliquando rerum naturalium scientia quae philosophia naturalis seu physica vocabatur. Historicis tamen circumstantiis et hominum ineptiae debetur quod a philosophia naturali, maxime apta ad rerum naturalium intelligentiam superioribus rationibus comparandam, nunc separata inveniatur illa quae communiter scientia naturalis vocatur, et quae de rebus naturalibus inferioribus rationibus, observabilitatis nempe et mensurabilitatis, pervestigat.

Ex hac separatione magna pro studio veritatis secuta sunt damna, quando praesertim scientiarum naturalium cultores philosophiam naturalem derelinquendam statuerunt, quasi inutile pondus pro scientifica investigatione, et quando ipsi philosophi scientiam naturalem ad doctrinam philosophicam augendam nihil conferre iudicaverunt.

Verum est philosophiam naturalem generales suas propositiones formulasse, non scientiae naturalis inquisitionibus, sed experientia communi innixa, illa nempe quae omnibus semper et ubique obiective manifesta est. Inde genuinae philosophiae ratiocinia et conclusiones non dependent ab erroribus observationis et mensurae in quos scientia naturalis aliquando incurrit, quos laboriose corrigit vel in quos adhuc incurrere poterit. Huiusmodi errores nec universalia principia philosophiae, nec generales

propositiones philosophiae naturalis, nec ipsam experientiam communem invalidant.

Nec tamen propterea scientia naturalis est philosophiae inutilis. Legitimae enim conclusiones scientiarum naturalium, ex factis et legibus accurate collectis deductae, magis specifice determinant ea quae, experientia communi obiectiva et certa cognita, a philosophia naturali generaliter proponuntur. Huiusmodi conclusiones scientiae naturalis specificationi generalium propositionum philosophiae naturalis inservire posse, nemo est qui non videat.

Huiusmodi specificatio ab ipsa philosophia naturali postulatur. Eius enim naturalis finis est omnes suas rationes usque ad ultimas specificas determinationes perducere. Minus enim perfecte cognoscitur quod tantum secundum communia principia consideratur; ad hoc autem ut cognoscatur perfecte, considerari debet per principia propria.

Cum igitur naturalis scientia apta sit elementa specificationis philosophiae naturali praebere, eius inquisitio legitime a philosophia naturali continuatur et superiori modo perficitur, cum simul afferat rectam solutionem problematum quae mediante observatione sensibili et mensura a scientia naturali resolvi non possunt.

Alia ex parte indigent ipsi cultores scientiarum, ad proprium munus rite perficiendum, luminibus a sana philosophia acceptis ad hoc ut tuto conclusiones suas trahere possint atque utiles quasdam syntheses et cautas interpretationes elaborare.

Perdurante divisione scientiae naturalis a philosophia, ineluctabile tamen erat ut cultores scientiarum principia superioris interpretationis a philosophis repeterent. A philosophia perenni prorsus alieni, subierunt tunc influxum systematum philosophicorum a veritate aberrantium, genuina experientiae reperta cum falsis conceptibus commiscendo. Inde tot in scientiis naturalibus conceptiones quae materialismum et mechanicismum sapiunt, recentius autem, ob mechanicismi cladem, invasio conceptionum idealismi.

In hoc discrimine, ne mens cultoris scientiae forsan in scepticismum labatur, philosophus naturalis scholasticus rectam viam indicare debet. Hoc autem tunc solum perficere poterit, si ipse prius recte de scientiae naturalis conclusionibus et interpretationibus iudicabit.

Omnino igitur necessarium est omnia quae in scientiis naturalibus traduntur, praesertim autem theoricas interpretationes et generales syntheses, accurato examini critico subiicere ad apprime distinguendum inter obiectiva reperta scientiae eorumque legitimas conclusiones et illa quae ibi a falsis philosophicis systematibus mutuata inveniuntur. Quae a cultoribus rerum naturalium tamquam scientiae oracula proferuntur,

non omnia esse mera facta vel genuinas conclusiones factorum iam viri docti extra Scholam veraciter agnoscunt. Hoc proinde compertum esse debet magistris scientiarum naturalium in scholis catholicis.

Quando igitur in scholis catholicis scientiae naturales in auxilium philosophicarum institutionum traduntur, hoc fieri non potest indiscriminata repetitione eorum quae cultores scientiarum proferre solent, praesertim quando ambitum sibi competentem praetergrediuntur et auctoritatem epistemologorum et metaphysicorum induunt.

Cum in scholis catholicis philosophia universa, iuxta Summorum Pontificum statuta, ad mentem sancti Thomae Aquinatis tradatur (cf. Leo Pp. XIII, Encyclica *Aeterni Patris,* 4 augusti 1879: De philosophia Christiana ad mentem sancti Thomae Aquinatis doctoris Angelici in scholis catholicis instauranda; Pius Pp. XI, Encyclica *Studiorum Ducem,* 29 iunii 1923, et Constitutio Apostolica *Deus scientiarum Dominus,* 24 maii 1931), maxime optandum est ut etiam scientiarum naturalium elementa, ac praesertim quaestiones quae ex scientiis naturalibus in auxilium philosophicae institutionis seliguntur tradendae, nempe quaestiones psychologiae experimentalis, paedagogiae, anthropologiae, biologiae, chimicae et physicae, immo etiam quaestiones superiores matheseos ad philosophiam spectantes, recta methodo exponantur. Ita nempe a scholarum antecessoribus proponantur, ut tironibus clarum sit quid in istis disciplinis certam rerum veritatem exhibeat, quid scilicet referat genuina facta experientiae legitimasque ex eadem conclusiones, et quid illegitima speculatione mentis sit ibi ex erroneis philosophicis doctrinis invectum. Hac autem genuinarum factorum conclusionum a spuriis interpretationibus selectione peracta, ostendatur illas non solum philosophiae sancti Thomae principiis non esse contrarias, sed ex iisdem solum plenam intelligentiam obtinere posse.

Ex quorum omnium consideratione hoc votum formulare fas sit:

In scholis catholicis, praesertim autem in Seminariis Universitatibusque Studiorum, disciplinae philosophiae auxiliares ea methodo tradantur, ut genuinis factis et legitimis conclusionibus a spuriis sub luce principiorum philosophiae sancti Thomae Aquinatis distinctis, ostendatur eadem facta et conclusiones optime cum principiis philosophiae Angelici Doctoris cohaerere et non nisi in ipsa plenam explicationem obtinere.

ANIMADVERSIONES QUAEDAM CIRCA HODIERNUM STATUM STUDIORUM ECCLESIASTICORUM

(H. Nicoletti)

Reflexiones quae RR. Patrum considerationi hic proponuntur, ex experientia in docendo propria et personali et aliorum magistrorum et ex testimonio alumnorum desumptae sunt, et respiciunt hodiernum statum («situazione») studiorum philosophiae et theologiae apud Instituta quae Constitutione Apostolica «Deus scientiarum Dominus» reguntur.

Hunc expositionis ordinem sequimur: in primis describuntur defectus quibus actualis status studiorum *de facto* laborat; postea, indicantur causae huius status rerum, denique remedia proponuntur.

I. De statu actuali studiorum ecclesiasticorum

Alumni cursus theologici et philosophici usque ad Licentiam generatim:

a) Non possident systematicam et intrinsece unitariam visionem rerum, iuxta aliquam interiorem cohaerentiam veritatis et sapientiae, naturalis et supernaturalis, in qua omnia secundum propriam viam («metodologia») ad fundamenta ultima reducuntur. Signa huius situationis sunt frequentes confusiones quae a clericis manifestantur quando, ex. gr. sermo ponitur de habitudine inter scientiam et philosophiam, inter philosophiam naturalem et metaphysicam, inter metaphysicam et ethicam, inter ethicam individualem et socialem, vel de interna structura metaphysicae, de natura ipsa philosophiae, de relatione inter gnoseologiam et metaphysicam, de habitudine philosophiae antiquae ad modernam, etc., vel quando sermo fit de habitudine rationis ad fidem, de relatione inter ordinem naturalem et supernaturalem, vel etiam inter diversos tractatus theologiae dogmaticae, etc. Hae quaestiones sunt, inter caeteras, aptissimae ad ostendendam praesentiam vel, respective, carentiam sufficientis formationis philosophicae aut theologicae auditorum.

Proprium est veritatis possidere intrinsecam cohaerentiam quae apte exprimitur per relationem inter prima principia seu fundamenta et conclusiones, salva semper diversa natura et methodo philosophicae scientiae vel theologicae. Haec constructio vel synthesis in mente alumnorum generatim parum valida est, et reducitur ad quamdam synopsim in qua praevalet iuxta-positio singularum veritatum.

b) Gravis defectus notatur in usu *methodologiae* (sive ut scientia

est sive ut praxis) theologicae et philosophicae. Signum huius defectus est incapacitas alumnorum ad ponendas (« impostare ») vel, sicut dicebant medioevales, ad « determinandas » quaestiones, i. e. ad eas, apta et specifica terminologia exprimendas et denique ad earum solutiones apte demonstrandas. Sic abundant verba (« verbalismo ») et facile accipiuntur assertiones et conclusiones quin fiat earum examen serium et personale. Scientia resolvitur fere in simplicem retentionem formularum (« memorizzazione »), absque synthesi scientifica.

c) Hoc incommodum fovet etiam momentum exaggeratum quod in « cursu *institutionali* » tribuitur quaestionibus opinabilibus scholarum praeteritarum et coevarum, extra doctrinas philosophice vel theologice certas. Unde oritur quidam status dubitationis et scepticismi in animo iuvenum, qui favet despectui vel saltem non sufficienti existimationi scientiae theologicae et philosophicae sicut in nostris scholis traditur.

Haec conditio est gravis quia tangit praesupposita vitae intellectualis clericorum. Hodiernus status culturalis « laicus » (« cultura laicista ») est valde problematicus quoad existentiam veritatis. Multae ideae falsae (haereditas et patrimonium multorum saeculorum) constituunt « culturam occidentalem ». Ecclesia iterum atque iterum, suo materno amore, ostendit omnibus hominibus viam veritatis et bonitatis, sed homines non semper tam faciliter haec verba veritatis et amoris accipiunt, propter interiores contrarias dispositiones. Haec interna conditio dispositionum spiritualium (quae gradatim, etsi absque prava voluntate, etiam in vitam intellectualem ecclesiasticam videtur ingredi) prae oculis habenda est ad hoc ut via veritatis intellectibus hominum iterum aperiatur. Si non creantur dispositiones profundae formationis etiam in clericis, imperativa et exhortationes Auctoritatis maiori cum difficultate recipiuntur in animo clericorum. Non datur certe absentia Magisterii Ecclesiae, sed carentia dispositionum subiectivarum, quibus sublatis causa efficiens, etiam nobilissima, proprium effectum saltem sicut intendit, non sortitur.

Defectus supra notati non respiciunt paucos alumnos optimos ingenio et diligentia, qui numquam desunt. Neque respiciunt alumnos infimae notae et incapaces, qui etiam non desunt. Sed respiciunt « massam », sit venia verbo, quae medium locum occupat et maiorem numerum auditorum constituit.

II. De quibusdam causis hodierni status

Quaedam determinantur causae quae proximae influxum videntur exercere:

a) Defectus fundamentalis consistit in aliqua unificatione (et conse-

quenti confusione) cursus « institutionalis » cum cursu « universitario ». Diversa est natura duorum cursuum, quia aliud est tradere scientiam incipientibus et aliud, e contra, perficere scientiam illorum qui iam fundamenta philosophica vel theologica possident et, proinde, destinantur ad « specialisationem » et ad vitam stricte « scientificam ». Ordinationes actuales studiorum, saltem « de facto », mediam viam tenent, nec institutionalis nec universitaria est, unde finalitates intrinsecae duorum cursuum non satis attinguntur. Duo praedicti cursus distinguuntur inter se, sicut conditio et conditionatum ita ut cursus universitarius non possit subsistere nisi supra fundamentum cursus institutionalis.

Alumni actualis cursus sic dicti « academici » usque ad Licentiam, detrimentum patiuntur quia non possunt sufficienter et adaequate attendere fundamentalibus disciplinis, et hoc sive quia tempus dividendum est cum aliis disciplinis (potius cursus universitarii) sive propter dispersionem a multiplicatione disciplinarum (secundariarum praesertim et auxiliarium) provenientem sive, denique, propter modum « monographicum », et proinde partialem, tractandi aliquas disciplinas. Sic alumni de pluribus loquuntur superficialiter, formationi « informatio » quaedam succedit et elongatio semper maior fit relate ad synthesim essentialem, fundamentum cuiuscumque specialisationis et intimioris subsequentis perscrutationis. Ex alia parte cursus universitarius non potest vivere sicut deberet et conveniret, quia, eadem ratione ac supra, debet convivere cum exigentiis fundamentaliter diversis cursus institutionalis. Sic clerici nec formantur nec introducuntur in vitam vere scientificam (cf. etiam debilitatem thesium ad lauream consequendam).

Alumni, praeterea, difficulter perveniunt ad profundam reflexionem et assimilationem veritatis. Variis modis disperditur eorum attentio, sive legitime sive illegitime. Multa valent legere nec vident omnimodam necessitatem fundamentum solidum ponendi antequam ad periodica ex. gr. etiam scientifica aditus fiat. Ab iisdem alumnis exigitur formatio liturgica, formatio missionaria, formatio pro actione catholica, pro necessitatibus nostrorum temporum, formatio pastoralis, etc. Multiplicantur cursus secundarii et correspondentia examina, conferentiae varii generis, hebdomadae vel tridua, etc. Exigitur ut cognoscant quae in aliis fiunt regionibus, proinde aestivo tempore variis itineribus se dant. Non igitur cogitare possunt de supplendis iis quibus satis non studuerunt, durante anno scholastico, qui ceteroquin practice durationem habet *octo mensium* cum interruptionibus et diversis occurrentibus distractionibus, etc.

b) Alius defectus fundamentalis, respicit intrinsecam constructionem disciplinae sive philosophicae sive theologicae. Doctrina est potius verbalis (abundant *formulae*), fragmentaria et nimis schematica. Sic pro re

philosophica deest saepissime methodus « fundationis » vel « resolutionis » ad fundamenta (= actus essendi et Esse Subsistens) in ordine sive gnoseologico sive metaphysico sive ethico. Et hoc eo magis grave videtur si consideratur quod philosophia nihil aliud est nisi processus intellectualis reducendi mundum experientiae ad fundamentum ultimum (« cognitio certa rerum omnium per causas ultimas »). Nimis separatur problema gnoseologicum a problemate metaphysico (conceptio gnoseologiae kantianae ut *preambulum* metaphysicae), et postea separatur ontologia a theodicea (seu a theologia naturali) quasi quod philosopho possibile sit de Deo in sua Deitate sermonem instituere, dum e contra Deus agnoscitur in philosophia (et in hoc discrimen profundum a S. Theologia) tantum ut « Causa Prima » entis finiti (unde profundissima unitas ontologiae et theodiceae sicut explicite patet apud Angelicum).

Tantum comprehensio et assimilatio huius internae structurae philosophiae est acquisitio verae formationis, aliter acquiritur scientia mere verbalis et extrinseca. Pariter in Theologia, praesertim dogmatica, quae ut regina totius theologiae iure agnoscitur, idem defectus formalismi et schematismi reperitur: veritates dogmaticae quae exigunt sive fundationem positivam sive explicationem speculativam, reducuntur ad congeriem thesium ex quibus unaquaeque probatur per quamdam citationem cuiusdam Concilii (saepe absque contextu historico), per quosdam textus S. Scripturae (omnino obliviscendo « theologiam biblicam ») et SS. Patrum (sine adiutorio « theologiae patristicae ») quibus omnibus additur unus vel alter textus plusminusve integer Angelici Doctoris (praescindendo a significatione historica ipsius thomismi). Hoc modo certe alumnus numquam potest pervenire ad visionem unitariam theologiae.

III. De remediis quibusdam

Inter multa remedia quae, nostro humillimo iudicio, « proxime » proponi possunt ut possibilis fiat renovatio, duo videntur digna attentionis:

a) Desideratur renovatio disciplinae studiorum secundum criterium fundamentalis distinctionis inter cursum « institutionalem » et cursum « universitarium ». Cursus institutionalis debet habere structuram proportionatam finalitati suae, scilicet: debet constitui ex fundamentalibus sive philosophicis sive theologicis disciplinis, quae tractandae sunt modo institutionali, i. e. systematice et integre, secundum intrinsecam naturam cuiuscumque disciplinae; praeterea unicuique disciplinae horae lectionum assignandae sunt; denique, quia cursus institutionalis absolvitur primo triennio pro re philosophica dum pro s. theologia duobus biennis

constituitur, distributio disciplinarum in singulis annis debet fieri secundum intrinsecam naturam disciplinarum, ita ut per faciliora ascensus fiat ad difficiliora. Ad theologiam dogmaticam quod attinet praecipue, saltem theses absolvi debent ut connexio et synthesis adhaereat doctrinae magisterii ecclesiastici, doctrinae S. Scripturae (totalis quantum fieri potest et non tantum paucis adductis testimoniis), doctrinae Patrum et, quod non potest omitti, speculativae doctrinae. Hoc totum ab unico professore (bene parato) adiuvantibus coeteris docendibus S. Scripturae et Patristicae.

Cursus vero universitarius cuius finalitas non est tradere « diploma » quoddam sed veram formationem *scientificam* et *specialisationem,* distinguatur a cursu institutionali. Secundum hodiernam disciplinam tantum spatium unius anni pro cursu ad lauream obtinendam reservatur. Cursus ad lauream in S. Theologia obtinendam saltem ad duos annos augeri potest et ex disciplinis ad vitam scientificam et ad specialisationem tradendam aptis constitui debet. Denique alumni cursus universitarii introducendi sunt ad comprehensionem hodiernae « situationis » scientificae in re sive philosophica sive theologica (« orientamenti della filosofia neoscolastica e non-neoscolastica, orientamenti teologici nell'ambito della teologia cattolica, esposizione delle principali teologie eterodosse con le rispettive critiche positive e negative, polemiche, scuole, ecc. »); disciplinae « methodologicae » sive generales sive speciales, seminaria, exercitationes, bibliothecae speciales, etc. fovenda sunt. Sine hac renovatione, cursus universitarii alumni nec formationem scientificam nec specialisationem acquirunt. Testimonium evidens, sicut iam notavimus, debilitatis actualis cursus universitarii sunt theses ad lauream obtinendam, quae saepissime quovis valore scientifico carent vel quia tanguntur themata secundaria et parvae utilitatis scientificae vel quia etiam themata historice vel speculative significativa, non absolvuntur stricto rigore scientifico.

b) Solidus cursus philosophicus desideratur. Sacra Congregatio Studiorum problema huius cursus proposuit examinandum, et publici iuris factae sunt relationes in apposito congressu habitae. In S. Theologia, autem, praeter quadriennium omnibus commune, requiruntur *duo* alii anni ad cursum universitarium cum *aptis professoribus specialistis* absolvendum. Cursus quadriennalis reduci debet ad ea omnia et sola quae essentialiter ad sacerdotum formationem requiruntur. Nec omnia docenda sunt in scholis, multis cursibus specialiter. Sufficit ut alumnus talem habeat formationem qua possit per seipsum, labore et experientia, eruditionem et formationem pastoralem complere. Hic tractanda esset quaestio de docentibus theologiam et philosophiam in seminariis. Non semper inveniuntur professores parati ad magisterium philosophicum vel

theologicum; qui, autem, apti sunt, multis aliis absumuntur occupationibus, ita ut officium docendi unum ex multis aliis officiis sit. Adde non semper tale docendi officium sufficienter concurrere ad oeconomicas sacerdotum conditiones sublevandas.

c) Aliud remedium, potius intrinsecum, invenitur in quadam « recogitatione » (« ripensamento ») thomismi ad hoc ut fundamenta ultima syntheseos thomisticae et classicae (circa quae philosophia moderna multa crisi subiecit) possint ad lucem explicitam evehi et nova recomprehensione, iuxta legitimas exigentias nostri temporis, efflorescere. Haec recogitatio traditionis est unica via qua realiter agnoscitur et ostenditur perennitas vitalis doctrinae Angelici. Veritas humana ut « participatio » Veritatis Supernae, semper intrinsece perfici potest. Veritas est semper aliquod implicitum iacens in corde hominis (cf. doctrinam Angelici in « De Magistro ») ut testimonium Summae Veritatis, quod elabentibus saeculis, attendit ut explicite elucescat iuxta progressum indefinitum. Aliis verbis veritas ex una parte non mutatur fluxu temporis (« storicismo »), ex alia parte non est complete absoluta sicut Veritas divina (« Verità Sussistente »), sed sistit in medio, ut « participatio » (« storicità ») quae sub quodam respectu i. e. ut « finita » perfici potest, sub alio respectu i. e. ut participatio « Absolutae » Veritatis destrui non potest.

Hoc sensu datur quaedam synthesis thomistica quae ut implicita et participata eget continua ac perenni recomprensione, sub influxu efficienti sive novarum veritatum sive recentiorum problematum et errorum, ad hoc ut magis magisque transeat ab implicito ad explicitum. Hoc sensu videtur fovendus (praesertim in cursu universitario) « dialogus » prudens cum doctrina philosophica et theologica post-thomistica (thomistica et non thomistica) ad hoc ut Angelicus semper revera Doctor Communis omnium temporum sit.

Praeterea in philosophia moderna multa sunt sive quoad positionem problematum sive quoad solutiones respectivas, quae tributum novum tradere possunt ad incrementum veritatis. His verbis volumus significare quod in scholis philosophicis et theologicis, cursus praesertim universitarii, disciplinae historicae (historia philosophiae et historia theologiae) et quaestiones hodiernae (« correnti contemporanee nella filosofia e nella teologia »), obiectum sapientis ac prudentis magisterii reddendae sunt, quia nec omnia mala, nec certe omnia bona, in iis inveniuntur. Omnia tempora habent semper propria problemata quae, sub quodam respectu, sunt problemata omnis temporis sed sub quodam alio sunt propria uniuscuiusque generationis. Aspectus suprahistoricus et historicus veritatis. Refutatio philosophiae modernae non implicat denegationem omnis si-

gnificationis positivae in hac philosophia et, ex alia parte, agnoscere hanc significationem positivam non significat subscribere solutiones problematum legitimorum quae a philosophia moderna datae sunt.

Haec quae tradidimus ad modum cuiusdam animadversionis, volunt tantummodo humillime contribuere ad hoc quod attentio Auctoritatis RR. Patrum dirigatur etiam supra hoc problema maximum in vita ecclesiastica et in consideratione iterum capiat problemata profunda, praesertim quoad formationem intellectualem clericorum sive in seminariis sive in universitatibus, iuxta intrinsecas exigentias nostri temporis.

Secus fiet ut futuri sacerdotes non satis apti sunt ad distinguendas veras a falsis assertionibus quae etiam in publicum proferuntur circa catholicam doctrinam et eas scientias quae cum doctrina catholica intrinsece intimius connectuntur.

Requiritur formatio « sensus catholici » ad hoc ut evitetur id quod nonnulli timent, scilicet ortus novi « modernismi ».

DE RATIONE STUDIORUM CLERICORUM RESTAURANDA

(S. Barbano, F. S. C.)

Nella formazione del Clero, specialmente di quello dei Paesi Latini, consta, che gli studi preparatori alla S. Teologia, intonati all'antico schema Retorica-Umanità (per l'Italia è Ginnasio-Liceo) non sono adegnati alle esigenze contemporanee.

Infatti, dopo avere data una prefazione sommaria di studi letterari, con storia ecclesiastica, poca storia civile, e matematica e scienze fisiche e naturali ridotte all'indispensabile, si passa alla formazione filosofica preliminare, attraverso i trattati elementari di Logica e Criteriologia, Antropologia, Psicologia, Cosmologia, Metafisica, Etica: i quali vengono esauriti in solo tre anni di corso. Mancano i cenni di Storia della Filosofia.

I giovani leviti passano quindi allo studio della S. Teologia, nella forma e secondo l'ordine tradizionale.

Accade, in conseguenza, che il giovane Clero, terminando la propria formazione all'età di 23 anni circa, risulti notevolmente impreparato ad intendere la mentalità contemporanea, il che si riscontra nella predicazione, nella catechesi, e in molti interventi nella vita pubblica.

Si parla di scristianizzazione dei fedeli, quando, molte volte, si tratta di mancata cristianizzazione. La quale comporta una catechesi ed una predicazione che non ignori, nel fondo, l'atteggiamento mentale di

chi vive in un'epoca di continue conquiste scientifiche e di incessanti realizzazioni tecniche; quando, fra l'altro, è importante rendersi conto dei motivi storici delle situazioni sociali, politiche, e quindi morali, di oggi.

Le più recenti costituzioni dei Sommi Pontefici, da Pio XI a Pio XII, hanno richiamato l'attenzione dei Superiori responsabili del giovane clero a queste idee. Ma, ad esempio, la « Deus Scientiarum Dominus » o la « Humani Generis » dicono ben poco a chi ignori quasi totalmente quello che avviene nel campo delle scienze positive e sperimentali, ed eventualmente si metta in allarme, e rimanga diffidente a cagione della propria impreparazione di base verso le Matematiche (teoria della ralatività), le Scienze Fisiche (Problemi della materia e dell'antimateria), le Scienze Naturali (paleontologia, evoluzione delle specie), e così via.

È evidente che lo scopo dei seminari non è quello di preparare il Sacerdote per condurre vita scientifica, ma tuttavia lo deve rendere capace di comprenderla.

Ci permettiamo perciò di suggerire alla considerazione dei Venerabili Padri del Concilio se non sia opportuno ordinare gli studi dei futuri sacerdoti nel modo seguente:

I periodo 4 anni – *Preparazione letteraria di base*:

Religione in forma di catechesi; Storia Sacra; Lingua e letteratura nazionale; Almeno una lingua straniera; Lingua latina; Lingua greca; Storia antica comparata; Storia greco-romana; L'età medioevale; Storia civile nazionale con riguardo alla storia della Chiesa; Matematica elementare; Scienze Naturali e Geografia.

II *periodo* 3 anni – *Preparazione scientifico-letteraria*:

Religione, in forma di catechesi ampliata; Storia della Chiesa; Lingua e leteratura nazionale moderna; Cenni sulle letterature straniere; Lingua latina e greca; Storia civile ed ecclesiastica; Matematica, inclusa la trigonometria; Fisica; Chimica organica e inorganica; Scienze naturali e Geografia; Elementi di filosofia.

III *periodo* – *Preparazione specifica*:

Filosofia scolastica; S. Teologia, ecc.; Sociologia cristiana.

* * *

Per le famiglie religiose laiche, ed in genere per le famiglie religiose femminili di vita attiva o mista, e per gli istituti secolari, nell'intento di ordinare la pietà secondo lo spirito della Chiesa, sembrerebbe

opportuno disporre che, a somiglianza di quello che avviene per i Sacerdoti, le preghiere quotidiane fossero uniformi.

L'abitudine alla S. Liturgia è ormai divenuta generale. Il « sentire cum Ecclesia » coincide coll'« orare cum Ecclesia ». Alle devozioni particolari, talora dettate dalla fantasia, o dalla tendenza di un'epoca, sembra più vantaggioso sostituire la preghiera della Chiesa, che, inoltre, è in correlazione con la Messa e il tempo liturgico, ed è quindi fattore di pascolo spirituale.

Il Concilio Ecumenico dà l'opportunità di un'azione in tal senso, che non troverebbe, evidentemente, nessun ostacolo nè psicologico, nè pratico.

Le Congregazioni maschili composte di soli laici (Fratelli) e le Congrezazioni femminili che non siano di vita contemplativa, assumano come pratica quotidiana di preghiera vocale la recita dell'ufficio divino così ridotto:

a) alla mattina: Prima - secondo l'ufficio del giorno;
b) al pomeriggio: Vespro - Compieta;
c) alla sera: Laudi.

Aggiungeranno la terza parte del S. Rosario, l'orazione mentale, ecc. secondo il consiglio del Codice di Diritto Canonico, o secondo le disposizioni di Regola, o altre.

Si pensa che questa uniformità possa accentuare il senso della vita unitaria della Chiesa.

PHILOSOPHIAE MORALIS HODIE AGITATA PRAECIPUA PROBLEMATA

(P. Valori, S. I.)

I. *Praemissa.*

Ea quae hic proponuntur minime intendunt *solvere* problemata gravissima quae innuuntur sed unice *indicare* themata praecipua in agone philosophico hodierno maxime exagitata et ideo attenta consideratione digna existimata.

II. *Philosophiae moralis generalis puncta quaedam.*

1. In ethica generali problema maximum hodie — sicuti semper — disputatum est de natura normae et obligationis moralis. Moderni philosophi eterodoxi multas falsas normas morales proferunt, v. g. collecti-

vitatem (Marxismus), plenam evolutionem libertatis personalis (existentialismus atheus), contactum mysticum cum Deo (existentialismus theisticus), rationem autonomam (kantiani et idealistae) ecc., dum normam moralem ethicae classicae respuunt tamquam « extrinsecisticam », « formalisticam », abstractam seu « intellectualisticam », negativam, immo et egoisticam, quia innixam — aiunt — in felicitate et bono subiectivo.

Contra hos errores et obiectiones oportet ostendere quomodo norma moralis, iuxta doctrinam thomisticam intellecta:

a) Nullo pacto intelligitur modo arbitrario a voluntate divina imposita sed perfecte correspondet veris exigentiis naturae (contra obiectionem eteronomiae et extrinsecismi). Etiam obligatio moralis exurgit ab ipsa finalitate naturae in Deo Summo Bono fundatae, non a coërcitione mere extrinseca.

b) Nullo modo ergo norma moralis considerari debet tamquam destructio aut etiam limitatio verae libertatis humanae sed potius eius perfecta actuatio. Libertas enim non consistit essentialiter in arbitrio psychologico (hic est potius effectus quidam libertatis in ente finito) sed praesertim in possessione suiipsius relate ab bonum. *In hac luce etiam clarior apparebit solutio problematis hodie tam disputati et delicati, nempe de relatione inter veritatem et libertatem seu, quod idem est, de iuribus veritatis conciliandis cum tolerantia erroris.* Veritas enim et moralitas absoluta, si bene intelliguntur, non ducunt ad intolerantiam sed potius veram caritatem et comprehensionem etiam errantium et peccatorum — quae toto coelo ab indifferentismo agnostico differunt — fundant et solidant. Ex alia parte libertas apparet per se tamquam unice et necessario directa ad bonum faciendum et malum vitandum. Libertas, veritas et caritas indissolubili nodo uniuntur.

c) Multo minus ethica obiectiva debet tamquam *formalistica,* i. e. consistens in meris observantiis exterioribus, reiici. Si enim moralitas consistit essentialiter in amore boni et praesertim Summi Boni clare apparet quomodo actio externa, ut sit honesta, debet semper a tali intentione, saltem habitualiter, informari et dirigi.

Sic etiam nullo modo ethica classica — ut adversarii autumant — tamquam aridus elenchus prohibitionum negativarum consideranda est, sed potius contrarium. Ipsa enim a positivo amore Valoris Supremi est dominata et perfusa.

d) Multo magis reiicienda est obiectio kantiana et multorum hodie, quasi ethica classica et christiana aliquo « egoismo trascendentali » laboraret. Homo honestus et multo magis christianus quaerendo felicitatem non quaerit unice et praesertim *suam felicitatem* sed *beatitudinem*

obiectivam quae est etiam sua, et, quantum possibile est, omnium. Talis Beatitudo Obiectiva cum Ipso Deo identificatur.

Tali modo cadit etiam vehemens accusatio marxistica iuxta quam christianus, unice de sua propria salute personali praeoccupatus, bonum collectivitatis negligit vel spernit.

Puto claram, etiamsi summariam, expositionem talium principiorum, praesertim circa ea quae spectant quaestionem de tolerantia (conciliatio veritatis et libertatis) quaestionem de « formalismo » et amore, quaestionem de « egoismo » christiano ecc. — quae solent multos animos, praesertim apud intellectuales, turbare et aliquando etiam a fide et ab Ecclesia arcere — posse multas difficultates adversariorum dissolvere, multos, etiam fideles, dubitantes et praeiudiciis imbutos, illuminare; catholicos ipsos melius instruere ut quaedam pericula, v. g. « formalismi pharisaici », « exterioritatis », dogmatismi exaggerati et fanatici cum adversariis, « praeceptisticae » mere negativae in expositione vitae moralis individualismi exaggerati ecc., vitent.

2. *Applicationes practicae.*

Ad melius confutandos hos errores non solum in sede theoretica sed etiam practica et ad meliorem adaptationem nostri apostolatus « formae mentis » et exigentiis hodiernis in iis quae non sunt errata et mala, etiam aliquae practicae suggestiones, a principiis supraexpositis derivatae, indicare possunt.

a) sensus « communitarius » et « antiindividualisticus » est fovendus, praesertim in liturgia, cum maiori participatione fidelium in Sacris peragendis; in mutua caritate it ut plebs christiana, praesertim in paroecia vel dioecesi adunata vere appareat et sit unum in quo omnes sese sentiant vere coagmentati et corresponsabiles de bono totius; in *formatione sociali* ita ut amor boni communis et integralis (physici et moralis) totius humanitatis appareat tamquam praeceptum vere primarium vitae christianae, essentialiter connexum cum amore Dei (responsabilitas collectiva uniuscuiusque individui erga totam societatem.

Ideo non contenti fideles de eleemosyna singulo indigenti facta — quamvis et haec minime sit spernenda vel negligenda, immo saepissime utillima et debita — agnoscant etiam opportunitatem et necessitatem illarum — ut aiunt — « initiativarum » hodiernarum, quibus homines ipsam miseriam generalem radicitus expellere et abolere conantur et, quantum possunt, talibus activitatibus cooperare non sinant. Technica et organizatio assistentialis nostri temporis potest esse forma quaedam altioris caritatis si, a vero amore supernaturali inspirata, non decadit in technicismum materialisticum et collectivisticum.

b) Educatio christiana fidelium, praesertim de re morali, non sistat

in proclamandis prohibitionibus mere negativis et in imponendis praeceptis mere externis sed profunde attingat veram personalitatem humanam quatenus ipsa ad Deum, Summum et Unicum Bonum dirigitur et destinatur. Et item, ut in parte theorica dictum est, vitetur omnis forma, etiam apparens, eudaimonismi etiam « eschatologici », quasi nempe motivum *unicum* vitae moralis esset felicitas personalis egoistica attingenda vel solum periculum damnationis avertendum (timor « serviliter servilis »).

III. *Philosophiae moralis specialis puncta quaedam.*

1. *Praemissa.* Problema sociale quod hodie tanti momenti est etiam pro vita religiosa generis humani videtur a Sacro Concilio Oecumenico tractandum, saltem aliqua sollemni raeffirmatione principiorum fundamentalium doctrinae socialis catholicae, in Documentis Pontificiis — praesertim in Encyclicis *Rerum Novarum* et *Quadragesimo Anno* — contentae. Talis firma et serena expositio, modo authentico et auctoritativo redacta, magnum et salutarem influxum habere, et non parvum augmentum auctoritatis et aestimationis Ecclesiae Catholicae in universo orbe tribuere posse videtur.

2. Proinde *negative* repetatur condemnatio, iam in Documentis Pontificiis saepius contenta sive collectivismi marxistici sive liberalismi oeconomici « capitalistici »: hoc ultimum systema eatenus est explicite reiiciendum quatenus, plene separando ordinem oeconomicum ab ordine morali, asserendo legitimitatem usus et abusus iuris proprietatis sine respectu ad bonum commune et iustitiam socialem et ideo etiam iustificando quodvis salarium libere et opifice acceptatum (salarium mere individuale, non familiare), violat praecepta humana et christiana iustitiae et caritatis.

Etiam iterata et motivata condemnatio collectivismi marxistici quatenus dicit negationem non solum ordinis moralis et religiosi sed etiam dignitatis personae humanae in ordine politico et oeconomico, foret probabiliter utillima.

Positive a) praeconizanda est instauratio alicuius « personalismi communitarii et solidaristici » ubi persona humana neque ut individuum monadicum in seipso clausum, ab aliis independens et unice obligatum ad non-laesionem ordinis iuridici (liberalismus) neque ut mera *pars* aut « *momentum* » collectivitatis, ipsi totaliter subordinatum (marxismus), consideretur, sed potius ut ens irripetibile, habens finem proprium et absolutum, transcendentem societatem, cui tamen stricte ligatur vinculis solidarietatis et caritatis.

b) Praesertim considerentur innumerae difficultates ordinis religiosi

et moralis quae exurgunt pro hominibus nostri temporis ex innumerabilibus « technicis » sive « audiovisis », sive biologicis (regulatio conceptionis, fecundatio artificialis, reparatio hymenis ecc.) sive physicopsychologicis (media propagandistica maxime influentia publicam opinionem) a quibus tot novi « casus conscientiae » oriuntur et a quibus capacitas reactionis liberae et humanae, in observatione spontanea legis naturalis, partialiter vel totaliter impeditur.

Hoc ultimum problema videtur revera primarium hodie pro tota vita religiosa et spirituali generis humani et pro ipsa vita Ecclesiae. Non tam errores ideologici expliciti (excepto communismo marxistico) videntur hodie periculosi, sed potius hic primatus « technisticus » auferens homini suam interioritatem, spiritum recollectionis, indaginis personalis, coniunctionis cum Deo, favens materialismo, agnosticismo, indifferentismo ecc.

Apostolatus in hunc sensum, nempe ad « christianizationem » talium « technicarum » esset omnino fovendus.

3. In philosophia politica quaestio ita actualis de fundamento auctoritatis et de eius relatione ad libertatem posset etiam opportune tractari.

Ex hac tractatione apparebit quomodo veritas existentiae Dei non solum non supprimat veram libertatem etiam politicam hominis sed potius constituat eius unicum fundamentum et garantiam. Sine enim ordine obsoluto legis naturalis trascendentis ipsum Statum, hic fit aliquid divinum et tyrannicum cui civis remanet totaliter subiectus tamquam servus et mancipium.

Ita sine existentia iuris naturalis auctoritas caret fundamento et rationali iustificatione et tunc aut fit violenta, arbitraria, nullo vero iure innixa, aut simpliciter perit, locum relinquendo anarchiae et dissolutioni sociali.

Synthesis inter verum conceptum libertatis et auctoritatis, hodie a multis quaesita et invocata potest inveniri solum in conceptione theistica et praesertim christiana vitae quae erit, etiam in hoc casu, a doctrina Concilii, in mentem hominum hodiernorum tam indigentium sana orientatione, opportune revocanda.

SULLA VOLGARIZZAZIONE SCIENTIFICA DA PARTE DI CASE EDITRICI CATTOLICHE

(R. Zavalloni, O. F. M.)

Si fa voto che si renda obbligatoria l'istituzione di un Ufficio di Consulenza, composto di esperti nelle singole materie, per dare un parere sulla opportunità e sulla convenienza di pubblicare, sia in stampa diretta sia in traduzione, libri di volgarizzazione scientifica che hanno un diretto rapporto con la vita morale e religiosa.

Il pericolo di una falsa ed inopportuna volgarizzazione scientifica appare sempre più grave ed allarmante. Una valanga di libri viene presentata al pubblico nelle forme più attraenti. Essi non contengono sempre degli errori, e perciò non sussiste una vera ragione o per negare l'imprimatur o per metterli all'Indice.

Si tratta spesso di questioni difficili, insidiose e pericolose. Il pericolo vero non sta tanto nelle questioni in sè, quanto piuttosto nell'impreparazione del pubblico cui vengono offerte. Se molti libri fossero presentati in una forma più seria, se non fossero destinati al gran pubblico, l'inconveniente sarebbe in gran parte evitato. Ma in realtà non è così! Questo pericolo appare particolarmente preoccupante nel campo della psicologia e delle discipline affini.

Anche da parte di Case Editrici Cattoliche vengono presentate al gran pubblico, in una veste molto attraente e a poco prezzo, delle « Collane » di volgarizzazione scientifica, nei campi suindicati, che non possono essere raccomandate soprattutto per il loro carattere estremamente eterogeneo: libri buoni vengono collezionati insieme ad altri che non sono affatto raccomandabili. Questi libri danno una semplice infarinatura, destinata a favorire una pericolosa superficialità; essi presentano spesso ardui problemi senza offrire valide prospettive di soluzione.

Il proposto parere consultivo non pare sia reso superfluo dalle norme e dalla prassi della « Censura librorum ». Questa, infatti, è intesa a dare un giudizio autoritativo sulla dottrina di un libro. La competente Autorità Ecclesiastica esamina e determina se un libro contenga o no qualche cosa contro la fede o i costumi; considera altresì se esso possa essere nocivo o no ai fedeli, se dalla lettura ne possa derivare o no un danno spirituale o religioso. In verità, l'istituto della censura dei libri potrebbe essere sufficiente ad ottenere lo scopo che ci si propone. Non sembra, tuttavia, che raggiunga sempre tale scopo.

Il proposto parere consultivo non sembra neppure essere reso super-

fluo dalle norme e dalla prassi della « Prohibitio librorum ». Questa, infatti, dà un giudizio autoritativo che segue generalmente la pubblicazione del libro. Tale giudizio ha un evidente carattere di riprovazione e, data la gravità dei suoi effetti, dovrà essere necessariamente limitato a casi di particolare rilievo.

Ora, l'auspicata consulenza dovrebbe avere un carattere preventivo, con particolare riferimento alla questione della opportunità e della convenienza di volgarizzare un dato problema; dovrebbe esprimere altresì un parere sulla veste tipografica che più gli conviene, poichè altra cosa è presentare un libro di volgarizzazione sotto una veste di serietà scientifica ed altra cosa sotto quella di un romanzetto, come non di rado avviene.

PONTIFICIUM
ATHENAEUM URBANIANUM
« DE PROPAGANDA FIDE »

PONT. UNIVERSITAS URBANIANA
DE PROPAGANDA FIDE

Roma, 30 aprile 1960

Prot. 35 L/60

Eminenza Reverendissima,

Ho l'onore di umiliare a V. E., in ossequio alla richiesta fatta con la venerata Lettera del 18 luglio 1959 (Prot. N. 2 C/59) e nei termini prescritti, i *voti* dei Rev.mi Professori di questa Pontificia Università per il prossimo Concilio Ecumenico.

Mi permetto di far sommessamente presente a V. E. che la massima parte dei Professori ha già dato il suo modesto contributo alla fase antipreparatoria del Concilio mediante le SS. Congregazioni, delle quali essi fanno parte o dalle quali sono stati per l'occasione officiati.

Nella speranza di aver corrisposto all'attesa, il Corpo Accademico si tiene a completa disposizione dei venerati comandi di V. E. per qualunque ulteriore servizio possa umilmente rendere alla santa Causa del Concilio.

Prostrato al bacio della s. Porpora con i sentimenti della più profonda devozione e riverenza, mi protesto

dell'E. V. obbl.mo e umil.mo
in Domino figlio

Mons. SALVATORE GAROFALO
Rettore Magnifico

DE SYMBOLO ET PROFESSIONE FIDEI NOVITER PROPONENDIS IN CONCILIO

(S. Garofalo)

Supervacaneum est comprobare munus Concilii praecipuum esse fidem catholicam tutari. « Hortor ergo, frater carissime, — ita ad Acacium episcopum Constantinopolitanum S. Simplicius Papa die 9 ian. a. 476 scribebat (Epist. *Quantum presbyterorum, PL.* 58, 42) — ut modis omnibus faciendae synodi perversorum conatibus resistatur, quae non alias semper indicta est, nisi cum aliquid in pravis sensibus novum, aut in assertione dogmatum emersit ambiguum: ut in commune tractantibus, si quae esset obscuritas, sacerdotalis deliberationis illuminaret auctoritas; sicut primum Arii, ac deinde Nestorii, postremum Dioscori atque Eutychetis fieri coëgit impietas ».

Historice omnino constat hoc: « Il supremo compito dei concili ecumenici fu sempre quello di salvaguardare la predicazione della Fede contro gli errori del tempo mediante delimitazioni (hoc est: definizioni e chiarificazioni) della dottrina cattolica. Ci sono stati concili che non hanno emanato disposizioni disciplinari, ma *nessuno in cui non sia stato respinto un errore* e escluso dalla Chiesa un eretico » (H. JEDIN, *Breve storia dei concili,* Roma 1960, p. 209). Ipsa origo conventuum Episcoporum qui primo concilia (TERTULLIANUS, *De ieiuniis,* 13, *PL.* 2, 1024) vel synodi (DIONYSIUS ALEX. in *Eusebii Hist. eccles.* VII, 7, *PG.* 20, 659 s.) dicta sunt petitur ex necessitate detegendi ac refellendi errores montanistarum saec. II ad finem vergente.

Item pro futuro Concilio Vaticano, Dominus Noster Papa Ioannes XXIII iam ab initio mentem Suam, ad normam sacrosanctae Ecclesiae traditionis, ita aperuit cum in allocutione d. 25 ian. 1959 dixit: « una risoluzione decisa per il richiamo di alcune *forme antiche di affermazione dottrinale* e di saggi ordinamenti di ecclesiastica disciplina, che nella storia della Chiesa, in epoca di rinnovamento, diedero frutti di straordinaria efficacia per *la chiarezza del pensiero,* per la compattezza delle unità religiose, per la fiamma più viva del fervore cristiano ». In Adhortatione Summi Pontificis ad Clerum Venetorum regionis die 21 apr. 1959 (*A.A.S.* LI, 1959, pp. 379-380) haec leguntur: « Preghiamo e auguriamo che il Concilio rinnovi innanzi tutto lo spettacolo degli Apostoli radunati in Gerusalemme, dopo l'Ascensione di Gesù al Cielo: *unani-*

mità di pensiero e di preghiera con Pietro e attorno a Pietro... ». Adhuc: « Il Concilio... è convocato perchè la Chiesa cattolica, nella fulgida varietà dei suoi Riti e nella sua infrangibile unità, si propone di attingere novello vigore per la sua divina missione, secondo gli *immutabili* sacri principi su cui poggia, secondo *le orme della tradizione antica...* » (*L'Osservatore Romano,* 14 iun. 1959). In Litt. Encycl. *Ad Petri Cathedram* dicitur Oecumenicum Concilium « aluisse spem fore ut omnium animi *ad veritatem satius altiusque agnoscendam...* feliciter excitarent ». Ibidem asseritur ad Concilium « sacrorum Antistites, de gravibus religionis rebus tractaturi, ex universo orbe convenient, et *praesertim de causa ut ad Catholicae fidei incrementum* et ad rectam christiani populi morum renovationem deveniantur, utque ecclesiastica disciplina ad nostrorum temporum necessitates rationesque aptius accommodentur. Id profecto mirabile praebebit *veritatis,* unitatis caritatisque *spectaculum...* » (*A.A.S., ibid.,* p. 510 s.).

Ad fidem affirmandam, declarandam defendendamque, inde a remota Ecclesiae aetate et praesertim Conciliorum ope,[1] peropportune provisum est per « symbola » vel « professiones fidei » quae dicuntur, quibus nervose, disertissime et summa Ecclesiae ac Pontificii Magisterii auctoritate, quae necessario credenda sunt ad salutem attingendam fidelibus omnibus proponuntur. Quantum hoc contulerit ad « spectaculum veritatis et unitatis », ad catholicae fidei notitiam et incrementum, nemo est qui non videt.

De auctoritate et utilitate symboli fidei scribit *Leo Magnus*: « Permanete stabiles in ea fide quam confessi estis multis testibus... Si quis autem vobis aliud annuntiaverit praeter id quod didicistis, anathema sit... Quidquid contra regulam catholici et apostolici symboli aut legere aut audire contigerit, id omnino mortiferum et diabolicum iudicate » (*Sermo* 24, 6, *PL.* 54, 207). « Hoc fixum habete in animo, quod dicitis in Symbolo » (*Sermo* 46, 3, *PL.* 54, 294). Haereticus ille est « qui ne ipsius quidem symboli initia comprehendit » (*Epist.* 28, 1, *PL.* 54, 757). In symbolo etenim, velut in purissimo fonte collecta, ea omnia habentur quae sive ex revelatione sive ex Patrum traditione et Ecclesiae Magisterio scimus et firmiter credimus: « Nos cognoscimus fratribus... intimasse quod *secundum evangelicam apostolicamque traditionem...* una esset omnium nostrum et indiscreta confessio, neque ullis haereticorum disputationibus obtineri ut aliter aliquid de summi et salutiferi sacramenti veritate sapiamus quam *ex praedicatione sanctorum*

---

[1] Cf. DENZINGER-RAHNER, *Enchiridion Symbolorum,* ed. 31ª, 1957, p. 69 in Indice.

Patrum et *ex auctoritate incommutabilis Symboli* didicimus ac docemus » (Eiusdem LEONIS MAGNI, *Epist.* 102, 2, *PL.* 54, 985-986)

Praeter ea quae variis saeculis et auctoribus circumferuntur, tria, praecipua symbola habentur etiam nunc in Ecclesiae usu quibus, utpote quae exprimant Magisterium infallibile Ecclesiae, valor dogmaticus agnoscitur, nempe: *symbolum* quod *apostolicum* audit, *symbolum nicaeno-constantinopolitanum* et *symbolum « quicumque »*.

1. *Symbolum apostolicum,* quod in catechetica et in privata recitatione occurrit, antiquissima est « tessera fidei » quae iure ab apostolis dicitur promanare, componitur essentialiter parte trinitaria et parte christologica et exstat variis formis quae nuncupantur: occidentalis antiquior (i. e. romana), occidentalis recentior et orientalis (cf. *Enchiridion Symbolorum,* sub. nn. 1-12).

2. *Symbolum nicaeno-constantinopolitanum* constat ex « fide nicaena » scil.. ex symbolo nicaeno (quod ex symbolo baptismali ecclesiae caesareensis derivatum et opportunis addictionibus auctum est (cf. *Enchir. Symb.* cit. n. 54); postea in Concilio Oecumenico Constantinopolitano I an. 381 completum praesertim in ultima parte (*Enchir. Symb.* n. 86). Post Concilium Ephesinum (a. 431) et Chalcedonense (a. 451) hoc symbolum inter Ecclesias Orientales in usum liturgicum transiit, in Occidente tamen hoc factum est circa finem saec. VIII per S. Paulinum Aquileiensem.

3. Exstat et *symbolum* quod vocatur *Athanasianum* (« Quicumque »), sed non esse opus *S. Athanasii* nec graecae originis constat; auctores recentiores contendunt auctorem fuisse vel S. Ambrosium Mediolanensem vel Fulgentium Ruspensem (†532-533). Inde a fine saec. VIII « Fides Athanasii » quae vocabatur, in officio divino adhiberi coepit et a saec. XIII in universa Ecclesia, sive occidentali sive orientali, ut regula fidei irrefragabilis habetur. Saec. IX nomen symboli accepit (*Enchir. Symb.* n. 39 et nota 1).

Humillime sed enixe proponendum ducimus ut in Concilio Vaticano II *novum symbolum* proponatur; novum, inquam, non quia *nova* dicenda sint sed quia *perfectius omnia dicat* quae necessario ad salutem credenda sunt ad normam integrae et unius fidei catholicae.

Neminem fugit in symbolis quae hucusque recitantur multa deesse quae dogmata spectant (ex. gr. de mysterio eucharistico) cum illic cordi fuerit haereses quae tunc temporis grassabantur propulsare. Nostro tempore potius necessarium videtur *integram ex omni parte fidem* catholicam alte confiteri et distincte enuntiare sive ad tutam, facilem et stabilem eruditionem fidelium, sive ad unitatem fratrum dissidentium

utilius praeparandam, ut omnibus notum sit quid una Ecclesia Christi ex Divino Institutore firmiter et immutabiliter credat.

Nec minime spernendum quod, nostris temporibus, formula huiusmodi noviter proposita per « moderna instrumenta diffusionis » quae dicuntur (folia diurna vel periodica, « Radio », etc.) quaeque « publicam opinionem » efficaciter premunt, statim nota erit ubique gentium non sine ingenti lucro pro omnibus sive credentium sive non credentium.

Nova hac formula ex apostolica traditione et auctoritate promanante ac fidem Ecclesiae perennem proponente, hoc etiam affirmatur, quod scilicet Ecclesia apostolica romana et catholica semper sibi constans una est Ecclesia quae valeat doctrinam Christi humani generis Salvatoris dilucide et auctoritative hominibus cuiuscumque temporis et ubique terrarum degentium ad aeternam salutem aperte et secure docere. Hoc sane videtur intime pertinere ad illam « unanimitatem fidei » qua iam ab initio Ecclesia super Petrum fundata feliciter gaudet, ad « spem fore ut *omnium animi* ad veritatem satius altiusque agnoscendam » excitentur, de qua Summus Pontifex Ioannes XXIII locutus est.

Neque dicendum difficile vel — quod Deus avertat — impossibile esse formulam vel symbolum de quo in praesenti « voto » componere, cum munus Ecclesiae a Christo divinitus concreditum sit « docere omnes gentes » et eas « docere servare *omnia quaecumque* » Christus apostolis mandavit (cf. *Matth.* 28, 19-20). Omnes apostolorum successores « quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei » (cf. *A.A.S.* 20, 28), sub ductu Christi Vicarii et successoris Petri in Concilio Oecumenico congregati, nostris temporibus omni divina veritate indigentibus ad quam Spiritus Sanctus introduxit apostolos post Christi ascensum ad Patrem (cf. *Io.* 16, 13: « Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem... et quae ventura sint annuntiabit vobis ») hoc eodem Spiritu afflante mundum universum peropportune et summo emolumento docebunt, ita ut « il Concilio rinnovi innanzi tutto lo spettacolo degli Apostoli radunati in Gerusalemme... unanimità di pensiero... con e attorno a Pietro » (Ioannes XXIII Pp.).

Quae de symbolo dicta sunt, etiam de *professione fidei* dicenda videntur, cum momentum huiusmodi professionis pateat etiam ex praescriptionibus iuris ecclesiastici (*C.C.I.* cann. 1406-1408). Discrimen videtur esse inter symbolum et Professionem fidei etsi saepe unum pro alia ponatur: symbolum est nudum elenchum veritatum, Professio fidei fusiores formulas proponit additis hic illic explicationibus ad penitiorem intelligentiam veritatum contra haereticas vel mancas interpretationes

(G. C. Van Noort, Tract. *De fontibus revelationis,* III ed., Amstelodami 1920, p. 113).

Plurimae fidei Professiones in ecclesiasticis documentis numerantur, quae contra singulares errores vel data occasione Summi Pontificis vel Conciliorum auctoritate proposita sunt:

1) Professio fidei Concilii Remensis (a. 1148, Eugenio III Papa) in causa Gilberti Porretani (*Enchir.* 389-392);

2) Professio fidei in negotio Waldensium a. 1208 sub Innocentio III (*Enchir.* 420-427);

3) Professio fidei a. 1267 a Clemente IV Michaeli Paleologo necnon ab Urbano VI a. 1385 Graecis orthodoxis ad Ecclesiam redeuntibus proposita (*Enchir.* 461-466), quae, paucis mutatis per interrogationes et responsiones etiam nunc emittitur in consecratione episcoporum;

4) Professio fidei *Tridentina* ex bulla « Iniunctum nobis » Pii IV diei 13 nov. 1564 (*Enchir.* 994-1000);

5) Professio fidei Graecis praescripta a Gregorio VIII in actis circa unionem Ecclesiae Graeco-Russicae a. 1575, in qua, inter alia, partim includitur fidei professio Tridentina (*Enchir.* 1083-1085);

6) Professio fidei Orientalibus (Maronitis) praescripta a Benedicto XIV a. 1743, in qua, quae a Conciliis praecedentibus, a Nicaeno ad Tridentinum, damnata vel definita et declarata sunt reassumuntur (*Enchir.* 1459-1473).

In usu hodierno universali est *fidei professio tridentina,* cui, ex decreto S. Congregationis Concilii diei 20 ian. 1877, addita sunt quae « ab Oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita et declarata sunt praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio » (*Enchir.* n. 1000).

Una cum hac fidei Professione, ex motu proprio « Sacrorum antistitum » S. Pii X, d. 1 sept. 1910, impositum est *iusiurandum contra errores modernistarum* (*Enchir.* n. 2145-2147).

Quae de « *novo* » symbolo supra dicta sunt audemus demisse dicere et de *nova professione fidei* in futuro Concilio exaranda et proponenda hac tamen ratione ut quae polemice dicenda essent contra singulares errores vel errantes omnium temporum *irenice* proponantur. Hoc est: nova formula veritates fidei *distinctim* enuntiet, additis — secundum rationem et fere « genus litterarium professionis fidei » — explicationibus quae ab omnibus non difficili negotio intelligi possint, prae oculis habitis etiam quae Orientales et « Christianos dissidentes » spectant, ita ut *una formula* omnia confiteantur quae ad integram et rectam fidem catholicam undequaque pertinent.

Nomine reticito errorum vel errantium melius, ut videtur, pacificae Ecclesiae menti, nunc temporis praesertim providetur. Praeterea, quae contingentia sunt — ut puta nomina — omissis, formula huiusmodi utilius in futurum, per temporis spatia, forsan ab omnibus etsi non de re theologica periti, intelligetur.

Hoc non prohibet, immo fere exigit, quominus auctoritate ipsius Concilii, in documento addito, elenchum errorum vel errantium in « professione fidei » reticitorum expresse proponantur, ad utilitatem sive theologorum sive omnium quibus cordi esse potest notitiam errorum vel errantium distinctam habere.

Latius tamen pateat nova formula ita ut ea etiam praecaveat quae nostro tempore erronee circumferuntur quin possibile sit singulum errantem vel singulare « systema » expresse indicare.

Nec omittendum quod huiusmodi formula posset facilius essentialia parare quae ad unicum *universalem catechismum* exarandum conferrent, quod in votis est, ut ad oculum omnibus pateat quod de Symbolo aiebat Sacrosancta Tridentina Synodus: « principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum et unicum, contra quod *portae inferi numquam praevalebunt,* totidem verbis, quibus in omnibus Ecclesiis legitur » (*Enchir.* n. 782).

DE ATHEISMO POSITIVO SEU CONSTRUCTIVO UT IRRELIGIOSITATIS NOSTRI TEMPORIS FUNDAMENTO

(C. Fabro)

I. *Atheismi contemporanei indoles et momentum.*

Neminem fugit, qui situationem culturalem seu spiritualem nostri temporis sinceris oculis aspicere studeat, *ascensum progressivum atheismi in populos totius orbis*: non modo plurimas nationes Europae atheis guberniis vel per atheas partes regi, sed apud ipsas catholicas nationes partes quae se catholicas profitentur neutras sive aconfessionales aliquando sese proclamare circa principia et exigentias fidei et moralis christianae. Huic atheismo vel indifferentismo politico et sociali respondet atheismus culturalis in litteris, in arte, in cinema... veluti effectus et consequentia, ita ut nomen Dei eiusque dignitas ab ipsis legibus et publicis actibus removeatur, sicut in nova Constitutione italica.

Laicismus liberalis saeculi XIX supplantatur saeculo XX ab atheismo culturali, politico, practico ... « *Mors Dei* », quam Hegel et Nietzsche

nuntiabant eamque ut conclusionem necessariam culturae modernae sive « principii immanentiae », apparet ut factum iam in actu.[1]

Characteres praecipui atheismi contemporanei:

a) *Est atheismus massae.* Dum saeculis elapsis usque ad marxismi adventum, atheismus ad coetus restrictos vel singulos homines reservabatur, quia vita publica et familiaris in religione continebatur: situatio nostri temporis, derelicta fere quavis professione religionis publica et familiari, Deum reliquit singulis hominibus.

b) *Est atheismus ethico-politicus.* Firma legum vis, quam antea homines a Deo petebant, principium democratiae modernae uni populo e contra tribuit, qui fons simul et subiectum unicum iuris unice agnoscitur. Hinc collusiones inter religionem et praxim socialem vel politicam sive in individuis qui ad partes atheas in politica confugiunt, sive ad partes ipsas quae sese catholicas profitentur quae cum partibus atheis vel atheismo inclinantes non dedignantur aliquando rem agere vel se consociare.

c) *Est quidem atheismus universalis.* Constat enim magnos populos Asiae derelinquere religiones antiquas plus vel minus pantheisticas atque ad atheismum scientificum vel marxisticum declinare propter pressionem a communismo sovietico et a conditionibus oeconomicis. Progressus atheismi non solum in Sinis, ubi imperat marxismus, sed et in Iaponia, in India aliisque regionibus illius maximi et antiqui continentis conspicitur: classici scriptores atheismi et marxismi non solum in lingua anglica universali vertuntur sed etiam in linguis propriis: sinica, iaponica, variisque aliis linguis Indiae sicut constat.

Etiam in Africa, quae sicut Asia, paulatim independentiam politicam obtinet et angustia oeconomica oppressa in explosiones anti-occidentales prorumpit, atheismus extenditur qui a propaganda sovietica praesentatur ut unicum medium ad liberationem oeconomicam simul cum sociali et politica obtinendam: dum Christianismus ut solidalis cum servitute colonialismi et capitalismi occidentalis accusatur.[2]

Hinc fit ut catholici Asiae vel Africae habeantur et accusentur ut patriae progressui et suae nationis libertati infesti et hostes sui populi habentur, non secus ac primi christiani qui ut « odium generis humani » a paganis accusabantur.

---

[1] Eadem denuntiatio atheismi contemporanei fit a protestantibus: cf. *L'Athéisme contemporain* (en collab., Génève 1956).

[2] Quaedam informationes magni momenti inveniuntur in vol. *Communisme et Missions,* Rapports et Compte rendu de la XXVII Semaine de Missiologie, Louvain 1957 (Museum Lessianum, Desclée de Brouwer 1958).

II. *Atheismi contemporanei derivatio historico-speculativa.*

Plures indicari possunt influxus seu deviationes quae ideologiam atheismi contemporanei inspirant seu efformant, qui apparenter seu superficie ad contrarias pertinent positiones sed ad eumdem spiritus motum pertinent qui « emancipatio » hominis a religione dicitur ut in sua naturali libertate constituatur et vivat. Tales influxus ad sequentes praecipuos reducendos putamus:

1. *Derivatio stricte materialistica* quae omni aetate et tempore suos habuit fautores: in antiquitate Democritus, Leucippus, Epicurus et eorum asseclae cum Stoicis qui, si non omnes, sane multi materialistae fuerunt; [3] horum discipuli, in Aetate Media pauci,[4] creverunt in aetate Renascentiae propter restaurationem paganae philosophiae (I. Bruno, Vanini ...); in aetate moderna Lamettrie et d'Holbach in Gallia, Moleschott et Haeckel in Germania, Ardigò, Rensi in Italia... Asseclae huius materialismi fuerunt et sunt numerosiores quam communiter dicatur vel putetur. Inclinatio ad materialismum est in ipsa natura humana quae, ad sensibilia prona, spiritualia fastidit et religionis iudicia horret.

2. *Derivatio illuministica seu rationalistica* floruit saeculis XVII et XVIII qui magistros habuit Spinoza, Bayle, Voltaire, Rousseau, Reimarus, Lessing...: admittitur Ens supremum et religio naturalis potius sensu historico et aesthetico intelligenda, dum religio historica revelata seu ecclesiastica damnatur ut « superstitio » et omnium errorum atque malorum fons et causa.[5] Dogmata praesertim religionis christianae atque miracula quae ad Providentiam et divinam revelationem firmandam a theologia afferuntur, ab illuministis negantur ut commendetur reditus ad naturam ipsam et ad initialem conditionem generis humani (« Theoria hominis inculti » - *la théorie du bon sauvage*).

---

[3] Cf. G. M. HARTMANN, *Der Materialismus in der Philosophie der griechisch-römischen Antike,* Akademie Verlag, Berlin, 1959. Pro Democrito, v. G. GROSEW, *Der Materialismus des Demokrit,* « Das Altertum » IV, 4, (1958); p. 215 s.

[4] De ipsis nunc magnum edidit volumen H. LEY, *Studie zur Geschichte des Materialismus,* Deutsche Akademie der Wissenschaften, Berlin 1957. Sub aspectu ethico-politico, v. opus fundamentale G. DE LAGARDE, *La naissance de l'esprit laïque au declin du Moyen Age,* 6 voll., Saint-Paul-Trois-Chateaux, 1933 ss.

[5] Cf. v. g. P. HAZARD, *La crise de la conscience contemporaine 1680-1715,* Boivin, Paris 1935; Id., *La pensée européenne au XVIII siècle;* De Montesquieu à Lessing, 3 voll. Paris 1946. Ut suos praecursores marxistae indicant Descartes, D'Alembert, Diderot, Lamettrie, Leibniz, Locke, ecc. (cf. biographias Magnae Enc. Sovieticae, transl. Germanica, ed. separata, 2 fasc., Berlin 1954, 1957).

3. *Derivatio idealistica seu stricte immanentistica,* quae a « principio conscientiae » sub forma kantiana (*Das Ich denke überhaupt*) progrediens, influit directe in varias atheismi formas nostrae aetatis: marxismus cuiusvis formae, existentialismus sinister, neopositivismus, praxismus absolutus ... qui nostris diebus diffunduntur et dilatantur per totum terrarum orbem. *Ad istas postremas atheismi formas pertinet character quem supra diximus positivum atque constructivum,* sensu scil. methodologico explicito in quantum *negatio vel expulsio Dei a conscientia humana proclamatur veluti conditio necessaria et fundamentum pro veritate naturae hominis eiusque authentica conditione et libertate in mundo affirmanda.*

Haec forma « atheismi positivi », innitens scientiae progressibus ac evolutionismi absoluti theoriis [6] una cum critica pseudo theologismi philosophiae idealisticae, apparet ut aliquid novi in cultura occidentali: notiones conscientiae et libertatis, personae spiritualis, immortalitatis individualis, existentia Dei atque mundi creatio... considerantur ut « mythi » et extrapolationes phantasticae quae omnino et omnibus mediis fugandae sunt ut homo inveniat et habeat proprium esse in mundo naturae et historiae.

Formula quadam brutali, exacta tamen: *expulsio Dei salus hominis!* Plerique sane operantur influxus ad talem situationem atheismi universalis generandam quos ad communem aliquam radicem historicam non facile colligere fas est. Praeter doctrinales, quas indicavimus, adnumerari possunt etiam sociales; ipsa elevatio oeconomica, ex una parte, per quam homines vitam commodiorem atque distractionibus implexam agere solent, submersi fatuitatibus quotidianis ac dispersione spiritus unde sive familiae sive individua aspirationem religiosam amittunt, spiritualia fastidiunt atque ad res temporales insatiabiliter inhiant; ex altera parte ipse proletariatus et massa operaria ad hoc unice videntur intendere ut et ipsi hisce modernis commoditatibus frui possint. Sicque apud homines incultos *materialismus practicus* fit via et praeparatio ad *atheismum practicum,* ad oblivionem praxis religiosae, fugam conscientiae et horrorem mortis sicut in paganismo.

III. *Accuratior atheismi notio et divisio.*

Atheismus sive divinitatis religionisque negatio diversas obtinet formas atque significationes.

Ad *atheismum theoreticum* attendentes — quia « atheismus prac-

---

[6] Cf. pro assumptione Darwinismi, M. PRENANT, *Darwin,* Paris 1946.

ticus » reducitur ad pigritiam vel ignaviam conscientiae — illum indicare debemus velut *negationem veri Dei.*

Ut « verus » Deus habeatur debet concipi:

a) *Ut « primum principium » seu Ens absolutum transcendens et prima causa,*

b) *Ut « Spiritus » intellectu et voluntate cum libertate praeditus,*

c) *Ut « Persona » quae cognitionem et amorem erga mundum et hominem ostendit.*

Haec attributa in Deo ad invicem se includunt: negari tamen non potest in evolutione historica culturae diversimode talia attributa accepta fuisse ita ut atheismo aperto et explicito non infrequenter opponerentur conceptiones divinitatis quae debent in radice et ipsae ut atheae seu ut negationes veri Dei agnosci et declarari. Inter has proinde non solum *superstitio, idolatria vel statolatria* sed etiam pantheismus, panentheismus ... adnumerari debent.[7] Illae sive primi generis sunt formae *atheismi expliciti,* istae *atheismi impliciti* sed non minoris immo maioris radicalitatis atque mentis perversionis quae agnitionem veri Dei impediat. Dicamus ergo:

a) *Negant explicite verum Deum Athei aperti et declarati,* seu *fautores Agnosticismi, scepticismi, monismi et materialismi* cuiusvis aetatis qui cognitionem transcendentis negant, conscientiam et cogitationem ad materiae motum reducunt, libertatem quamcumque negant (determinismus physico-physiologicus), religionem veluti magiam ac superstitionem interpretantur.

Atheismus classicus vel *atheismus directus sive immediatus* et radicalis, potest appellari qui profitetur sensualismum in cognitione, utilitarismum in ethica, empirismum in metaphysica seu negationem cuiusvis transcendentiae. Haec forma quasi rara ante aetatem modernam, magis ac magis frequens fit nostris temporibus propter versionem quam vocare possumus *anthropologicam* seu propter negationem cuiusvis metaphysicae et reductionem veritatis ad significationem quae surgit ex ipsa structura hominis et eius habitudine ad naturam et ad historiam. Huius formae atheismi anthropologici magister principalis haberi debet L. Feuerbach.

b) *Negant implicite verum Deum vel qui necessario alligant Deum ad machinam mundi* (Stoici), *ad conservationem reipublicae* (religiones

---

[7] Hoc criterium resolutivum vel critico-methaphysicum in diiudicando atheismo, invenitur etiam in maxima investigatione moderna a F. MAYTNER, *Der Atheismus und seine Geschichte im Abendlande,* Stuttgart u. Berlin 1920, 4 voll. Etiam opus iam vetus sed semper classicum: F. A. LANGE, *Geschichte des Materialismus,* 2 voll., Berlin 1896.

politicae antiquitatis praes. romana), vel qui *politheismum* vel *superstitiones* idolatricas profitentur, vel religiones orientales (ut Buddismus in India, Sinis, Iaponia...) quae nihilismum profitentur vel Deum personalem et hominis immortalitatem personalem negant.

Immo et *rationalismus* qui Deum ut *Rationem* absolutam concipit et eius ad mundum respectus ut necessarios habet, sicut Spinoza: atheismus talis frequentatur apud intellectuales radicales, (physici et mathematici: Einstein, v. g.), sectas massonicas, associationes culturales laicas.

Ad atheismum aliquomodo redit ipse modernus *laicismus* qui, despecta quavis traditione historica religionis, negat cuicumque religioni ius in vitam publicam socialem, politicam, educativam... Origo remota laicismi iam ad nominalismum et fideismum Medii Aevi, cuius princeps Ockam fuit qui separationem Ecclesiae a Statu affirmabat et ius Ecclesiae in res publicas aperte negabat: unde moderna conceptio Status laici exorta est.[8]

Huius conceptionis laicistae asseclae considerandi sunt fautores sic dictae *tolerantiae,* ut Deistae in Anglia (Collins, De Cherbury, Toland, Locke, Hume...), eorumque asseclae in Gallia et in Italia et ipsi *fautores religionis naturalis* (v. g. Wollaston) in quantum illam opponunt et exaltant super religionem revelatam negando scil. factum incarnationis et eminentiam divinae revelationis, puram rationem profitendo.

c) Ad atheismum tandem confluunt variae *Pantheismi* formae sive in antiquitate (Stoicismus, formae plurimae Neoplatonismi), J. Bruno et M. de Montaigne in Renascentia; Campanella damnat ipsum Macchiavelli de atheismo.[9]

Atheae dicendae sunt metaphysicae spinozianae *idealismi moderni germanici* quae Deum immanentem necessario faciunt cum mundo, prout Hegel affirmat « Deum sine mundo minime Deus esse » (*Ohne Welt Gott ist nicht Gott*).[10]

Atheus dici debet *historicismus* vitalisticus sive Diethey, Ranke, Meinecke, sive neokantismi gallici sive neohegelismi italici (Croce).

Atheos sese profitentur in linea idealistica Schopenhauer et Ed. von Hartmann.

Athea dicenda est ipsa « philosophia vitae », a germanicis mutuata, hispanorum De Unamuno et Ortega y Gasset.

---

[8] Cf. G. De Lagarde, *La naissance de l'esprit laïque au Moyen Age,* 1933, t. I.

[9] Campanella, *Atheismus Triumphatus,* anni 1631; cf. C. Fabro, *Campanella e Macchiavelli,* nel vol. « Umanesimo e scienza politica », Milano 1952, p. 155 ss.

[10] Cf. Hegel, *Philosophie der Religion,* ed. Lasson, Ed. I, p. 148.

IV. *Determinatur peculiaris instantia atheismi in philosophia moderna.*

Theologia protestantica germanica praesertim « liberalis » assumere non dubitavit ipsum idealismum vel immanentismi principium ad dogmata christianae fidei elucidanda. Perperam tamen, quia ipsa *essentia principii idealismi ducit ad atheismum, in quantum transcendentalitas vel tò Ego transcendentale implicat negationem Dei transcendentis.* Hoc abunde ostendit « sinistra hegeliana », sed hanc negationem ex ipso principio philosophiae modernae plane ac facile cuiuscumque religionis negationem erui omnibus in promptu est. Hanc « essentiam atheam » philosophiae modernae in ipso rationalismo postcartesiano [11] quidam ostendere voluerunt, quodque in Hobbes, Spinoza in aperto est. Attamen atheismus speculativus novam ac definitivam, suo modo induit formam in idealismo transcendentali moderno.

1. *Principii immanentiae sincera formula atque sensus.*

In realismo traditionali seu graeco-christiano mens humana sive conscientia fundatur et seipsam percipit fundatam, super ens quod ipsi obiicitur: ens fundat, movet conscientiam quae sese dirigit tum in cognitione tum in actione iuxta ens et entis principia.

In philosophia moderna e contra ens ipsum oritur et fundatur a conscientia secundum classicam formulam a Fichte prolatam: « *Nullum ens sine conscientia... ens est modificatio conscientiae* ».[12] Haec est tessera cuiusvis formae philosophiae modernae in quantum habitudinem conscientiae ad ens totaliter invertit non quovis modo vel sensu sed hoc praeciso quod ipsa oppositio constitutiva actus cogitandi, sive *oppositio inter cogitare et esse,* inter conscientiam et ens sive mundum naturae et spiritus, *tollitur*; seu in quantum haec « suprema dualitas » (*die höchste*

---

[11] Thesis haec dirigitur contra Augustinismum post-cartesianum qui Deum ponit et concipit universaliter ut « Veritatem ipsam » (cf. v. g.: J. HARDUINUS, S. I., *Athei detecti,* in « Opera varia », Amstel; 1733. Deteguntur, ut athei: C. Jansenius, A. Victor seu A. Martin, L. Thomassinus, F. Malbranche, P. Quesnel, A. Arnauld, P. Nicole, B. Pascal, R. Cartesius, A. Le Grand et S. Regis.

[12] « Natura rationalis est praecise in quantum *ponit se ut essentem,* scil. in quantum fit conscientia suipsius. Quodlibet esse, sive ipsius ego sive ipsius non-ego est quaedam determinata modificatio conscientiae ac sine conscientia nullum esse » (... « *kein Sein ohne Bewusstsein; Grundlage des Naturrechts* », Einleitung; ed. Medicus, Bd. II, p. 6). Hanc formulam esse pacificam ostendit historia idealismi: « *Sein ist nur im Bewusstsein, nur als eine Art des Bewusstseins zu denken* » (W. WINDELBAND, *Lehrb. d. Geschichte d. Philos.*, § 41, Tübingen 1935, p. 487). Fichte, ut constat, accusatus fuit publice de atheismo et sese defendere conatus est (cf. W. STEINBECK, *Das Bild des Menschen in der Philosophie J. G. Fichte,* München 1938, p. 84 ss.).

Entzweieung sec. Hegel) inter vitam conscientiae et realitatem ipsam negatur et velut conscientia vulgaris consideratur, quam processus speculationis « superat » propria methodo negationis dialecticae. Admittit ergo philosophia moderna dualitatem (vel pluralitatem) pro conscientia empirica initiali, sed eius veritatem affirmat secundum unitatem transcendentalem conscientiae.

2. *Essentia anthropologica sive atheistica principii moderni immanentiae.*

Formulae classicae: *ens est* — secundum duplicem praesentiam « mundus est » et « quisque homo est » in quantum quisque percipit se esse per perceptionem mundi — *ergo cogito* (*ens*), philosophia moderna opposuit formulam suam oppositam: *cogito, ergo sum*. Hoc apud Kant fit principium transcendentale seu a priori: *das Ich denke überhaupt,* et ultimo in idealismo metaphysico indicatur ut *tò Ego absolutum* (Fichte), Idea absoluta (Hegel).

Clavis necessaria interpretationis philosophiae modernae cuiusvis coloris, a Cartesio et praesertim a Kant usque ad tempora nostra, habetur in significatione termini « *transcendentalis* » qui ubique occurit et in quo omnia fundantur.

Primo quidem: « transcendentale » est qualitas seu natura conscientiae humanae in quantum ipsa est principium, et medium et aliquomodo terminus in cognitione. Unde transcendentale directe opponitur « transcendentiae » sive mundo, per respectum ad cognitionis processum, sive Deo per respectum ad terminum ultimum cognitionis et vitae hominis. Dum ergo in philosophia realistica obiectum et subiectum simul dantur, simul ponuntur et opponuntur in quantum se referunt ad ens, in philosophia immanentiae est ipsa subiectivitas transcendentalis ipsius Ego quae ponit obiectivitatem: sicque non actum fundatur in obiecto, sed obiectum in actu.

Secundo: proinde « transcendentale » in philosophia moderna est a priori quod opponitur « empirico » sive cuicumque accepto a posteriori; transcendentale indicat ergo ipsam *activitatem conscientiae ponentis* vel constituentis cognitionem: « transcendentale » ergo vindicat simul cum principio etiam *subiectum transcendentale* in quantum est vel postulatur ut principium scientiae seu cognitionis in universali (*überhaupt*).

Tertio: propter hoc « transcendentale » in idem redit ac elevatio seu positio conscientiae humanae specificae ut *nucleum geneticum veritatis cuiusvis* cognitionis vel scientiae; « conscientia transcendentalis » dat proinde ipsam *structuram* veritatis cuius intentionalitas non ad ens vel ad esse ipsum, non ad Deum, sed ad hominem in quantum dicit activitatem cognoscentem et volentem necessario se dirigit: « transcendentale » ergo

indicat ipsam *realitatem humanam consideratam secundum universalitatem cognitionis et actionis in tempore et spatio* (historiae et scientiae, artis et religionis, ethicae et politicae, actionis et philosophiae...).

3. *Ambiguitas seu pseudo-theologismus immanentismi idealistici.*

Duo videntur elementa quae confluunt in structura idealismi transcendentalis: monismus pantheisticus Spinozae et principium transcendentalis Kantii, in quantum ipsum cogitare vel *tò go Transcendentale* vel Autoconscientia absoluta accipitur ut *Esse ipsum* (*Sein selbst-Hegel*). Etiam apparet influxus mysticae heterodoxae sutoris J. Böhme et speculationis theosophicae a Tubingensi « Theologia vitae » (Oetinger, Franck, Bengel...).[13]

Primo quidem influxus Spinozae minor videtur in Fichte, unde maior evidentia atheismi apud ipsum conspicitur cum totum problema circuire videatur circa exigentias (*Sollen*) toù Ego humani universaliter seu transcendentaliter sumpti.

Secundo e contra influxus Spinozae fit evidens et dominans iam in Schelling ac post ipsum in magna constructione systematis Hegel secundum quem « esse Spinoziani est ipsum principium philosophandi ».[14]

Tertio tandem a tali idealismo metaphysico (sive in Schelling sive et praesertim in Hegel) ipsum dogma christianum, non aperte negatur sicut a Spinoza, sed explicite assumitur et positive (seu *gnostice*!) explicatur secundum exigentias immanentiae. Hoc modo dogmata christiana accipiuntur ut « symbola » veritatis philosophicae: *peccatum originale* indicat momentum negativitatis in dialectica, *Trinitas* offert schema ipsius dialecticae (positivum - Pater, negativum - Filius ut negatio Patris, synthesis seu veritas utriusque - Spiritus... qui constituit essentiam ipsam humanitatis!).

Hunc pseudo-theologismum sive theologiae christianae mystificationem in speculatione hegeliana detegit et denuntiavit dux sinistrae hegelianae, philosophus sincere et simpliciter atheus Ludovicus Feuerbach, qui discipulus fuit Hegelii et viam aperuit atheismo sociologico et politico a

---

[13] Cf. C. FABRO, *Hegel* in « Enc. Cattolica », t. VI, col. 1386 ss.

[14] HEGEL, *Geschichte der Philosophie,* ed. Michelet, S. W. XV, p. 337: « Spinozist zu sein, ist der wesentliche Anfang alles Philosophierens ». Defectus substantiae Spinozianae est eius abstractio seu inertia quae tollitur praecise per tò Ego transcendentale, in quantum concipitur ut subiectivitas absoluta seu transcendentalis. Hegel defendit fortiter Spinozam ab accusatione pantheismi et atheismi (cf. *Enc. d. philos. Wiss,* § 50; ed. Hoffmeister, p. 76; cf. etiam § 573, p. 477 ss.). Accusatio de atheismo contra Spinozam iam legitur in Epist. 42 (ed. Gebhardt, t. IV, p. 207 ss.) et proponitur explicite, sicut notum est a P. Bayle (*Dictionn. hist. et crit.,* ed. Basil. 1738, t. IV, s. v., p. 253).

Marx-Engels-Lenin propugnato. Feuerbach affirmat: « secretum Theologiae [hegelianae] est anthropologia »[15] seu « idealismus est cryptoatheismus ».

V. *Sincera natura atheismi contemporanei indicatur.*

1. *Atheismus marxisticus* sese praebet ut magis cohaerentem, activum et radicalem. « Dialectica » quam Hegel introduxerat ad consequendum, in ambitu reflexionis, ipsum Abolutum quamque Feuerbach respuerat ut affirmaret hominem naturalem concretum, reassumitur e contra a theoricis marxismi et applicatur realitati humanae cuius momentum constitutivum ponitur in re oeconomica secundum « luctam classium ».[16]

Accipiunt ergo Marxistae a Feuerbach *anthropologismum,* sensu iam indicato, et ab Hegel *dialecticam,* conceptionem scilicet realitatis (sive naturae sive praesertim historiae) quae formas vitae hominis earumque progressum explicat secundum oppositiones (oeconomicas). Profitentur ergo marxistae *materialismum* duplicem vel secundum duplicem dimensionem, *dialecticum* scilicet (quoad methodum) et *historicum* (quoad rem ipsam). Profitentur pariter *evolutionismum absolutum* sive in formatione mundi physici sive circa originem belluinam hominis (Darwinismus explicite attollitur).

Unde in Marxismo « atheismus proletarius fit elementum seu principium componens necessarium » ita quod religio et scientia sunt intrinsicae inconciliabiles[17] in quantum non Deus fecit hominem sed homo Deum (mediante proiectione phantastica impressionis cuiusdam psycho-

---

[15] Cf. praes. opus principale ipsius FEUERBACH, *Das Wesen des Christentums,* etiam in forma magis vivida et essentiali: *Grundsätze einer Philosophie der Zukunft.* Alius atheismi magister qui ab Hegel processit fuit David F. Strauss qui non solum Deum sed historicam exsistentiam Christi negavit in opere *Das Leben Jesu*: cf. etiam Summam eius theologiae... atheae, *Die christliche Glaubenslehre,* 2 voll., Tübingen-Stuttgart 1840.

[16] Hoc clare exprimitur in art.: *Atheismus* cuiusdam F. N. Oleschtschuk, qui continetur in « Magna Enc. Sovietica », II ed. Moskau 1950, Bd. III, p. 347 ss.; huius habetur versio germanica, n. 49, Dietz Verlag, Berlin 1956, p. 2 ss. Art. evolvit principium Feuerbach secundum quod homo (in religione) est « creator Dei » et principium Marx scilicet quod « religio est opium populi », « ... dieser Ausspruch von Marx ist der Eckstein der gesamten Weltanschauung des Marxismus in der Frage der Religion » (p. 19). Expositio synthetica conceptionis marxisticae de origine religionis exponitur a sovietico J. P. FRANZEW, *Die Entstehung der Religion,* tr. germ. a C. H. Ludwig, Urania Vlg, Leipzig-Jena 1959.

[17] Cf. Praef. ad Anthologiam: K. MARX-F. ENGELS, *Ueber Religion,* Dietz Verlag, Berlin 1958, p. 6. Analysim egregiam formationis atheismi marxistici habet M.-M. COTTIER, *L'athéisme du jeune Marx,* Ses origines hégéliennes, Paris 1959.

logicae: (Feuerbach, Marx iam Hegel posuerat religionem inferiorem philosophiae).

Atheismus marxisticus ergo praebet formam radicalem atheismi nostri temporis, cuius haec sunt capita praecipua de essentia religionis praesertim romano-catholicae:

a) *Religio est reproductio (Widerspiegelung) phantastica, errata, confusa mundi realis in conscientia hominis.*

b) *Religio est habitudo mere sentimentalis hominis ad potentias extraneas,* quae videntur supermundanae et quae ipsum dominantur.

c) *Religio est indivisibiliter connexa cum actionibus cultus, sacrificii, orationis* quibus ipsa cum Deo connectitur *propter interesse classis dominantis.*[18]

Unde, contra ingenuos et romanticos sympathizantes marxismi, recolenda sunt verba Lenin: « *Lucta contra religionem est a b c socialismi scientifici* [19] qui vult luctam ipsam cum dialectica fieri sive variari secundum circumstantias ».

2. *Atheismus exsistentialisticus.*

Exsistentialismus kierkegaardianus a situatione theologica originalis peccati et Redemptionis in Christo, Verbo Dei incarnato, procedit: praesentia et activitas Dei per Christum in omnes, qui per fidem et amorem ad illum accedunt, pervadit totam conceptionem exsistentiae a Kierkegaard miro et profundo modo saepe expositam sive contra pantheismum idealisticum sive contra depravatum Christianismum protestanticum.[20]

Periculum atheismi apparet in exsistentialismo contemporaneo, in quantum exigentia theologica transcendentiae a Kierkegaard prolata flectitur secundum principium immanentiae: a *Jaspers* secundum agnosticismum Kantii, ab *Heidegger* secundum experientiam seu praesentiam entis puram (Hegel, Hölderlin), et tandem a *Sartre* secundum dualismum cartesianum phenomenologice interpretatum. Dum in marxismo atheismus derivabat secundum dialecticam classis operariae seu massae vel hominis qui concipiebatur ut genus (*Gattungswesen*) et ut res naturae (*Naturwesen*), in exsistentialismo est ipsa « libertas individui » seu hominis

---

[18] Cf. synthesim H. SCHELER, *Die Stellung des Marxismus-Leninismus zur Religion,* Dietz Verlag, Berlin 1959, p. 6 ss.

[19] LENIN, in art. anni 1909: *Habitudo partis proletariatus erga religionem,* apud: LENINE, *Marx-Engels Marxisme,* Moscou, Ed. en langues étrangères, 1947, p. 230. Art. hic habetur ut fundamentum doctrinale et tacticum in lucta marxismi contra religionem (cf. A. SCHELER, *Op. cit.,* p. 25; Art. *Atheismus,* l. c., p. 19 ss.

[20] Cf. C. FABRO, *Dall'essere all'esistente,* Brescia 1957, p. 127 ss., 241 ss., 279 ss. V. etiam: *Tra Kierkegaard e Marx,* Firenze 1953.

singularis quae nullum patitur fundamentum et terminum nisi seipsam et propriam possibilitatem.

Si positiones Jaspers et Heidegger possunt dici atheismi impliciti, *atheismus Sartre* est omnino explicitus et declaratus.[21]

Lineae theoreticae atheismi Sartriani hae videntur principales:

a) Ens reducitur ad phaenomenon seu ad meram parventiam.

b) Duplex est genus praesentationis phaenomenorum quorum aliud constituit subiectum (le *pour-soi*), aliud obiectum (le *en-soi*). Inter *pour-soi* et *en-soi* quaevis relatio concipitur *per modum negationis.*

c) In homine sive in *pour-soi* invenitur proprietas quod *exsistentia praecedit essentiam,* seu homo fit per suam libertatem: ergo homo nihil est ante exercitium libertatis.

d) Secundum Sartre proinde *libertas hominis et exsistentia Dei mutuo se excludunt ita ut negatio Dei est fundamentum pro affirmatione hominis seu libertatis individui singularis.*[22]

PROPOSITIONES

1. Sicut Concilium Vaticanum I, contra laicismum saeculi XIX, divinam Ecclesiae auctoritatem vindicavit, ita *Concilio Vat. II indagare praestat morbum mortalem Atheismi* qui totum orbem omnesque classes sociales pervadit et invadit.

Edat ergo Concilium *Constitutionem de Atheismo contemporaneo* quae eiusdem principia, formas et mala exponat tamquam rationis et fidei corruptiones, quem admodum v. g. in Enc. *Pascendi* S. Pius X complevit.

2. Huius sollemnis Documenti obiectum praecipue erunt:

1) *Analysis conscientiae humanae religiosae secundum eius authenticam naturam*:

— tum contra effatum Marxisticum: religionem esse « opium populi »,

— tum contra conceptionem religionis apud borghesiam voluptuariam capitalisticam.

---

[21] Cf. *L'être et le néant,* N. R. F., Paris 1943 (est opus theoreticum principale); *L'existentialisme est un humanisme,* Nagel, Paris 1946 (expositio brevis et lucida). Inter eius dramata, atheismum movent: *Les mouches, Le sursis, Huit Clos.* Ideas ipsius Sartre sequitur Simone de Beauvoir (*Le deuxième sexe et alia*). Atheismum exsistentialem praebet etiam A. Camus, praemium Nobel, nuper defunctus, V.: P. H. SIMON, *La negation de Dieu dans la litterature française contemporaine,* in « L'Athéisme contemporain », ed. cit., p. 37 ss.

[22] V. l'esposizione in: C. FABRO, *Storia della Filosofia,* II ed., Coletti, Roma 1959, t. II, p. 878 ss.

2) *Expositio exhaustiva de praeambulis fidei* (spiritualitas animae, libertas arbitrii, exsistentia Dei).

Sive contra materialismum marxisticum et exsistentialisticum, neopositivisticum vel praxisticum.

Sive contra sic dictos « spiritualistas christianos » qui idealismo vel irrationalismo vel ontologismo adhaerent modernismum renovantes.

3) *Firma exhortatio ad omnes* — sive fideles, sive religiosos, sive praelatos — *de vita evangelica firmiter et simpliciter sequenda*: ne et ipsi Christifideles in laqueum luxus et divitiarum seu materialismi practici incidant, qui ad coelestia bona vocati sunt. Ad hoc praestat intercessio S. Pii X qui, pauper et humilis corde, strenuus fuit impugnator atheismi modernistici, et praesens exemplum B. Patris Ioannis XXIII, f. r., quem Deus servare dignetur ad salutem populorum, ad errantium conversionem, atque spirituale gaudium Ecclesiae suae.

DE PROBLEMATIBUS HIERARCHIAE ECCLESIASTICAE

(J. Fuertes)

Opportunum duxi aliquas indicare quaestiones, quae etsi quandoque nimis theoreticae videantur, magnum influxum exercent in rebus practicis, cum sint principia ex quibus plures normae derivantur. Has quaestiones *problemata* dico, quia etsi clarae et inconcussae habendae sint, tamen frequenter obscurantur vel negantur.

Cum vero impossibile sit diffusam commentationem de singulis scribere, velut elenchum quaestionum proponam, ita tamen, ut quasi studium alicuius quaestionis appareat, cum omnes ad hierarchiam sese referant et plus minusve organice proponantur.

Relinquam problemata circa originem, et communicationem potestatis, necnon de nominibus quibus potestas seu imperium designatur, in quo aliqualis vel magna potius confusio adest, ne forsitan nimis theoretica appareat expositio.

PRIMATUS

Hodie quidem Primatus Petri non negatur directe, sed indirecte forsitan deprimitur, minuitur sive scriptis, sive factis, quia nimis exaltantur iura et officia Episcoporum et natura et functio Dioecesis. Auderem dicere, quod quasi Episcopalismus serpit.

Optimum esset si Encyclica v. gr. *Satis cognitum,* Leonis XIII (29 iunii 1896) recordaretur, eodem modo alia documenta pontificia, quae de hierarchia ecclesiastica agunt, quae revera « satis cognita » non sunt.

Ecclesiae Nationales

Conferentiae seu Collationes Episcoporum magnum influxum in regimine ecclesiastico, nostris temporibus, habent. Origo collationum inveniri debet iam primordiis saeculi elapsi, sed ut institutum ecclesiasticum in Codice Iuris Canonici vix considerantur. Tantum in canone 292 agitur de conferentiis regionalibus episcoporum suffraganeorum cum Metropolita, sed non de conferentiis nationalibus Metropolitarum. Hodie non tantum « saltem quinto quoque anno » ut in can. 292 praescribitur, sed singulis annis vel frequentius celebrantur.

Praeterea velut organa conferentiarum plures *commissiones permanentes* creatae fuerunt pro diversis activitatibus seu materiis regiminis ecclesiastici. Interdum, non tantum ista organa indolis seu competentiae ut ita dicam nationalis, sed et alia organa constituta fuerunt v. gr. *Opera Missionalia* quae indolem nationalem, non dioecesanam retinent et influxum exercent in universa natione. Organis istis adscripti fuerunt nonnulli clerici, qui ideo de facto constituunt velut hierarchiam personalem nationalem, nam etsi formaliter retineant propriam incardinationem dioecesi originariae, de facto nulli subiiciuntur Ordinario et sunt practice clerici vagi.

Favendae non sunt, censeo, conditiones ex quibus semper magis ac magis, Ecclesia in aliqua determinata regione, *nationalis,* ut ita dicam, videatur, ipsam autonomiam dioeceseos vel praesertim suprematiam Romani Pontificis ignorando vel minuendo. Unde *bonum esset si ista omnia de collationibus et organis nationalibus iuridice ordinarentur.*

Incardinatio clericorum

« Quemlibet clericum oportet esse vel alicui dioecesi vel alicui religioni adscriptum, ita ut clerici vagi nullatenus admittantur », can. 111.

Usque adhuc et prout ex citato canone demonstratur duplex tantum erat ordo seu hierarchia ratione adscriptionis, *territorialis* ex clericis alicui dioecesi incardinatis constituta, et *personalis* ex clericis incardinatis alicui religioni. Non adest hierarchia personalis clericorum saecularium. Tamen de facto, quot sunt clerici officiales Sanctae Sedis, qui retinent incardinationem antiquae suae dioecesi a qua a plurimis annis absunt, de quibus proprius Episcopus non curat, cum agatur de clericis in alto loco forsitan constitutis. Isti clerici in vita spirituali et in aliis a quo de facto pendent?

Sed, ut in praecedenti paragrapho notavimus, hodie, *quasi curia natio-*

nalis passim efformatur in diversis regionibus et sunt plures clerici officiales in commissionibus episcopalibus et tot sunt.

Praeterea sunt et alia intenta apostolatus universalis in quibus permanenter collaborant clerici religiosi diversarum religionum v. gr. corpus permanens pro Missionibus ad populum in America Latina, aliqua intenta Card. Lercaro. Et sunt opera apostolatus indolis universalis in quibus permanenter collaborant clerici religiosi et saeculares, velut sic dictum « Mondo migliore ». Ultimis temporibus constitutae sunt velut *coloniae missionariae,* scilicet clerici dioecesani qui manendo incardinati propriae dioecesi resident habitualiter in aliquo territorio missionali, quod velut specialiter commendatum alicui determinatae dioecesi retinetur. Sunt qui de Dioecesi missionaria loquantur, sed non recte.

Ista foenomena denotant quaestionem de incardinatione hierarchiae reconsiderari debere. Vel potius *ius administrativum ecclesiasticum magis elaborandum esse, ut quaedam magis declarentur et perficiantur.*

Organizatio Hierarchiae

Dioeceses et paroeciae sunt partes territoriales Ecclesiae universalis. Hoc clarum est iure canonico. Iure romano praevaluit organizatio municipalis, collegialis. Quando tamen vita municipalis exhauritur, locum cedit organizationi territoriali. Organizatio germanorum fuit territorialis. In Ecclesia praevaluit etiam organizatio territorialis hierarchiae. Tamen hodie ita scribitur et agitur, non quidem a iuristis, velut si organizatio ecclesiastica esset collegialis, *cum Paroecia et etiam Dioecesis consideretur ut Corpus, ut Collegium,* cui omnes fideles incorporantur et fiunt membra baptismate. Incorporatio ista esset per se sanctificativa. Ex quo sequeretur quod aliquis incorporetur Christo quatenus paroeciae incorporatur, vel Dioecesi, et quod Paroecia vel Dioecesis iam in se est proprie Corpus Mysticum. Unde resultaret Ecclesiam esse non unum Corpus Mysticum, sed superconfoederatio diversorum corporum, nam dioecesis ipsa resultaret ex confoederatione paroeciarum.

Censeo, nostris temporibus, quandoque auctores non recte opinari, circa naturam paroeciae et dioecesis. Relinquendo quaestiones theologicas et profundiores considerationes iuridicas, notemus tantum aliquos canones codicis.

Paroecia:

« *Territorium* cuiuslibet dioecesis *dividatur in distinctas partes territoriales;* unicuique autem parti sua peculiaris ecclesia cum populo determinato est assignanda, suusque peculiaris rector, tamquam proprius eius-

dem pastor, est praeficiendus pro necessitatibus animarum », can. 216, § 1.

« *Partes dioecesis* de quibus in § 1, *sunt paroeciae* », can. 216, § 3.

Parochus non est caput alicuius collegii, sed *rector praeficiendus* ab Episcopo *determinato territorio.*

« Beneficium ecclesiasticum *est ens iuridicum* a competente auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum », can. 1409.

Beneficium ecclesiasticum est ergo persona moralis non collegialis. Paroecia vero est beneficium, ut ex pluribus canonibus constat.

« Beneficia ne erigantur, nisi constet ea stabilem et congruam dotem habere », can. 1415.

« Non prohibetur tamen, ubi congrua dos constitui nequeat, paroecias aut quasi-paroecias erigere, si prudenter praevideat ea quae necessaria sunt aliunde non defutura », can. 1415, § 3.

Dioecesis:

Nec etiam pro Dioecesi, etsi « Ecclesia particularis » vocetur, remanet dubium circa naturam territorialem.

« Episcopi sunt Apostolorum successores atque ex divina institutione » peculiaribus ecclesiis « *praeficiuntur* quas cum potestate ordinaria *regunt sub potestate Romani Pontificis* », can. 329.

Etsi tam clara definitio territorialitatis non inveniatur ut pro paroecia, sunt tamen plures canones qui id supponunt. Praeterea ex natura et constitutione Ecclesiae descendit istud assertum.

« Episcopus *territorium suum* in regiones seu districtus, pluribus paroeciis constantes distribuat », can. 217.

Hic canon non dicit: « dividat dioecesim », sed locutione aequipollente usus, ait, *territorium* pro dioecesi. Etiam Dioeceses romanae fuerant divisiones territoriales administrativae. Et si in canone 329, Dioecesis appellatur « ecclesia particularis » non significat quod sit verum collegium et quod pro persona morali collegiali sumatur. Superius diximus quomodo beneficia sint personae morales non collegiales et etiam Dioeceses computantur inter beneficia consistorialia, de quibus plures inveniuntur canones in tractatu de beneficiis.

Effectus iuridici:

Ex diversa conceptione *territoriali,* vel *collegiali-mystica,* plures consequentiae derivari possunt et forsan derivantur pro regimine et administratione Ecclesiae. Nam si quis sit persona in Ecclesia, sive sub aspectu stricte iuridico, sive sub aspectu, ut ita dicam, theologico, quatenus baptismate incorporatur huic vel illo collegio, quod paroecia vel dioecesis

appellatur, naturale et logicum est ut paroecia vel dioecesis illum assumat undique et quod universa illius vita christiana sub quolibet aspectu a nativitate hominis usque ad mortem plene in paroecia evolvatur, centralizetur et absorbatur.

E contra si paroecia et dioeceses sunt territoria quibus fidelis pertinet ex relatione ad locum qua mediante fit subditus, non membrum collegii alicuius, ex relatione commorationis quae domicilium vel quasi domicilium appellatur, planum est, in uno eodemque territorio coëxistere posse diversas iurisdictiones, diversas auctoritates, diversas activitates et apostolatus, sicut in divisionibus territorialibus Status accidit, in quibus quin unitas regiminis destruatur, coëxsistunt et agunt diversae iurisdictiones vel hierarchiae vel territoriales, sed circa diversas materias competentes, sive hierarchiae territoriales et personales.

Iurisdictio et exemptio

Quaestio de exemptione non est nisi casus coexistentiae in uno eodemque territorio hierarchiae diversae. Planum est plures ordines contineri in una eademque communi hierarchia Status et idem affirmandum est etiam de hierarchia ecclesiastica.

Adest hierarchia territorialis et hierarchia personalis. Clerici dioecesani subordinantur Episcopo qui caput est hierarchiae territorialis particularis dioecesis incardinatione in albo vel ordini illius.

Ex incardinatione surgit subordinatio hierarchica et ex relatione subordinationis officium oboedientiae hierarchicae quod est primarium et fundamentale officium hierarchiae. Ista relatio magni differt a relatione subditantiae quae a domicilio vel quasi domicilio generatur, ex quo relatio iuris publici subditantiae oritur, qua officium seu obligatio oboedientiae politicae generatur.

Simplices fideles fiunt subditi parochi vel Episcopi ex commoratione in loco. Non possumus affirmare quod illi incorporentur vel incardinentur, incardinatio est propria clericorum et non est nisi adscriptio definitiva, perpetua, particulari ordini seu hierarchiae sive territoriali, sive personali.

Praeter hierarchiam territorialem oportet personalem distinguere. Caput hierarchiae personalis est immediate Summus Pontifex. Omnes clerici adscripti esse debent vel particulari ordini hierarchiae territorialis, vel personali et universali, ideo assertum can. 111: « Quemlibet clericum oportet esse vel alicui *dioecesi,* vel alicui *religioni* adscriptum ».

Religiosi omnes, tamquam Supremo Superiori, subduntur Romano Pontifici cui oboedire tenentur etiam vi voti oboedientiae », can. 499, 1.

Dicitur in hoc canone *etiam* vi voti oboedientiae, et ratio est, quia sunt et aliae causae oboedientiae et subordinationis. Prima illa oboedientia socialis seu politica, quae ex relatione subditantiae oritur, nam religiosi ante omnia sunt fideles seu subditi Ecclesiae, cuius caput supremum Pontifex Romanus est. Possunt etiam religiosi, cum plures sint clerici, teneri oboedientia hierarchica, nam verum est clerici semper Episcopo subiici et clerici religiosi Episcopo Romano subiiciuntur, unde recte et sine exaggeratione isti vocari possunt, ut aiunt, vocavisse Sanctus Pius X, clerus Papae.

Sed praeterea adest alia tertia oboedientia qua tenentur Pontifici omnes oboedire religiosi et ideo clerici tales, oboedientia stricte religiosa, oboedientia evangelica, eo quod Romanus Pontifex verus sit Supremus Superior omnium religiosorum.

Ista oboedientia evangelica toto coelo differt ad oboedientia hierarchica, quae si altioris gradus et naturae sit quam oboedientia subditorum, tamen intra limites iuris continetur et ab illo accipit naturam, et est oboedientia, quam in ordinatione promittunt.

Oboedientia evangelica consistit in totali abnegatione suipsius: « Si quis vult post me venire abneget semetipsum... ».

Cum clerici religiosi incardinentur religioni et non particulari dioecesi, Religio pro illis vice Dioecesis haberi debet, et Superior vice Episcopi, in omnibus quae ad institutionem, vitam et apostolatum istorum clericorum sese referunt. Mirum esset si sacerdotes sic dicti saeculares essent sub rigorosa vigilantia et dependentia Episcopi et sacerdotes religiosi non, vel minus, ex defectu iuris et quia Superiores ipsorum sufficientem auctoritatem non haberent.

Potestas Superioris Religiosi

Quidquid de hac quaestione quidam dicant auctores, cum de nominibus non est disputandum, deberemus affirmare Superiores Supremi Religiosi et ab illis inferiores gradu in hierarchia interna, quamdam habere in religione clericali iurisdictionem.

En circa quaestionem quaedam verba Pii XII, quae sese referunt ad potestatem Superiorum cuiuscumque religionis et non tantum clericalis: « Haud mediocri animi gaudio vos omnes Filii dilectissimi, qui sodalibus ad perfectionem evangelicam contendentibus suavi divinae Providentiae consilio praepositi estis, coram Nobis astantes in Domino salutamus, utpote in aliquam, non qualemcumque, *Nostri Apostolici muneris societatem adlectos...* ».

« In hac igitur parte Nostri muneris, vobis, dilectissimi Filii, sive recto tramite, aliquid vobis per codicem iuris delegantes Nostrae supre-

mae iurisdictionis, sive per ipsa nobis probata Regulas et Instituta vestra illius potestatis vestrae quam « dominativam » appellant, fundamenta ponentes, *vos socios Nostri* supremi officii assumpsimus. Hinc fit ut Nostra plurimum intersit, ut ad mentem Nostram et Ecclesiae *hanc vestram auctoritatem exerceatis* » (PIUS XII, *Discorsi e Radiomessaggi,* vol. XIX, p. 749; *Esortazione ai Superiori Generali,* 11 febr. 1958).

RELIGIOSI ET HIERARCHIA LOCALIS

« Ante omnia iuvat Nos paucis verbis perstringere, quinam Religiosorum Ordinum et Congregationum in Ecclesia sit locus. Scitis profecto Redemptorem nostrum Ecclesiam hierarchica natura praeditam condidisse ». « ... Quo circa divino ipso iure statutum est, ut clerici distinguantur a laicis », can. 107.

Praeterea status religiosus nullo modo reservatur ad unam vel alteram duarum partium, quae ex iure divino in Ecclesia exstant, cum tum clerici, tum laici itidem religiosi esse queant, et cum contra sive religiosis sive in iis qui tales non sunt clericalis dignitatis aditus pateat. *Deerrat igitur in aestimandis fundamentis quae Christus constituendae iecit Ecclesiae, qui secum reputat peculiarem saecularis cleri formam, utpote saecularis, a divino Redemptore statutam sancitamque esse, peculiarem autem regularis cleri formam, licet ipsa bona et rata habenda sit, quippe quae ex altera manet, secundariam et auxiliarem esse.* Quocirca, ordine a Christo statuto ob oculos habito, neutra peculiaris gemini forma divini iuris praerogativam tenet, cum idem ius neque alteri alteram praeponat neque alterutram emoveat. *Quodnam vero utriusque sit discrimen, quaenam mutuae rationes, quinam in humanae salutis perficiendo opere utrique committendus sit labor, haec omnia Christus* temporum varietatibus et necessitatibus circumscribenda reliquit, vel si volumus expressius cogitatum Nostrum definire, *Ecclesiae* decretoriis mandavit consiliis ».

DEPENDENTIA PRAESBYTERORUM AB EPISCOPO

« Haud dubie ad iuris divini praescriptum sacerdos, sive saecularis sive religiosus est, ita munia exercere debet sua ut Episcopo auxiliator. Hoc revera, quod ceterum ex sueto more in Ecclesia contingit, in codice iuris canonici illa de religiosis viris, utpote parochis et Ordinariis locorum, praescripta (can. 626-631; 454 § 5) haud obscure declarant. Neque raro evenit, ut in sacrarum expeditionum territoriis, universus qui illic versatur clerus, non excepto Antistite regularis sit militiae. Neve autumet quisquam id prorsus extra ordinem suetamque normam esse, ita ut censeatur hoc ad tempus tantum contingere et simulac fieri possit, sacram procurationem saeculari clero esse tradendam.

Sed et religiosorum ordinum exemptio neque principiis constitutionis divinitus Ecclesiae datae obsistit, neque ullo modo repugnat legi, qua sacerdos Episcopo parere debet. Etenim ad normas iuris canonici religiosi exempti Episcopi loci potestati subsunt, prout episcopale munus perfungendum et animorum rite ordinanda curatio requirunt. Quod etiam si praetermittamus, in disceptationibus per postrema decennia super exemptione habitis, haud satis fortasse *animadversum est religiosos exemptos, etiam ex praescripto iuris canonici semper et ubique Romani Pontificis potestati, utpote Supremo suo moderatori, subici, cui oboedire tenentur etiam vi voti oboedientiae* (can. 499 § 1). Iamvero *Summus Pontifex, ut in universam Ecclesiam, ita in unamquamque dioecesim et in singulos christifideles ordinariam et immediatam iurisdictionem habet. Ergo constat primariae a Deo latae legi, qua clerici et laici Episcopi regimini subesse debent, etiam ad religiosos exemptos quod attinet satis superque obtemperatum esse* ac denique Christi voluntati et statuto utriusque militiae clerum pari respondere obsequio ». Pius XII, *Annus Sacer,* 8 dec. 1950. *Discorsi e Radiomessaggi,* p. 343, vol. XII (1950-1951).

Exemptio non extinguenda

Ut ipse Summus Pontifex notat, exemptio quandoque suscitat oppositionem Episcoporum et cleri saecularis, et plures sunt qui vellent ut radicitus exstingueretur. Non tantum, sed vellent ut sive exempti sive non exempti omnes religiosi totaliter subderentur potestati Episcoporum in quolibet exercitio apostolatus.

Revera verbum « exemptionis » videtur odiosum, sed non manifestat veram naturam instituti, videtur quasi rapinam indicare, liberationem ab Episcopi iurisdictione, quasi necessario Episcopis pertinerent omnia illa quae ex exemptione ipsius substrahuntur, ex quo aliquid odiosum apparet, sicut odiosa est semper substractio rei vel iuris indebita. Omnes difficultates cuiuscumque generis sint quae contra exemptionem proprie dictam, vel contra independentiam seu autonomiam clericorum religiosorum in operibus apostolatus proponitur, solutae inveniuntur et solvendae sunt iuxta principia a Summo Pontifice Pio XII in supra dictis enuntiata.

Clerus religiosus valeat universalis appellari, et revera sensum universalitatis et romanitatis ubique portat contra spiritum « localistam » et « cantonalistam », ut ita dicam, tamen non extradioecesanus considerandus est, cum si non in individuo et immediate incorporetur dioecesi, est mediate dioecesi adscriptus, mediante incorporatione domus religiosae, quae erecta fuit de licentia et voluntate Episcopi et quidem ad nor-

mas can. 497 ad collaborandum in apostolatu secundum naturam et fines Instituti.

Esset quid antihistoricum et auderem dicere antiiuridicum, quaestionem exemptionis solvere ut quidam vellent ipsam plane negando et totaliter subiiciendo religiosos potestati Episcopi particularis dioecesis.

Clerus hierarchiae personalis et universalis totaliter *in manu Papae* positus, habuit (sufficit considerare expansionem missionariam) et habet, functionem maximi momenti et si subiiciatur totaliter Episcopo particulari fit territorialis. Vita religiosa ex qua vitalizatur, ut ita dicam, vita apostolica, esset impossibilis, esset impossibile ut hierarchice et universaliter ordinaretur. Quid ergo dicendum? *Quoad vitam internam non tantum non est supprimenda exemptio, quae fortasse melius iurisdictio esset dicenda, sed et fortificanda immo agnoscenda etiam in religionibus clericalibus omnibus, cum tota vita clericalis in illis a Superioribus et non ab Episcopis pendeat.*

Quoad vitam vero apostolatus, activitas religiosorum et non tantum clericorum coordinanda est cum activitate apostolica dioeceseos, in qua quidem immediatus et principalis responsabilis est Episcopus, semper tamen intra limites iuris canonici et sub ductu Romani Pontificis.

Religiosi debent ex adscriptione ad particularem domum alicuius dioecesis se tamquam clerici illius considerari, ipsam amare et pro illa et in illa sincere laborare plena deditione operibus proprii apostolatus, obsequentes semper non tantum Episcopo sed etiam omnibus clericis dioecesanis, qui religiosos debent retinere ut partem dioecesis et hierarchiae dioecesanae ratione destinationis in dioecesi.

Organa coordinationis

Unitati potestatis socialis, unitati gubernationis seu regiminis, unitati hierarchiae non opponitur pluralitas ordinum, seu quod sint plures ordines particulares in una eademque hierarchia Ecclesiae. Immo ista pluralitas est convenientissima et necessaria, nam quo magis percrescunt necessitates sociales, multiplicantur activitates Status et pro singulis actionibus evolvendis creantur iuxta diversas functiones, diversa organa. Praeterea actio regiminis fit magis ac magis universalis, nam mediis localibus subveniri non possunt problemata quae semper magis fiunt universalia.

Ex isto duplici capite, sive quia in uno eodemque loco seu territorio coexistere possunt potestates cum actione diversa vel quia una est universalis alia vero localis, vel una exercetur in una determinata materia alia in alia, possunt quidem surgere et provocari conflictus, sed remedium

optimum non esset unitatem procurare suppressione, exstinctione diversarum functionum potestatis.

Unitas hierarchiae obtinetur in eodem ordine subordinatione, quae quidem non debet esse arbitraria, sed ordinata propriis statutis a competente superiore auctoritate datis. Quando vero plures sint ordines in una eademque hierarchia tunc unitas obtinetur coordinatione, quae obtinetur sive legibus, quae determinando competentias et possibiles collaborationes, conflictus praeveniant, sive quandoque, creando etiam organa ad hoc praecise ut diversas activitates habitualiter coordinet et dirigat.

Revera cedendum non est localismo, universalitas apostolatus urget. De facto, iam supra indicavimus, quomodo organa nationalia a conferentiis Episcoporum pluribus in regionibus constituta fuerunt. Praeter illa, alia plurima constituta sunt organa actionis apostolicae quae limites alicuius particularis dioecesis excedunt. Adest Romae, apud S. C. Concistorialem, Commissio pro America Latina et in America Latina constitutum est C. E. L. A. M. et etiam C. I. A. R. In Gallia adest Commissio mixta utriusque cleri saecularis et religiosi ut sub dependentia conferentiae Episcoporum coordinari possint activitates apostolicae. Nuper Summus Pontifex Ioannes XXIII coadunavit Supremos Moderatores Religiosorum, Romae commorantes, et illis de necessitatibus Americae Latinae allocutus est.

Fortasse bonum erit ut *organa coordinationis* crearentur *in Curia Romana ad coordinandam activitatem diversarum congregationum,* quae sive ratione subiectorum, sive ratione materiae conveniens videatur coordinari. Ita vitarentur abusus competentiae et possibiles conflictus, sed, quod optimum erit, vires multiplicarentur. Ista activitas et organa coordinativa consideranda erunt etiam in dioecesibus, et in natione.

Organa Curiae Romanae

Ex supradictis quaeri posset, an conveniens sit Curiam reordinare, ita ut v. gr. esset organum coordinativum S. C. Concilii, Religiosorum, Consistorialis, etc. De facto Commissio pro America est apud S. C. Consistorialem, sed in illa aliae cooperantur Congregationes ut citatae Concilii et Religiosorum.

Fortasse *melius esset si Congregatio Concilii, nomen mutaret et competentias, ita ut illa Sacra Congregatio sub se tantum curam haberet laicorum seu plebis.* Cur clerus sit ipsae subiectus non clare videtur. Clerus et ille qui « basso » dicitur et « alto » uni eidemque S. Congregationi deberet esse commissus. Videretur absurdum si praeparatio officialium

seu ducum exercitus triplici ministerio demanderetur et esset unum Ministerium pro praeparatione Ducum superiorum et alium autonomum et separatum pro ducibus inferioribus et tertium Ministerium belli pro Academiis militaribus. Ideo *bonum esset, si universus clerus cum Seminariis ubi instituuntur, ab una eademque penderet Congregatione.*

Cura e contra omnium *Institutorum* quae ab Ecclesia constituuntur, non ad perfectionem ordinariam praeceptorum, sed extraordinariam consiliorum evangelicorum socialiter profitendam, committatur *uni eidemque S. Congregationi de Statibus perfectionis,* pro latinis.

Cum vero plures religiosi clerici sint, quae in illis ad sacerdotium pertinent et recto regimini interno non obstent possent demandari, Congregationi de Clero. Ex istis necessitas iterum demonstratur alicuius organi coordinativi.

Si ita ordinarentur res fortasse S. Congregatio Seminariorum et Universitatum non esset necessaria, praesertim si ad modum Ministerii educationis ordinetur prout in civili Statu adest. Verum est quod Ecclesia habet proprium et nativum ius docendi ex mandato Christi Fundatoris, sed in illo mandato agitur directe de veritate salutis, de ceteris vero quatenus ad doctrinam salutis docendam sint necessariae.

Sunt quaedam quae ad finem Ecclesiae pertinent directe, et quaedam indirecte, ratione caritatis seu apostolatus. Unde si sint aliae Congregationes quae apostolatum ordinant, non deberent opera apostolatus a subiecto separando diversae Congregationi commendari, nec omnia velle regere sub aspectu technico, ne nimis libertas apostolatus, burocratismo limitetur, sed in illis quae non directe, sed sub ratione apostolatus caritatis ad finem Ecclesiae pertinent potius aspectus apostolicus et disciplinaris quam technicus est considerandus.

Si in Ministerium educationis erigeretur S. C. Universitatum, quare non est erigenda S. Congregatio Sanitatis et Hospitalium, vel Ministerium ut dicitur « Turismi » scilicet peregrinationum nam sunt etiam officia in aliquibus dioecesibus, vel Ministerium pro « Sport » et iuventute? (« Boy-scouts », etc.).

Nuntii et Delegati Apostolici

Cum problema coordinationis sit maximi momenti in qualibet hierarchia sive civili sive ecclesiastica, deberemus aliquantulum considerare hanc figuram, quam nescio an de facto et in praxi respondeat nunc canonibus codicis iuris. Relinquendo aspectum politicum Nuntii sive quatenus Legati Sanctae Sedis sint apud determinatum Statum et considerantes tantum, sive in Nuntiis sive in Delegatis Apostolicis, aspectum

administrativum, quaerendum esset an sint tantum organum vigilantiae, et quidam vigilantia iam est una functio subordinationis hierarchicae, vel sunt verum organum coordinativum. Posset certo esse optimum organum coordinationis inter organa administrativa Curiae Romanae et illa indolis nationalis quae nunc ubique surgunt, sed ista omnia deberent recte et perfecte determinari legibus, ne in confusionem et arbitrium incideretur, quod valde nocivum esset pacifico regimine Ecclesiae.

Unitas cleri

Pluralitas non reducitur ad unitatem nisi per unum, sed ista unitas hierarchiae et actionis salutis, non erit perfecta si tantum mediis externis procuretur, procuranda est ideo ante omnia inter personas quae membra vel organa hierarchiae sint et hoc caritate praesertim obtinetur. Lamentandae sunt ergo divisiones si quae sint. Unus Christus, Unum Sacerdotium, diversa forma vivens, Una Ecclesia, Unus Finis omnium: salus animarum totius mundi omnibus mediis consequenda. Omnibus modis et mediis curandum est ut divisiones et dissensiones vitentur. A ministeriis apostolicis, praesertim pro quibus speciatim ab Ecclesia conditae fuerunt Religiones quibus pertinent clerici religiosi, non debent excludi, hoc videretur absurdum, non tantum ex eo quod agitur de Institutis ad determinatos apostolatus specializatos ab ipso Summo Pontifice fundatis sed etiam quia in Dioecesi domus religiosae constitutae fuerunt voluntate Episcopi et ordinarie isti religiosi vocantur et sollicitantur propter diversas necessitates dioecesis, ratione ipsorum apostolatus. Clerici religiosi tamen debent semper prompti esse ut cum Episcopo et clero propriae dioecesis collaborent.

Securitas socialis clericorum

Membra cuiuscumque hierarchiae eo quod propriam personalem activitatem Statui praestent cuius sunt organa seu officiales, ius habent ad honoraria, ad honestam sustentationem. Ista sustentatio hodie non absolvitur sola solutione salarii, sed completur et perficitur tot legibus assistentiae et securitatis socialis, quae optimum esset si clericis, servatis servandis, applicantur.

Legislatio socialis, ut ita dicam, non adest pro clericis membris hierarchiae. Sunt tamen hic et illic quaedam optimae initiativae, quae adiuvari deberent et iure disciplinari.

Ipse Sanctus Pontifex Pius X, exhortabat clericos ad consociationes huius generis constituendas, necnon associationes apostolicas: « Aliud praeterea cordi est commendare: ad strictiorem quamdam sacerdotum, ut

fratres addecet, inter se coniunctionem, quam episcopalis auctoritas firmet ac moderetur. *Id sane commendabile, quod in societatem coelescant ad mutuam opem in adversis parandam,* ad nominis et munerum integritatem contra hostiles astus tuendam, ad alias istiusmodi causas. *At pluris profecto interest,* consociationem eos inire ad facultatem doctrinae sacrae excolendam, in primisque ad sanctum vocationis propositum impensiore cura retinendum ad animarum provehendas rationes, consiliis viribusque collatis. Testantur Ecclesiae annales, quibus temporibus sacerdotes passim in communem quamdam vitam conveniebant, quam bonis fructibus id genus societas abundarit. Tale aliquid quidni in hanc ipsam aetatem, congruenter quidem locis et muniis revocari queat? Pristini etiam fructus, in gaudium Ecclesiae, nonne sint recte sperandi? Nec vero desunt instituti similes societates, sacrorum Antistitum comprobatione auctae; eo utiliores, quo quis maturius, sub ipsa sacerdotii initia, amplectatur. Nosmetipsi unam quamdam, bene aptam experti fovimus in episcopali munere; eadem etiam num aliasque singulari benevolentia prosequimur ». PIUS X, *Haerent animo, A.S.S.,* vol. XLI (1908), pp. 575-576.

De diversis systematibus dotationis

Innumerabiles sunt canones in quibus sollicitudo Ecclesiae manifestatur circa honestam sustentationem clericorum. Hodie tamen plures censent, et laici et clerici, systema beneficiale dotationis sustituendum esse ab aliis systematibus dotationis. Conditiones rerum valde mutatae fuerunt a medio aevo, in quo vera organizatio administrativa status non aderat. Etiam in Ecclesia plures inveniuntur officiales, qui directe ab ipsa accipiunt honorarium fixum et determinatum propter personalem praestationem activitatis. Revera in diversis dioecesibus quaedam circa perceptionem iurium stolae mutata fuerunt et circa taxas quoad actus ecclesiasticos. Certo non favendum est romanticismo, sed res serio consideranda est an organizatio administrativa beneficialis sustinenda sit vel supprimi debeat. Censent etiam laici, quod optimum esset si prout in statu fit, ex omnibus proventibus ecclesiasticis una massa bonorum fieret, ex qua omnibus clericis officialibus relativum honestum salarium daretur.

Ministeria demandanda laicis

« In diebus autem illis crescente numero discipulorum factum est murmur... eo quod dispicerentur in ministerio... dixerunt: Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis » (*Act.*

VI, 1). Estne aequum sacerdotes ministrare non iam mensis pauperum et viduarum, sed cynema paroeciale, boy-scouts, etc., quae praeter pericula diversa sacerdotes alienant a proprio ministerio? Semper, sed magis hodiernis temporibus, saeculares quaerunt sacerdotem; qui pro ipsis non est cyneasta, etc. etc., sed fons sanctitatis et amoris et consolationis et redemptionis. Quando saeculares medicum quaerunt, censent meliores illos qui in hunc ministerium vocatione et particulari studio dedicantur. Idem dicendum est de diversis artibus.

Ubique tamen lamentantur gentes quod deficiant sacerdotes et praesertim sancti et illi expresse dicunt amare et quaerere se semper sacerdotem sanctum in sacerdote, non medicum aut advocatum, etc.

Quaedam vero activitates quae hodie a sacerdotibus diriguntur, directe demandentur saecularibus conscientia christiana et sensu apostolatus imbutis, sive actioni catholicae, sive praesertim Institutis saecularibus ad hoc constitutis vel constituendis.

Tamen locus laicorum in Ecclesia non nimis exaltandus est ut quidam scriptores faciunt quasi sensu protestantico. Auctores iuris civilis quando in iure administrativo quaestionem de ordinanda hierarchia pertractant recte distinguunt, etiam in potestate executiva, quae sunt organa cum « initiativa », organa merae gestionis, vel etiam consiliativa aut technica. Sunt organa pure executiva quae intra propriam competentiam, iuxta normas stabiliter vel pro casu particulari acceptas, agunt; sunt vero organa quae possunt proprium modum agendi determinare etsi intra limites legis constituentis organum; sunt organa quae problemata tantum considerant sub aspectu technico-politico et sunt organa consiliativa; sunt, ultimo, organa quae considerant tantum aspectum technicum problematis et sunt organa technica.

Laici non tantum iure extraordinario, sed etiam iure ordinario possunt exercere activitatem, pro qua necessarium sit illos habere ut organa administrationis ecclesiasticae velut *organa gestionis* sine « initiativa » circa materias quae ab Ecclesia illis demandentur. Si organum gestionis sit collegiale, intra collegium quidem possunt laici gradus hierarchiae propriae illius collegii sustinere. Ad rem en verba sumpta ex Encyclica *Princeps Pastorum*:

« Est quidem Actio Catholica laicorum hominum sodalitas, cui propria sunt munera eoque cum officii onere coniuncta, in quibus obeundis *moderationi auctoritatum obtemperetur oportet* » (PIUS XII, *Ep. de Actione catholica,* die 11 oct. 1946; *A.A.S.,* vol. XXXVIII [1946], p. 422); ita tamen ut laici ipsi *moderatorum gradus in ea obtineant.* Ad hoc necesse est homines instituantur qui varias consociationes apostolico valeant inflammare ardore, et efficere, ut eadem plene polleant vigore; viros

dicimus et mulieres, qui ut digni reddantur, quibus ab ecclesiastica hierarchia credatur primaria et secundaria consociationum moderatio, testatum proferre debent argumentum, quo constet christiana disciplina christianisque moribus se plane esse instructos et conformatos, adeo ut « id ceteris impertire possint, quod ipsi iam sibi divina opitulante gratia comparaverint » (Litt. Enc. *Ad Petri Cathedram, A.A.S.*, vol. XLI, 1959, p. 52; *Princeps Pastorum, A.A.S.*, vol. LI, p. 857 [28 nov. 1959]).

PAUCITAS CLERI

Clamore valido lamentatur gentes et pastores animarum diversarum regionum de paucitate cleri, et tamen in aliquibus locis quasi praecluditur religiosis accessus ad apostolatum et ad opus vocationum et pari passu quo percrescente laicismo et naturalismo, cum vocationibus religiosis decrescunt etiam vocationes pro clero saeculari.

Ex alia parte, cum sint quandoque sacerdotes qui statum clericalem inhonorent, sunt qui petant ut ordinatio presbyteralis retardetur usque ad 28 aetatis annum saltem, ex quo fieret ut numerus sacerdotum ulterius minueretur. Censent remedium inveniri in Instituto diaconatus. Multiplicentur, aiunt, Diaconi quibus committantur plura ministeria sacerdotalia, diaconi sint praeterea coniugati et haberemus solutam quaestionem.

Censeo non esse probandum hoc remedium. Nullo modo Diaconi esse debent coniugati, sed iam S. Pont. Ioannes XXIII clare affirmavit Ecclesiam catholicam Romanam fuisse, esse et futuram esse *castam*. Pugna contra castitatem sacerdotalem non est nisi aspectus pugnae contra Ecclesiam et erit cedere antemurale, si admitterentur diaconi coniugati, statim secundo tempore acriter pugnarent inimici castitatis praesbyterorum ut etiam praesbyteri essent coniugati ut iam acriter quidam pugnant.

Nec censeo opportunum esse retardare ordinationem sacram, quia etsi homines tardiore aetate ordinentur praesbyteri, homines remanebunt et non omnes erunt sancti. Hodie satis maturi sunt iuvenes aetatis 24 vel 25 annorum. Curandum est ut non in principiis plus minusve naturalismi imperversantis vel modernismi vel democraticismi exaggerati, sed in castitate, in humilitate, in abnegatione suipsius, propriae voluntatis efformentur seminarii alumni et bene seligantur. Revera iuvenes non semper inveniunt senes optimos qui ipsos edoceant et in exemplum sint.

Hodie et a scriptoribus etiam senibus fortasse nimis indulgetur ut dicitur verbo anglico « snobismo », vel occultis principiis protestantismi

vel modernismi vel naturalismi, non quidem conscienter, sed ex deficiente formatione in theologia et philosophia scholastica.

Remedium paucitatis cleri *non in multiplicatione diaconorum, sed in Instituto catechistarum* est reponendum. Institutum hoc optimos fructus dedit in Missionibus, in quibus magis quam in territoriis iuris communis paucitas cleri persentitur.

Catechistae possent celerius multiplicari. Iuxta culturam et necessitates diversarum regionum, studia et institutio ipsorum posset abbreviari. Instituantur seminaria ad hoc, ordinentur studia per tres, quattuor vel quinque annos. Isti catechistae possunt substituere sacerdotem in locis dissitis vel in quibus impossibile est mittere ex defectu sacerdotum aliquem et illum possent supplere in instructione catechistica non tantum puerorum, in dirigendis quotidianis actibus pietatis christianae, in vigilantia morum, in administratione extraordinaria baptismatis, etc.

Catechistae non acciperent ordines sacros et possent esse coniugati. Tamen ut efficacius sit opus apostolicum, melius esset ut istis necessitatibus subveniretur multiplicatione Institutorum Saecularium, ad hoc constitutorum, nam certo certius efficacior est apostolatus animae Deo consacratae.

De burocratismo

Fere in omnibus Statibus, scriptores sive iuris administrativi, sive politici de hoc vitio lamentantur. Est vitium sub aliquo aspectu quasi necessarium, cum perscrescente cultura desideria et necessitates hominum in societate viventium augescant et, auctis necessitatibus socialibus, crescunt activitates Status ut de illis provideat, ex quo nova organa hierarchiae et novi interventus Status habentur.

Hoc quidem necessarium est, sed vitium in eo consistit quod illa quae actioni liberae singulorum seu privatae « initiativae » ut dicitur relinquenda essent, non relinquantur et semper magis ac magis manifestatur tendentia quasi naturaliter insita in organis administrationis omnia dirigendi et in omnibus interveniendi.

Possumus etiam in Ecclesia lamentari de vitio burocratismi hierarchiae administrativae? Nescio, sed de facto non deficiunt qui talia lamententur. Non erit vitium burocratismi v. gr. centralizare totaliter exercitium caritatis et beneficentiae, ita ut singulis fidelibus prohibeatur caritas privata; id est occulte facere, et singulis seu privatis fidelibus mittere folia in quibus indicatur quantitas quam tradere debent officio centrali dioecesano caritatis, ipsis animadvertendo, quod non debent privatim succurrere pauperes, sed semper eleemosynas centrali officio mittere?

Apostolatus, seu « missio ex spiritu », non nimis exaltanda est ut quidam scriptores theologi faciunt, sed nec tamen absolute neganda, eo sensu, ut non sit possibilis ullus apostolatus privatus ex impulsu personalis caritatis, ex impulsu Spiritus Sancti, qui ubi vult spirat!

Fortasse verum est, hodie tendentia generalis dirigismi, etiam sicut in Statu praevalere quandoque in quibusdam dioecesibus et paroeciis, in quibus multiplicantur commissiones, organa et officia ut omnes formae apostolatus dirigantur et centralizentur et absorbeantur, quandoque etiam activitates quae tantum indirecte sub fine Ecclesiae cadunt ita ut transversa via, praesertim in nationibus totaliter catholicis, negando statum confessionalem, perveniri potest ad statum clericalem. Nam si in curia episcopali et in curia, ut ita dicam, nationali, seu in organis a collationibus episcoporum constitutis, constituantur omnia quae propria sint administrationis Status et ista in manu clericorum sint et cum ex hypothesi, agatur de natione catholica, omnia negotia educationis, sanitatis, etc. non a ministeriis Status, sed ab illis organis clericorum dirigerentur quae ad hoc opus fuerunt constituta etsi Ministeria non vocarentur.

Etiam notandum est quod complicata administratione, augent expensae, quia in hoc mundo, nihil agere valemus sine pecuniis. Fortasse haec est una ex causis, quare in pluribus dioecesibus dum tolluntur iura stolae, collectae multiplicantur, quandoque cum fastidio fidelium. Sed praeterea, cum ex burocratismo omnia vellent in officiis curiae « accentrare », quaestuationes imponunt in ecclesiis religiosorum et quidem sine limite quandoque, et non uno vel alio die festivo, sed fere in omnibus diebus festis. Tamen prae oculis est habendum clericos religiosos constitutos fuisse ad apostolatum ab ipso Summo Pontifice et illi non habent alios introitus nisi oblationes fidelium ad alendos clericos proprios, ad opera propria apostolatus et ad instituendos proprios seminaristas. Ex istis considerationibus et aliis quae proponi possent, censeo phoenomenum burocratismi non tantum inveniri in Statu civili sed fortasse etiam in Ecclesia et cavendum ne augeatur.

Plura alia essent exponenda, plus minusve logice et unitarie circa istam gravem quaestionem de hierarchia, sive sub aspectu theoretico sive sub aspectu practico, quaedam animadvertitur confusio et non tantum circa nomenclaturam sed etiam circa quaestiones substantiales. Revera *ius administrativum* modernum est, et sive a schola italica vel gallica praesertim perpolitum a iuristis canonici iuris non fuit modo parallelo elaboratum.

DE ADAPTATIONE DOCTRINALI MISSIONARIA

EVOLUTIO CULTURAE ET THEOLOGIAE CATHOLICAE IN TERRIS MISSIONUM

(R. Masi)

Argumentum

Ecclesia Christi a Deo data est pro omnibus hominibus, cuiuscumque aetatis, cuiuscumque regionis, cuiuscumque civilitatis, ad omnium hominum salutem aeternam: est enim regnum Dei universale. Quam ob rem revelatio et doctrina christiana aptae sunt ad omnium populorum indolem. Quaecumque vero civilitas inter homines exstat, quae errore et peccato corrupta non est, bona est. Quum autem Deus velit omnes homines salvos fieri et sub suavi Christi iugo esse, omnes civilitates humanas Deus profecto ad Christum et ad Ecclesiam destinavit.

Necessarium est ergo ut labor apostolicus missionum aptet revelationem et doctrinam christianam, quin omnino mutet eam essentialiter, ad omnes populos et ad omnes civilitates; imo necessarium est ut elementa bona cuiuscumque civilitatis assumantur ab Ecclesia, in culturam christianam et doctrinam catholicam auxiliandam. Est denique necessarium ut cultura catholica philosophica et theologica in regionibus missionum evolvatur iuxta mentem, indolem et necessitates regionum illarum.

De adaptatione in genere

Ecclesia est regnum Dei, cuius nota peculiaris est universalitas. Hanc universalitatem prophetae in V. T. praedixerunt, ex. gr. *Amos* (9, 11), *Isaias* (49, 6), *Ieremias* (4, 2), *Daniel* (2, 44), *Malachia* (1, 11), etc. In Novo Testamento, Christus et Apostoli eius universalitatem Ecclesiae non obscure docuerunt; Christus praesertim in parabolis seminatoris (*Mt.* 13, 3), thesauri et margaritae praetiosae (*Mt.* 13, 44), grani sinapis (*Mt.* 13, 31), vinitorum infidelium (*Mt.* 21, 33), etc. universalitatem regni Dei clare expressit, quod etiam claris verbis declaravit (*Mt.* 8, 11; *Lc.* 13, 28; *Mt.* 21, 43; etc.). Apostoli, Christum sequuti, idem et docuerunt et fecerunt, evangelium gentibus omnibus praedicantes.

Ecclesia iam inde a primis saeculis conata est culturam et civilitatem hellenicam tunc temporis existentem sibi assumere et aptare ad suas necessitates; quod quidem optime fecit; nam artes, literaturam,

ius, etc. paganorum ab erroribus liberavit, in suum usum adhibuit et in posterum transmisit; imo ipsa festa et templa pagana, ubi casus ferebat, in christiana commutavit.

Recentioribus temporibus, Ecclesia adaptationem voluit et valde suasit suis missionariis. Inter documenta ad hanc rem spectantia, celebris est Instructio Sacrae Congregationis de Propaganda Fide ad missionarios sinenses, anno 1959 missa: « Nullum studium ponite — iubet Sacra Congregatio — nullaque ratione suadete illis populis ut ritos suos, consuetudines et mores mutent, modo non sint apertissime Religioni et bonis moribus contrarii. Quid enim absurdius quam Galliam, Hispaniam, Italiam, aut aliam Europae partem in Sinas invehere? Non haec, sed fidem importate, quae nullis gentis ritus vel consuetudines, modo prava non sint, aut respuit aut laedit, imo vero sarta tecta esse vult. Et quoniam ea pene est hominum natura, ut sua, et maxime ipsas suas nationes, caeteris existimatione et amore praeferant, nulla odii et alienationis causa potentior exstat, quam patriarum consuetudinum immutatio, earum maxime quibus homines ab omni patrum memoria assuevere, praesertim si, abrogatarum loco, mores tuae nationis substituas et inferas. Itaque nullum usum illarum gentium cum usibus europaeorum conferre, quinimmo vos illis magna diligentia assuescite » (*Instructio S. C. de Propaganda Fide, 1659. Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide,* Romae, 1907, vol. I, p. 42).

Nostris vero temporibus eadem est doctrina Ecclesiae e Summis Pontificibus inculcata. Ut exemplum clarum prae aliis seligam, lege textum Litterae Encyclicae « Evangelii Praecones » Papae Pii XII: « Illam Ecclesia, inde ab originibus ad nostram usque aetatem, sapientissimam normam semper secuta est, qua quidquid boni, quidquid honesti ac pulchri variae gentes e propria cuiusque sua indole et suo ingenio habent, id Evangelium, quod amplexae sint, non destruat neque restinguat... Quamobrem Catholica Ecclesia ethnicorum doctrinas neque despexit neque respuit, sed eas potius, a quovis errore et a quavis impuritate liberatas, christiana sapientia consummavit atque perfecit » (*A.A.S.* 1951, pp. 521-522).

His omnibus rationibus ex auctoritate, addas rationes theologicas. Deus est enim Creator naturae humanae cum omnibus suis facultatibus et donis; ita ut omnis humana activitas, a peccato et ab errore non coinquinata, bona sit et Deo accepta, immo a Deo volita; ex altera parte redemptio Christi est universalis pro omnibus hominibus. Deus autem Redemptor non potest contradicere Deo Creatori: est enim unus et idem Deus et Creator et Redemptor. Ideoque humana creatura et tota eius activitas parata est ut Evangelium recipiat: omnes divitiae spirituales humani-

tatis totius, ab errore et peccato liberatae, Christo pertinent et Ecclesiae eius. Quam ob rem culturae et doctrinae omnium populorum, dummodo a peccato corruptae non sint, servandae sunt in Ecclesia; immo per Evangelium elevari debent, in obsequium Christi, in utilitatem et gloriam Ecclesiae, in sempiternum animarum bonum. Ecclesia et christiana religio inseri debent in culturam et in civilitatem omnium populorum, ut omnia humana bona eleventur ad servitutem Dei et Christi eius.

De adaptatione doctrinali

Quod de adaptatione in genere superius dictum est, iterum de doctrinali adaptatione in particulari dicas.

Sacra Scriptura. Particularis est de hac re testimonium S. Pauli Apostoli, in sermone ad sapientes Athenis habito, in Areopago. In quo (*Act.* 17, 22-31) S. Paulus philosophos paganos alloquitur recolens et adhibens doctrinas paganorum philosophorum, quae verae sunt: existentia Dei, bonitas et providentia divina et iustitia; quibus doctrinis Paulus doctos illos conatus est ad notitiam Evangelii adducere.

Traditio. Iuxta hanc mentem Patres, Spiritu Sancto ducti, magno quidem molimine conati sunt et revera valuerunt revelationem christianam cum cultura graeca et romana componere, ita ut elementa bona et apta culturae paganae assumerent, ab erroribus purgata, ad enucleationem et defensionem doctrinae revelatae. Quod praesertim fecerunt S. Iustinus Martyr (*I Apologia*), S. Irenaeus (*Adversus Haereses*), S. Cyprianus, S. Clemens Alexandrinus, Origenes, etc., et praesertim S. Augustinus, qui altissimam theologiam catholicam exposuit per philosophiam neoplatonicam.

Similiter et in aevo medio theologi magnam fecerunt adaptationem, quando philosophiam aristotelicam expurgaverunt ab erroribus paganis et adhibuerunt ad evolutionem theologiae catholicae et philosophiae. Quod opus praesertim per S. Albertum Magnum et per S. Thomam perfectum et feliciter, in magnam totius Ecclesiae utilitatem.

Documenta Ecclesiae. Etiam recentiores Summi Pontifices, qui de re missionaria egerunt, doctrinalem adaptationem valde commendaverunt. Pius XII, in Litteris Encyclicis *Evangelii Praecones* docebat: « Catholica Ecclesia ethnicorum doctrinas neque despexit neque respuit, sed eas potius, a quovis errore et a quavis impuritate liberatas, christiana sapientia consummavit atque perfecit. Ita pariter eorum ingenuas artes ac liberales disciplinas..., peculiares quoque populorum mores eorumque tralaticia instituta... quodammodo sacravit » (*A.A.S.* [1951], p. 522). Et in alia allocutione ad cultores scientiae historicae inquiebat: « La Chiesa

ha coscienza di avere ricevuto la sua missione ed il suo compito per tutti i tempi avvenire e per tutti gli uomini, e perciò di non essere legata ad alcuna cultura determinata; non le è permesso nella sua essenza. Essa è tuttavia disposta a mantenere rapporti con tutte le culture. Riconosce e lascia sussistere tuto quello che in esse non si oppone alla natura. Ma in ciascuna di esse introduce, inoltre, le verità e la grazia di Gesù Cristo » (*A. A. S.* 1955).

Summus Pontifex Ioannes XXIII, in Littera Encyclica *Princeps Pastorum,* sic eadem docet: « Quotiescumque auctiora verique nominis incrementa, ad liberales artes ingenuasque disciplinas quod spectat, possunt humanae familiae cultum ditare, Ecclesia eiusmodi ingenii nisus fovet et adiuvat. Ea enim, ut probe nostis, non unam tantum animorum culturam, despectis aliis, quasi propriam amplectitur, ne illam quidem, quam Europa ceterique Occidentis populi pepererunt, etsi cum ea, historia teste, arctissime coniungitur; creditum enim Ecclesiae munus ad aliud potissimum pertinet, ad id nempe quod ad religionem et ad aeternam hominum salutem spectat. Verumtamen Ecclesia, utpote quae iuventute polleat perpetuoque Sancti Spiritus afflatu renovetur, nullo non tempore ea omnia agnoscit libenterque in se recipit, quin immo excitat, quae humanae menti animoque honori vertant, etiamsi eadem ex aliis terrarum orbis partibus oriantur, non autem e regionibus, quae mediterraneo mare circumluuntur, et quae, ex providentis Dei consilio, quasi suae infantiae incunabula fuere ».

Ratio theologica. Adaptatio missionaria maiorem difficultatem invenire potest in doctrina quam in aliis elementis civilitatis populorum paganorum. Nam revelatio christiana continet doctrinas fundamentales, quae modificari nullo modo possunt et praetiosissimae sunt. Quomodo ergo potest revelatio haec civilitatibus, doctrinis, philosophiis, culturis populorum omnium evangelizandorum aptari?

Revelatio, quae in Scriptura Sacra et in traditione divino-apostolica continetur, docet veritates divinas ad aeternam salutem consequendam; non docet systema aliquod philosophicum vel civilitatem particularem. Veritates autem, quae in revelatione praesupponuntur, sunt veritates humanae, quae apud omnes populos inveniuntur, et apud omnes culturas a peccato et errore non corruptas. Revelatio christiana non praesupponit philosophiam particularem, sed tantum veritates humanas, quae sunt totius humanitatis patrimonium et ubicumque inveniuntur, apud omnes populos. Quam ob rem revelatio christiana aptari potest ad populos omnes atque diversos.

De *dogmatibus* maior videri potest difficultas in adaptatione. Nam dogmata quandoque expressa sunt per voces (ital. termini) aliquas, quae

elaboratae sunt a philosophia occidentali; ex. gratia, mysterium SS.mae Trinitatis definitur per notiones essentiae, substantiae, personae, etc. Dogma SS.mae Eucharistiae definitur per notiones substantiae, accidentis, etc. Quando Ecclesia has notiones adhibet in suis dogmatibus definiendis, num declarat vera et commendat systemata illa, ex quibus notiones expressae sunt et elaboratae? Quomodo denique notiones illae philosophicae aptari possunt ad civilitatem omnium populorum, cum tantum ad philosophiam classicam pertineant?

Quibus interrogationibus respondeo. Quum Ecclesia in suis definitionibus adhibet vocem aliquam in systemate philosophico elaboratam, non exinde sequitur quod totum systema illud ab Ecclesia commendetur. Nam Concilia adhibent voces « technicas » accuratas (ital. precise) in eorum positiva significatione, sine relatione ad systema ex quo vox illa deprompta est. Praeterea notiones philosophicae in decretis infallibilibus Ecclesiae adhibitae iam intelligendae sunt iuxta philosophiam naturalem et immediatam sensus communis, hoc est, in philosophia entis, quae est philosophia saltem embrionalis omnium humanarum cognitionum, quae apud omnes populos invenitur veritatem cognoscentes, quae sunt denique obiectiva cognitio veritatis.

Quam ob rem, dogmata bene possunt ab omnibus populis intelligi in eorum propria cultura et civilitate, quae a peccato et errore liberatae maneant; quod si e contra aliqua notio cum dogmate componi non possit, iam patet quod est erronea et derelinquenda. Immo, omnes veritates quae praesupponuntur a dogmate christiano, ex. gratia, existentia Dei, libertas humana, veritas humanae cognitionis, etc. sunt cognitiones naturales et primordiales cuiuscumque hominis, et inveniuntur in omni civilitate et philosophia, quae vera sit. Ita ut possibilitas immediata appareat adaptationis dogmatis omni culturae et civilitati, quae vera sit et a peccato et errore non corrupta. Quam ob rem idem dicendum apparet de adaptatione quod attinet revelationem et quod attinet dogmata; quod logicum apparet, quia dogmata sunt declaratio doctrinae revelatae, quae in Scriptura et in traditione continetur.

Consideremus nunc adaptationem *theologiae catholicae*. In catholica theologia pars exstat, quae intime cum revelatione connexa est, ab omnibus catholicis theologis propugnata. Praeter hanc communem partem, alia adest, in theologia, quae agit de quaestionibus disputatis et diversimode a diversis theologis propositis. Prima pars theologiae adaptationem missionariam habere potest iuxta superius dicta de revelatione et de dogmate. Secunda pars theologiae, quae disputatur inter scholas theologicas, potest habere adaptationem missionariam? Considera revera quod Theologia catholica evoluta est per elementa culturalia et per

philosophiam. Quomodo ergo potest haec theologia aptari et bene componi cum cultura sinensi, iaponica, africana, etc.?

Ad hoc explicandum considera quod in theologia differentes tendentiae dependent:

1) vel ab indole et temperamento theologi ipsius, et ab eius cultura, et historia, etc.;

2) vel etiam dependent ab « ambiente » culturali in quo theologus docet et scribit;

3) vel denique ab instrumentis conceptualibus et a systemate philosophico, quem theologus ad suam evolvendam doctrinam adhibet.

1. Quae cum ita sint, evidens est quod theologus catholicus sinensis, vel africanus, etc. in suis nihil contrarium obstet, et a sua cultura, et historia, etc. Ex hoc capite facile intelligitur adaptatio missionaria theologiae catholicae.

2. Secundo modo considera quod, sicut theologus romanus, vel lovaniensis, etc. sic etiam theologus africanus, vel indianus, etc. potest pati influxum ab « ambiente » culturali patriae suae, et rite quidem ac logice. Etiam ex hoc capite adaptatio missionaria theologiae catholicae possibilis est.

3. Denique differentia systematum theologicorum dependet ab instrumento conceptuali et philosophico.

Theologia catholica per systema scholasticae philosophiae est evolutum. Quomodo ergo potest ex hoc capite theologia catholica bene componi et aptari cum cultura et philosophia iaponica, sinensi, etc.? Respondeo dicendum quod philosophia scholastica fundatur super philosophiam sensus communis et immediati generis humani, cuius est logica evolutio. Quaecumque philosophia, indiana, sinensis, africana, etc. si vera est, debet semper fundamentum idem habere; debet scilicet philosophiam sensus communis naturalis praesupponere et evolvere. Quam ob rem quaecumque philosophia, si vera est, continuari debet, per notiones immediatas naturales sensus communis hominum, cum philosophia scholastica; ideo quaecumque philosophia, si vera est, potest bene intelligere et interpretari theologiam scholasticam etiam in quaestionibus disputatis.

Ex quibus omnibus patet quod theologia scholastica, prout nunc exstat, quin substantialiter immutetur, bene aptari potest ad culturam populorum evangelizandorum; immo ex his culturis theologi elementa sumere possunt ad ulteriorem evolutionem theologiae. Exinde patet quod possibilis est ortus scholarum theologicarum iuxta indolem populorum in terris missionum degentium.

Conclusio

Ex his dictis concludimus quod non solum revelatio et dogmata, sed etiam theologia catholica bene aptari possunt omnibus civilitatibus et populis. Possibilis evadit ergo ortus theologicorum systematum et profundae culturae catholicae etiam in regionibus missionum, secundum indolem propriam diversorum populorum, in perfecta orthodoxia catholica. Quod summopere est exoptandum, ad pleniorem evolutionem culturae catholicae et scholarum catholicarum theologiae et regionibus missionum. De quibus plura Summus Pontifex Ioannes XXIII in Littera Encyclica *Princeps Pastorum*.

Quam ob rem *doceat sollemniter Concilium adaptationem culturalem in missionibus catholicis et proclamet valorem omnium culturarum quae ab errore et peccato non sint corruptae.*

Leges autem *convenientes statuat* ad adaptationem culturalem adiuvandam. Quarum aliquae hic indicantur:

Missionarii et clerus indigena civilitatem et culturam populorum paganorum evangelizandorum bene sciant.

Traditiones et instituta paganorum populorum religioni catholicae non contraria ne destruantur.

Plurimum evolvant docti catholici doctrinas naturaliter bonas et elementa et instituta suorum populorum paganorum.

Libros et periodica folia missionarii curent edenda, quae populorum evangelizandorum culturam et civilitatem bonam sub luce evangelii evolvant.

Scholae et universitates et seminaria studiorum catholica in terris missionum promoveantur.

In universitatibus catholicis adsint cathedrae de diversis culturis evangelizandorum populorum.

Philosophiam nationalem suorum populorum paganorum evolvant docti catholici et interpretentur secundum sensum christianum.

Theologia doceatur in scholis et universitatibus missionum, iuxta indolem et necessitates doctrinales et practicas populorum in unaquaque regione pagana, servata quidem veneranda theologiae catholicae traditione.

Cathedrae universitariae theologiae dentur etiam lectoribus indigenis, qui melius doctrinam evolvant ad utilitatem et ad necessitates suorum populorum paganorum.

Quae omnes regulae peropportune innuuntur in Littera Encyclica *Princeps Pastorum* Pontificis Summi Ioannis XXIII.

DE ADAPTATIONE IN DOCTRINA ASCETICA IN TERRIS MISSIONUM

(S. Lokuang)

I

Repetitis verbis, hisce in ultimis annis Summi Pontifices mentem Ecclesiae genuinam erga culturas populorum terrae Missionum clare manifestaverunt.

Etenim in Litteris Encyclicis *Evangelii praecones* Pius XII, perennae recordationis, sollemniter declaravit: « Aliud praeterea attingendum superest, quod valde cupimus quam clarissime omnibus pateat. Illam Ecclesia, inde ab originibus ad nostram usque aetatem, sapientissimam normam semper secuta est, qua quidquid boni, quidquid honesti ac pulchri variae gentes e propria cuiusque sua indole e suoque ingenio habent, id Evangelium, quod amplexae sint non destruat neque restinguat... Quamobrem Catholica Ecclesia ethnicorum doctrinas neque despexit neque respuit, sed eas potius, a quovis errore et a quavis impuritate liberatas, christiana sapientia consumavit atque perfecit ».[1]

Item Summus Pontifex feliciter regnans in Litteris Encyclicis *Princeps Pastorum* confirmavit: « Verumtamen Ecclesia, utpote quae iuventute polleat perpetuoque Sancti Spiritus afflatu renovetur, nullo non tempore ea omnia agnoscit libenterque in se recipit, quin immo actuose excitat, quae humanae menti animoque honori vertant, etiamsi eadem ex aliis terrarum orbis partibus oriantur, non autem e regionibus, quae mediterraneo mari circumluuntur, et quae, ex providentis Dei consilio, quasi suae infantiae incunabula fuere ».[2]

Hoc per se clare patet. Nam « Humana natura — docet Pius XII — quamvis ob miserum Adae casum hereditaria labe infecta sit, aliquid tamen in se habet naturaliter christianum; quod quidem, si divina luce collustretur divinaque alatur gratia, ad veri nominis virtutem supernamque vitam evehi aliquando potest ».[3]

S. Thomas non diverso modo rem explicavit, dicens: « Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta ut scilicet toto bono naturae privetur, potest quidem etiam in statu naturae corruptae

---

[1] Litt. Enc. *Evangelii praecones; A.A.S.* XLIII (1951), pp. 521-522.
[2] Cf. Litt. Enc. *Princeps Pastorum; A.A.S.* LI (1959), p. 844.
[3] *A.A.S.*, XLIII (1951), p. 522.

per virtutem suae naturae aliquid bonum particulare agere, non tamen totum bonum sibi connaturale, ita quod nullo deficiat ».[4]

Hoc quidem in re morali et in re ascetica satis demonstratur. Nam apud ethnicos populos, non tantum antiquae culturae verum etiam ex ratione vivendi primitiva, bona praecepta moralia rectaque exercitia ascetica inveniri possunt. In his rebus Evangelii praecones, normas a Summis Pontificibus datas sequentes, adaptationem perficere debent.

II

Ea quae ad vitam spiritualem pertinent et indolem traditionemque uniuscuiusque populi manifestant, consistunt speciatim in *doctrina ascetica.*

Ascetica enim doctrina ea est quae homines ad exercitia virtutum et ad perfectionem spiritualem acquirendam docet. Haec doctrina fide religiosa innititur uti in suo fundamento et cum doctrina morali intime cohaeret uti cum sua norma. Attamen haec doctrina, utpote doctrina pratica, maximam relationem cum indole, cum traditione et cum circumstantiis vitae populi secumfert ita ut *unaquaeque gens propriam formam asceticam habeat.* Id accidit etiam in Ecclesia catholica, quae unam eamdemque doctrinam dogmaticam et moralem docet, admittit tamen pluras scholas asceticas diversis in temporibus et familiis religiosis.

Doctrina ascetica principia et methodum de perfectione morali quidem colligit, sed tradit etiam *experientias maiorum* qui perfectionem exercuerunt. Exercitium perfectionis est manifestatio vitae quae homines in circumstantiis concretis ponet. Propterea unus idemque modus in re ascetica pro omnibus populis esse nequit.

Ex altera parte vita ascetica est vita spiritualis et est fructus et corona fidei religiosae. Fides sine operibus mortua est. Quamobrem labor Evangelii praeconum non consistit tantummodo in tradendo catechismo, neque tantummodo in formando clero auctocthone, sed protrahi oportet usque ad educandum populum christianum ad vitam asceticam. Si vita ascetica non perficitur, praedicatio inanis est et fides est mortua.

Ad educandum vero populum ad vitam asceticam Evangelii praecones indolem traditionemque populi negligere non debent immo potius omnia bona elementa ex iis eligere et ad christianam doctrinam adaptare conantur. Doctrina ascetica iuxta indolem et traditionem populi efformata faciliter a populo christiano accipitur et intelligitur. Apud ethnicos doctri-

---

[4] I-II, 109, 2.

na ascetica christiana cum eorum indole et traditione consonans maiore vi maioreque convinctione eos trahit ad fidem catholicam.

III

Uti *exemplum* huius *adaptationis* in re ascetica apud populum sinensem excerpta aliqua ex meo olim scripto affero:

« *Spiritualité confucianiste.* Le concept de Dieu dans le confucianisme s'est conservé monothéiste et spirituel depuis l'aube de la civilisation chinoise, jusqu'aux dernières années de ce siècle. Le Tien des livres classiques confucianistes est un Dieu suprême, spirituel et régisseur de l'univers;un Dieu plus voisin du Dieu Chrétien que le concept de Dieu des Grecs et des anciens Romains. C'est notre Dieu, vu et connu par la raison sans la révélation. Du concept de Dieu, le confucianisme a tiré la loi naturelle,la nature humaine, la conscience et les vertus morales; ses enseignements concordent avec l'éthique chrétienne et sont enseignements moraux les plus parfaits que la raison humaine peut produire sous la lumière naturelle.

« La piété filiale qui, dans la morale confucianiste, est l'âme du peuple chinois, doit aussi occuper une place eminent dans la culture catholique des catholiques chinois, non seulement parce que l'Eglise Catholique enseigne, elle aussi, l'amour des fils pour leurs parents, mais parce que la piété filiale des Chinois peut être surnaturalisée dans l'amour envers Dieu le Père. L'école confucianiste enseignait aux Chinois de diriger toutes leurs actions en vue d'honorer leurs parents. Nous, Catholiques, nous transformons la piété filiale envers les parents naturels en la piété filiale envers notre Suprême Père qui est notre Dieu.

« Toute la vie de Jésus-Christ n'est autre qu'un amour et qu'un respect continu envers le Père Divin; ainsi Jésus-Christ a pratiqué la piété filiale à son suprême degré. Confucius aussi avait dit de servir ses parents comme le Ciel et de servir le Ciel comme ses parents.

« En effet, Dom Lou parle ainsi de la piété filiale de Jésus:

« Car c'est uniquement par amour pour son Père et en obéissance à son Père qu'il nous a aimés, qu'il s'est fait homme pour nous et qu'il nous donne l'Esprit par lequel nous recevons la vie et sommes devenus véritablement enfants de Dieu. La piété filiale de Jésus-Crist est le principe de notre Rédemption, de nostre salut, de notre vie éternelle.

« L'ascétique chrétienne d'occident se complait à comparer l'amour de l'âme pour Jésus-Christ à l'amour de l'épouse pour son époux. Pour les Chinois, qui considèrent comme vulgaire et inconvenant de chanter l'amour conjugal, le langage ascétique occidental heuterait leur sensibilité; pour les Chinos la piété filiale envers Dieu pourrait synthétiser toute la

dévotion et l'amour d'une âme envers le Créateur. Cette idée n'est pas étrangère à la pensée catholique, puisque l'ascétique chrétienne appelle la vertu d'amour envers Dieu, non pas du nom de religion, mais du nom de piété. Saint Thomas dit: « Religio per excellentiam dicitur pietas, in quantum Deus est per excellentiam Pater » (II-II, 103, 3, ad I3.

« En plus de la piété filiale surnaturalisée, les Chinois cultivent profondément un culte envers la Madone. Pour moi, chinois, dit le Docteur Jean Wu, il est impossible d'adorer le Christ sans vénérer la Vierge Marie. Un proverbe chinois dit: " Une mère est honorée à cause de son fils, un fils est honoré à cause de sa mère". Ainsi, mère et fils sont inséparables ».

« *Spiritualité Taoïste.* Du Tacisme, approfondissons le terme Tao; nous pouvons y voir l'expression du Verbe Divin. Dans sa version du Nouveau Testament, le Docteur Wu n'a pas pu trouver un meilleur terme pour traduire le " Verbe " du Prologue de l'évangile johannique...

« Le Tao, une fois transformé en la personne du Verbe Divin, le mysticisme toiste peut aussi être transformé en la vie mystique chrétienne. Le mysticisme taciste a infusé aux poètes chinois le sens de la beauté naturelle et au peuple chinois la gaieté dans la pauvreté. Il suffit de donner un sens surnaturel à l'ésprit taciste de détachement des choses terrestres, de simplicité joyeuse, d'union avec l'absolu.

« Certainement, le mysticisme taciste est d'ordre naturel et de sens panthéiste; mais cette recherche d'union à l'absolu et cet esprit de supériorité aux choses terrestres sont aussi deux éléments précieux pour le mysticisme chrétien...

« *Spiritualité boudhiste.* La tradition boudhiste nous semble bien distante de la doctrine chrétienne. Cette impression est certainement vraie pour ce qui est du complexe boudhiste; mais si nous descendons aux particularités de la doctrine boudhiste, nous trouvons aussi beaucoup d'éléments bons dignes d'être recueillis par nostre christianisme. Le sens de la caducité et de l'amertume des choses du monde est aussi partagé par les ascètes chrétiens, afin d'exciter les âmes à s'élever à un monde supérieur. La sévère discipline de mortification et la vie monastique avec les obligations d'obéissance, de pauvreté et de chasteté ont préparé depuis des siècles les âmes chinoises à accepter volontiers la vie religieuse chrétienne.

« Enfin, la pratique boudhiste de la contemplation, purifiée des regles externes stylisant les postures corporelles, nous fournit une méthode et une voie splendide vers l'ascétisme chrétien. L'homme qui pratique la contemplation boudhiste d'une part, se dépouille des désirs et des plaisirs sensibles et spirituels et d'autre part, se concentre dans la contemplation

de l'unique être absolu; cette méthode nous rapporte à la doctrine de Saint Jean de la Croix.

« Ce grand docteur mystique nous enseigne la purification des sens et la purification passive de l'esprit pour pouvoir pénétrer dans les vies illuminative et unitive. Pesant ces trois étapes de la vie ascétique chrétienne: purification, illumination et union, le Docteur Wu affirme en trouver une ressemblance dans le boudhisme. En effet, le boudhisme enseigne aussi trois étapes de vie ascétique: mortification, concentration, et sagesse...

« Un vrai Chinois est plus disposé à la vie chrétienne qu'un athée occidental. Ainsi la culture traditionelle chinoise est plus voisine du christianisme que les doctrines athées et matérialistes de l'Occident ».[5]

Propterea optandum est ut:

« *In terra missionum methodus vitae asceticae consonans sit indoli et traditioni uniuscuiusque populi ad maiores fructus spirituales percipiendos* ».

DE GENTIUM CULTURA IN MISSIONUM RELIGIONIBUS PER CHRISTANISMUM RETINENDA AC PERFICIENDA

(F. Di Napoli)

Praemissis

1. Fundamentale est in doctrina christiana effatum: « gratia non destruit, sed perficit naturam »; hoc patet ex eo quod per peccatum originale natura et ratio hominis, licet admodum sauciatae, non omnino deperditae sunt; idcirco, quod attinet ad doctrinam, licet affirmare quod revelatio christiana non omnino negat et reicit quamcumque doctrinam, sed illam tantum quae ipsi essentialiter opponitur. Etenim omne verum est a Patre luminum, et est splendor Verbi, « per quod omnia facta sunt » (*Io.* I, 3); sicut natura et gratia a Verbo divino proveniunt, ita et ratio et revelatio.

2. SS. Patres omnes idem retinent; celeberrimum est illud Tertulliani de « testimonio animae naturaliter christianae » (*Apol.,* cap. 17; *PL.* I, 377 A); quod confirmatur fulgentissime per verba Pii XII in Litt. Encyl. *Evangelii praecones*: « Humana natura, quamvis ob miserum Adae casum haereditaria labe infecta sit, aliquid tamen in se habet naturaliter

---

[5] Cf. *China Missionary Bulletin,* Hong-Kong. 1952. March. pp. 167-173.

christianum; quod quidem, si divina luce collustretur divinaque alatur gratia, ad veri nominis virtutem supernamque vitam evehi aliquando potest » (*A.A.S.,* XLIII, 1951, 521).

3. Id quod doctrinaliter est verum efficaciam habet a quibusdam factis, quae inveniuntur in S. Scriptura; inter alia praestat commemorare conversionem centurionis Cornelii; in quadam visione Petrus convincitur ad baptizandum Cornelium, qui erat gentilis: « Et facta est vox ad eum: Surge, Petre; occide et manduca. Ait autem Petrus: Absit, Domine, quia numquam manducavi omne commune et immundum. Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris » (*Act. Ap.,* X, 13-16); et facta conversione, Petrus dixit: « In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente qui timet eum et operatur iustitiam acceptus est illi » (*Ibidem,* X, 34-35).

4. Doctrina recentiorum SS. Pontificum id confirmat per agnitionem culturae quae est propria populis autocthonibus. En verba Benedicti XV in Epistola Apostolica *Maximum illud*: « Sacerdos indigena, utpote qui ortu, ingenio, sensibus studiisque cohaereat cum suis popularibus, mirum quantum valet ad Fidem eorum mentibus insinuandam: multo enim melius, quam quisquam alius novit quibus modis quidpiam eis persuaderi queat » (*A.A.S.,* XI, 1919, 445). Pius XII: « Illam Ecclesiam, inde ab originibus ad nostram usque aetatem, sapientissimam normam semper secuta est, qua quidquid boni, quidquid honesti ac pulchri variae gentes e propria cuiusque sua indole e suoque ingenio habent, id Evangelium, quod amplexae sint, non destruat neque restinguat. Ecclesia siquidem cum populos ad altiorem humanitatem ad cultioremque vitam, christiana religione auspice, advocat, non illius morem gerit, qui luxuriantem silvam nulla habita ratione caedat, prosternat, ac diruat, sed illius potius, qui bonum sarculum rudibus arboribus inserat, ut suaviores dulcioresque fructus aliquando edant atque maturent ... Quamobrem Catholica Ecclesia ethnicorum doctrinas neque despexit neque respuit, sed eas potius, a quovis errore et a quavis impuritate liberatas, christiana sapientia consummavit atque perfecit. Ita pariter eorum ingenuas artes ac liberales disciplinas, quae iam ad excelsum fastigium alicubi pervenerunt, ipsa excepit, diligenter excoluit, et ad talem pulchritudinis apicem provexit, ad qualem antea fortasse numquam pervenerant » (Enc. *Evangelii praecones, A. A. S.,* XLIII, 1951, 521-522). Ioannes autem XXIII, f. r., haec habuit in sermone ad eos qui convenerant ad congressum scriptorum et artistarum nigrorum: « Quotiescumque auctiora verique nominis incrementa, ad liberales artes ingenuasque disciplinas quod spectat, possunt humanae familiae cultum ditare, Ecclesia eiusmodi ingenii nisus fovet et adiuvat. Ea enim, ut probe nostis, non unam tantum animorum

culturam, despectis aliis, quasi propriam amplectitur, ne illam quidem, quam Europa ceterique occidentis populi pepererunt, etsi cum ea, historia teste, arctissime coniungitur; creditum enim Ecclesiae munus ad aliud potissimum pertinet, ad id nempe quod ad religionem et ad aeternam hominum salutem spectat. Verumtamen Ecclesia, utpote quae iuventute polleat perpetuoque Sancti Spiritus afflatu renovetur, nullo non tempore ea omnia agnoscit libenterque in se recipit, quin immo actuose excitat, quae humanae menti animoque honori vertant, etiamsi eadem ex aliis terrarum orbis partibus oriantur, non autem e regionibus, quae mediterraneo mari circumluuntur, et quae, ex providentis Dei consilio, quasi suae infantiae incunabula fuere » (report. in Litt. Encycl. *Princeps Pastorum,* in *L'Osservatore Romano,* 29 nov. 1959).

5. Omnibus compertum est populos autocthones magis magisque in dies acquirere plenam conscientiam propriae traditionis culturalis propriaeque nationalitatis. Sub respectu politico variae nationes iam acquisiverunt plenam independentiam et propriam rempublicam constituerunt, aliquando pacifice, aliquando per bella et destructiones; consequenter in multis locis natum est odium contra populos europaeos, qui nationibus asiaticis vel africanis dominati sunt. Logice, oppositio ad dominationem externam secumfert oppositionem ad culturam nationum quas dicunt occidentales; et nemo non videt quam exitiosa fuerit pro sorte christianismi in illis regionibus methodus aliquorum missionariorum, qui ita operabantur ut legati propriae patriae terrestris viderentur potius quam evangelii; iam suo tempore Benedictus XV hoc notabat in Ep. Ap. *Maximum illud*: « Miserum sane foret, si qui ex Missionariis ita suae dignitatis immemores viderentur, ut potius de terrena patria quam de coelesti cogitarent, eiusque plus aequo studerent potentiam dilatare glioriamque super omnia extendere. Esset haec quidem apostolatus pestis teterrima, quae in Evangelii praecone omnes caritatis animarum nervos elideret, ipsiusque vulgo debilitaret auctoritatem » (*A.A.S.,* XI, 1919, 446).

6. Constitutio sacrae Hierarchiae, incessanter promota ab Ecclesia, sufficienter revelat propositum in divina Sponsa Verbi ostendendi maximam considerationem erga populos autocthones eorumque traditionem culturalem et nationalem; significationis felicissimae est recens eventus elevationis episcopi nigri ad honorem sacrae romanae Purpurae.

7. Missionarii protestantes quam maxime adlaborant in investigandis doctrinis et artibus populorum autocthonum, immo in illis doctrinis et artibus provehendis; omnibus constat quod maior pars operum de re ethnologica protestantibus debetur, quamvis nullo modo praeclara opera nostrorum studiosorum neglegere possimus.

PROPONITUR

1. Debent quam maxime promoveri investigationes et editiones respicientes culturam populorum ad missionarias regiones pertinentium; societates ad promovenda studia et ad libros edendos formari debent, ita ut melior habeatur reciproca cognitio inter christianismum et varias culturas; christianismus deberet apparere illis populis consummatio potius quam oppositio proprio ingenio propriaeque traditioni culturali; hac methodo usus est apostolus Paulus in suo primo adventu Athenas (*Act.,* XVII, 22-31); et eodem modo egit Ecclesia cum occurrentibus barbaris ex Europa septemtrionali in primis saeculis.

2. Missionarii debent absolute abstinere a propagatione gloriae cuiusque patriae, culturae, morum; ipsi debent sequi exemplum praeclarorum missionariorum (ut S. Franciscus Xaverius, p. M. Ricci), qui omnibus omnia facti sunt ut omnes Christo lucrifacerent; hoc modo missonarius exterus numquam apparebit extraneus, secundum verba Pii XII in Epist. ad Card. Piazza: « Ii quidem minime vocandi sunt extranei, cum quilibet catholicus sacerdos, in officio sui muneris fideliter perstans, veluti sua in patria se habeat ubicumque Dei Reguum floret vel sumit exordia » (*A.A.S.,* XLVII, 1955, 542). Certe, nullus missionarius tenetur oblivisci propriae patriae terrenae; attamen ipse tenetur semper pro Christo legatione fungi, et non pro propria terrena patria.

3. In catholicarum missionum institutis et seminariis quam profundissime coli debent doctrinae et traditiones cuiusque populi propriae, semper relatione habita ad christianismum, qui omnis veritatis omniumque culturarum plenissima est consummatio. Evidentissime et nobilissime hoc habetur in Encyl. *Princeps Pastorum* Ioannis XXIII, f. r., qui ita docet: « In Catholicarum Missionum seminariis studiorum curricula non deerunt, quibus ea opportune explanentur, quae ad varias Missionologiae rationes pertineant, et ad technicam etiam cognitionem earum rerum, quae ad futurum illarum regionum cleri ministerium utilia videantur. Hac de causa omnino necesse est ut quae impertitur institutio non modo ad integram solidamque Ecclesiae doctrinam conformetur a maioribus traditam, sed etiam alumnorum mentes ita aperiat et exacuat, ut recte iudicare valeant suae cuiusque patriae peculiarem cultum, ad philosophicas praesertim ac theologicas disciplinas quod attineat, itemque peculiares rationes quae inter eas christianamque religionem intercedant » (in *L'Osservatore Romano,* 29 nov. 1959).

4. Eodem modo ac in missionum regionibus, instituta culturalia exsistentia in Ecclesia, praesertim instituta missionologica et facultates mis-

sionologiae in Pontificiis Athenaeis et in catholicis studiorum universitatibus, debent largius et profundius colere studia respicientia historiam, culturam et mores variorum populorum, apud quos missiones catholicae habentur, et etiam aliorum populorum. Febrilis progressus civilis, technicus, politicus, qui revelatur apud populos Asiae et Africae, debet invenire catholicos studiosos absolute promptos et idoneos ad intelligendas necessitudines et exigentias populorum; hoc modo exprimitur et vivitur essentialis oecumenicitas Ecclesiae eiusque actionis apostolicae, quae in futuro Concilio proclamanda venit.

5. Frequentius institui debent conventus et congressus inter populos diversarum stirpium, ad catholicam Ecclesiam pertinentium(et quandoque etiam non catholicos cum debita cautela), ad profundiorem mutuam cognitionem et caritatem fovendam; huc spectat activitas, multiplicanda, quae exercetur ab illo instituto catholico, cui titulus « Apostolatus laicorum » est; ad hoc respicit etiam illud quod de Actione catholica scribit Summus Pontifex Ioannes XXIII in Encycl. *Princeps Pastorum*.

6. Praeterquam in studiis philosophicis et theologicis, universalitas culturae catholicae, quae alias culturas subsumit et transfigurat, debet quoque exprimi in operibus artis. Non est bonum quod populi autocthones notent sibi impositas formas artisticas, quae sint propriae populorum occidentalium; exemplum Sinensium (opera Card. Costantini) plurimum docet in cultu ingenii cuiusque populi in expressione artistica christianismi.

7. Eodem modo fovi debent opera litteraria (fabulae romanenses, opera dramatica, poemata, etc.), quae inspirationem sumant concorditer a symbiosi christianismi et traditionis nationalis. Certe, nullo modo fovendus est nationalismus culturalis modo polemico adversus nationes occidentales; semper autem ostendendus est christianismus non ut aliquid proprium particularis civilisationis, praesertim contra diffusionem operum litterariorum ex Europa, in quibus populi autocthones bibunt pessimum venenum antichristianismi (Gide, Sartre, Camus et aliorum).

DE PROPAGATIONE FIDEI APUD DOCTOS IN TERRA MISSIONUM

(S. Lokuang)

I

Necessitas

« Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit ».[1] Mundus vero modernus speciatim hac caecitate laborat; etiamsi scientiae experimentalis audacesque explorationes undequaque splendorem ingenii humani exaltant.

« In contrasto, — bene animadvertit Pius XII p. m. — sovranamente doloroso, colla luce di multiforme scienza ed esperienza, che, se ben diretta, viene dalle Università e dagli Atenei, si levano le tenebre che premono come una delle cause principali dell'abisso morale, in cui oggidì si dibatte il mondo; vogliamo dire il divorzio che separa un numero considerevole degli uomini di alta cultura dal pensiero cristiano. Le Università e gli Studi Generali non sono di oggi nè di ieri; sono nati nel Medio Evo dal seno e sotto la protezione della Chiesa. Anche allora voi vi trovate talvolta errori, eresie, teorie antisociali; tuttavia in quei tempi, oggi non di rado tanto denigrati, per le Università formatrici e direttrici delle menti, nell'atmosfera generale, aleggiava il pensiero delle concezioni cristiane e splendeva la face di quella fede, che non umilia gl'ingegni, e, se li pone in ginocchio, li fa più grandi innanzi alla verità e alla veracità di Dio che ha parlato, e nell'accordo mirabile della scienza della ragione con la scienza divina rende angelico un intelletto umano. Ma col lento lavoro di disgregazione spirituale originata dall'umanesimo paganeggiante, dal libero esame, dal filosofismo fumoso del secolo decimo ottavo, dall'idealismo e dal positivismo del secolo decimonono, contro i quali grida la realtà del mondo e dell'uomo, che cosa è avvenuto? Quali vantaggi e progressi ne hanno raccolti la società, la famiglia, la persona umana? Date uno sguardo alla cultura universitaria, voi che ne frequentate o ne frequentaste le aule. Quanti campi di studi e di ricerche scientifiche si sono svolti e dilatati fuori di ogni contatto col pensiero cattolico, senza tenere in alcun conto il gran fatto della rivelazione soprannaturale, allargandosi in un ambito, se non sempre antireli-

[1] *Ioan.* I, 9-10.

gioso, almeno non curante della religione! Donde un funesto scristianarsi dello spirito in tanti di quei Maiores, chiamati a condurre i loro fratelli, a illuminare gli altri, a pensare per essi, a guidarli nella vita, con quegli amari frutti che ci fa gustare il presente ».[2]

Non tantummodo studia universitaria a doctrina christiana separata fuerunt in his diebus; sed tota vita socialis hodierna in Statibus etiam catholicis a luce evangelica aberravit.

Causae huius lacrimabilis defectionis multiplices fuerunt, de quibus una saltem in responsabilitatem catholicorum, speciatim sacerdotum, imputari debet, scilicet *defectus propagationis doctrinae evangelicae libris aliisque mediis culturalibus*. Etenim doctrina evangelica de vita familiari et sociali penitus ignoratur etiam a catholicis, et, vulgo legitur tantum doctrina non christiana vel anti-christiana in libris, in ephemeridibus et in spectaculis cinematographicis. Hic defectus et lacuna propagationis doctrinae evangelicae cum mediis culturalibus valde gravis est in Statibus qui christiani vocari volunt.

A fortiori in *terra Missionum* hic defectus et haec lacuna maior adhuc habetur *propter deficientiam personarum et mediorum*. Tamen maior necessitas etiam urget ut quam citius et quam maxime instituatur haec propagatio. Nam novus ordo politicus et socialis nunc constituitur fere in omnibus regionibus terrae Missionum, quae vel prima vice independentiam et autonomiam obtinuerunt, vel olim constitutam sed labefactam iterum reintegrant. Propterea « Quaestiones — uti docet Summus Pontifex feliciter regnans in Litteris encyclicis *Princeps Pastorum* — quae apud alias gentes aut iam solutae sunt aut iis rebus enodari queunt, quae in earum more hucusque insunt, apud alias necessario sunt ac sine mora expediendae; quod quidem etiam periculi plenum est, cum fieri possit, ut praepropere agatur atque lamentabili cum levitate animi doctrinae mutuo recipiantur, quae rationes religiosas singulorum hominum ac gentium aut neglegant aut adversentur. Quas quaestiones catholicis, bono privato ac bono publico Ecclesiae intentis, nequaquam licet ignorare neque incuriose sinere damnose solvi, ita ut postea impensiore cum nisu errata corrigenda ampliusque impediatur christianae religionis propagatio terrarum in orbe ».[3]

Verumtamen homines qui vitam populorum ad novum ordinem dirigunt in his regionibus, scholas universitarias in Europa vel America frequentaverunt et doctrinas opinionesque plurimas acceperunt ex cultura

---

[2] PIUS XII, *Discorso agli studenti Universitari e ai laureati italiani di Azione Cattolica, A.A.S.,* 1941, p. 157.

[3] Litt. Enc. *Princeps Pastorum; A.A.S.* 1959, 859.

occidentali, exceptis doctrina et opinionibus Ecclesiae catholicae. Isti homines qui in iuventute apud gentes christianas commorabantur, nihil de doctrina et de constitutione Ecclesiae catholicae cognoverunt; doctrinas vero positivisticas, liberales necnon communistas avide amplexerunt. Nunc *novus ordo politicus et socialis* ope istorum in suis patriis construitur extra doctrinam catholicam vel etiam contra hanc doctrinam. Plures eorum homines bonae voluntatis sunt nec contra Ecclesiam cogitant. Urget igitur necessitas ut sine mora propagatio doctrinae christianae apud doctos ethnicos instituatur.

II

Experientia

Experientia docet quod usque tandem *doctrina christiana formam mentis et fermentum culturae alicuius populi non constituat,* Ecclesia in illa gente radicem adhuc non misit.

« Certes, l'apostolat est en progrès. Le nombre des chrétiens augmente régulièrement. Une centaine de milliers de baptême tous les ans est un résultat appréciable. Cependant les conversions individuelles ne constituent pas la seule question importante. Elles ne sont pas la question principale. Aurions-nous doublé le nombre de nos chrétiens, il n'est pas sûr que pour cela la christianisation de la Chine aurait fait beaucoup de progrès. Christianiser la Chine c'est en effet imprégner la société chinoise des principes de l'évangile, amener le groupement social, qu'est la nation chinoise, la civilisation de ce grand peuple et lui donner le souci de sa destinée surnaturelle... Oui, la Chine a évolué. Son élite intellectuelle s'est détachée des religions traditionnelles, mais pour les remplacer par une négation. Son *évolution* s'est faite *en dehors de l'influence de l'Eglise et trop souvent contre elle* ».[4]

Praedicatio evangelii oratenus facta ad individua vel ad communitatem individuorum est quidem necessaria ad salvandas animas, sed pro conversione totius gentis quae numerum immensum populi continet, fructus valde exiguos et progressum parvi momenti afferre valet. Propagatio vero mediis culturalibus, scilicet libris, ephemeridibus ac diffusionibus radiophonicis largiter celeriterque ad magnam multitudinem pervenire potest.

Conversio plebum eodem modo valet ac conversio doctorum, quia animae, ante Deum, distinctionem classium non secumferunt et omnes sanguine Christi redemptae sunt. Attamen coram hominibus istae duae conversiones fructus diversos afferre possunt. Nam *conversio doctorum*

---

[4] F. LEGRAND, *Apostolat intellectuel en Chine.* Louvain, p. 13.

maiorem influxum tum ad mentem populi cum ad vitam socialem exercet, quam conversio plebum.

Ita cum Matthaeus Ricci in Sinas pervenisset, hostilitatem et suspicionem contra ipsum ubique inveniebat neque praedicationem evangelii facere poterat quin arrogantiam et risum Sinensium moveret. Sed ipse ope scientiae mathematicae et philosophicae aestimationem aliquorum obtinuit, et cum iis de scientia loquens et scribens, eos ad christianam religionem convertit. Tunc portae civitatum ei aperiuntur, doctores illum frequentant, reverentia ab omnibus ei praestatur et praedicatio evangelii ei suisque sociis permittitur. Ipse per totam vitam scientias docendas Sinensibus adlaboravit et multa scripsit. Exemplum eius alii socii secuti sunt, et, in periculo persecutionis contra Missionarios ipsi « Scientiae doctores » saepe favorem pro Missionibus catholicis ab imperatore impetrarunt. Eorum scripta, quae plura erant et eleganter lingua sinica exarata, inter libros classicos bibliothecae imperialis adnumerata sunt. Nunc nomina eorum in historia culturae sinicae traduntur et contribuunt ad bonam aestimationem Ecclesiae.

Missionarii vero in subsequentibus saeculis viam Matthaei Ricci reliquerunt et conversionem plebi magno ardore procuraverunt. At proh dolor, *religio catholica* inde a *doctis* sinensibus *despicitur* et uti instrumentum oppressionis politicae gentium occidentalium describitur. Inde *persecutiones et hostilitates* contra Ecclesiam pluries exortae sunt. Sacerdotes sinenses in seminariis bonam educationem quoad theologiam et linguam latinam recipiebant et latine fluenter loquebantur. Sed in lingua patria stylo rudi et demisso sese exprimere vix valebant.

« Quando io mi trovavo in Cina, — ait Em.mus Card. Celsus Costantini —, un giorno venne da me il sig. Giuseppe Wei, che era segretario del Dott. Sun Yat Sen (fondatore della Repubblica cinese). Parlando delle Missioni, mi disse: " In Cina quattro cose servono a dare prestigio alle persone: la ricchezza, le magistrature, la letteratura e la scienza. Voi non potete imporvi nè per la ricchezza, nè per le magistrature. Avete però un'arma a vostra disposizione: la letteratura e la scienza. Un prete cinese letterato o scienziato è molto stimato e ha molte possibilità di penetrare tra i maggiorenti e il popolo. Ricordate il prestigio che ebbe il P. Ricci. Ma, finora, non pare che voi abbiate dato molta importanza a questo elemento d'influenza ". Il Dott. Vincenzo Yin Sien-chi, che ebbe il primo pensiero dell'Università cattolica di Pechino, in una famosa esortazione allo studio ha detto delle parole amare circa la cultura letteraria dei preti cinesi ».[5]

---

[5] CELSO COSTANTINI, *Cum Petro in Christo,* Roma 1957, p. 93.

Itaque post libros conscriptos a Matthaeo Ricci et a suis sociis, libri a sacerdotibus et a viris laicis catholicis Sinarum iam non amplius conscribebantur; immo si quis de sacerdotibus autochthonibus aliquid edere ausus est, id ab aliis in culpam superbiae imputabatur. Libri et ephemerides de rebus tantum devotionis religiosae eduntur et leguntur solummodo a plebe christiana, dum e contra numerus ingens librorum et ephemeridum de rebus scientificis, philosophicis et litterariis ab ethnicis publicantur et a tota iuventute avide perleguntur. Inter tantas varietates doctrinarum, quae ab ethnicis propagantur, solum doctrina catholica absens invenitur. Quid mirum si « Son évolution s'est faite en dehors de l'influence de l'Eglise et trop souvent contre elle »?

Id quod accidit in Sinis, plus minusque accidit etiam in aliis regionibus Missionum.

« Fate bene, miei cari giovani, — monebat graviter Eminentissimus Cardinalis C. Costantini —, a convertire le semplici genti di un villaggio. Esse possono dare buone vocazioni. Ma il problema della conversione di una nazione non si risolverà finchè non si creerà una nuova corrente di pensiero, finchè questa non raggiungerà le alte magistrature e lo stesso re o capo civile o militare della nazione. Per questo sono molto importanti le scuole, le università e la stampa ».

III

Optanda

« Siquidem sacerdotes etiam e suis territoriis orti, officio tenentur " in captivitatem redigendi omnem intellectum in obsequium Christi ", ut incomparabilis ille Evangelii praeco et gentium apostolus Paulus asseverat; ita enim etiam " apud suos, vel optimates litteratores homines, in honore erunt ". Quamobrem eorum sententia atque opera utentes curabunt Episcopi ut opportune matureque pro singulorum vel plurium regionum necessitatibus constituantur sedes studiis provehendis aptaeque vulgandae doctrinae, in quibus cum allogenae, tum autochtones sacerdotes quae didicerint et experiundo noverint, ea omnia in illius nationis bonum utilitatemque convertant, in qua nati sunt vel ad quam christiana veritate excolendam adlecti. Quam ad rem in memoriam haec etiam revocare oportet, quae proximus Decessor Noster imm. rec. Pius XII hisce verbis edocuit: catholicorum nempe esse « scripta omne genus fusius in vulgus edenda ad disseminanda »; iterum curandum esse ut omni ope provehatur « quidquid spectat ad recentiora artis inventa, quibus homines inter se communicant, quibusque doctrinae evulgantur,

quandoquidem neminem latet quanti intersit vulgi opinionem ad se trahere recteque conformare ». Non omnia profecto ubique ad effectum deduci possunt; omnes tamen opportunitates arripiendae sunt, quibus cuiusvis generis insurgentibus necessitatibus prospici queat, etiamsi interdum « alius est qui seminat, et alius est qui metit ».[6]

Imprimis igitur secundum normam datam a Summo Pontifice instituenda est sedes quae apta sit ad studia provehenda et ad doctrinam vulgandam. In Sinis tredecim adhinc annis institutum est Studium Biblicum a Missionariis franciscanis, in quo sacerdotes sinenses sub ductu unius sacerdotis italici, docti in re Sacrae Scripturae, totum Vetus Testamentum totumque Novum Testamentum in linguam sinicam convertunt. Decem volumina magni ponderis versionis insimul cum notis edita sunt et ultimum volumen hoc anno edetur. Nunc simile institutum a missionariis franciscanis in Iaponia etiam constituitur et idem opus in lingua iaponica perficere proponit. Sacerdotes de Societate Iesus hisce annis in insula Formosa sedem instituerunt, in qua lexicon magnum variarum linguarum conficitur.

Sed utilius est et efficacius, si una *sedes centralis ab omnibus Episcopis unius Nationis instituatur,* quae officium habeat tum conficiendi versiones ex textibus Sanctorum Patrum Sanctorumque Doctorum et documentorum Sanctae Sedis, cum conscribendi libros et ephemeridem saltem unam scientificam de doctrina christiana.

Exemplum possumus sumere a primis monacis buddhistis in Sinis qui per tria saecula, idest a saeculo quinto usque ad saeculum octavum p. C. n., collatis viribus, adlaboraverunt pro versione textuum et pro commentariis conscribendis. Traditur apud buddhistas sinenses, quod monacus Kumaradiva in horto regali morabatur ibique cum octingentis monachis et adiutoribus numerosas versiones perfecit. Ita etiam monachus sinensis Shuan-tsang post sedecim annos peregrinationis in Indiis, plures textus secumtulit in Sinas, anno 646 p. C. n., et ab imperatore bene receptus, in palatio imperiali una cum discipulis versionem textuum praeparavit. Collectio completa versionum et commentationum buddhisticorum in Sinis, nomine « Tripitaka », edita fuit anno 971 p. C. n. a primo imperatore dynastiae Sung et minorem numerum voluminum continet quam nostra Patrologia a Migne edita. Haec collectio magnum influxum apud doctos sinenses, coreanos iaponicos exercuit, ita ut non tantummodo doctrina buddhistica ab omnibus istis gentibus cognosceretur, verum etiam elementa huius doctrinae in scholam confucianam vel shintoisticam recepta fuerint.

---

6 Litt. Enc. *Princeps Pastorum;* *A.A.S.* LI (1959), p. 845.

Debemus itaque conficere *unam magnam collectionem de doctrina catholica* saltem « in iis nominatim nationibus, quae inde a remotissimis temporibus civili cultu floruere ».[7]

Alterum opus pro propagatione fidei apud doctos est *Universitas catholica.*

« La permanente attualità di Istituti o di Università cattoliche — affermava Pio XII — risiede nella utilità, nel bisogno di costituire un corpo di dottrina ordinato, saldo, di creare tutto un ambiente di cultura specificamente cattolica; un insegnamento, anche irreprensibile, in tutti i rami del sapere, integrato inoltre da una istruzione religiosa superiore, posta al fianco, non è sufficiente ».[8]

Universitas catholica in terris Missionum centrum irradiationis lucis christianae appellari debet, in qua non solum iuvenes catholici ad mentem Ecclesiae bene educantur, sed iuvenes ethnici plures doctrinam christianam recipere possunt. Dignitas universitatis catholicae mentem doctorum ethnicorum ad aestimationem religionis catholicae allicit eosque ad aliquam cognitionem de nostra Ecclesia acquirendam compellit. Influxus uniuscuiusque universitatis apud populum semper est magnus, quia homines qui sortes populi in manu tenebunt, in ea formantur.

Igitur omni nisu conandum est ut universitas catholica in regionibus Missionum, in quibus nondum habetur, construatur, in quibus vero constructa est, perfectior provehatur.

Tertium opus est *cura de iuvenibus* ex regionibus terrae Missionum oriundis qui studia *apud universitates europeas vel americanas* faciunt. Pro iuvenibus catholicis Summus Pontifex in Litteris Encycl. *Princeps Pastorum* enixe rogavit ut Episcopi locorum in quibus isti iuvenes studiorum causa inveniuntur, amore curaque speciali eos prosequantur. Sed nemo non videt quod pro iuvenibus etiam non catholicis qui scholas in Occidente frequentant, maxima cura habenda est ab omnibus Ordinariis loci.

Saepe dicitur quod auxilia quibus isti iuvenes indigent, ad pecuniam reducuntur. Ordinarii loci et associationes catholicae timorem non raro manifestant quominus nimis compellantur ad materialia auxilia praestanda. Hoc potest esse verum in multis casibus, sed non in omnibus casibus.

Primum auxilium quo iuvenes terrae Missionum, extra patriam studentes, indigent, consistit in bona amicitia quae eos in societatem stu-

---

[7] Litt. Enc. *Princeps Pastorum; A.A.S.* 1959, p. 845.

[8] Pius XII, *Sermo ad directores, professores et studentes Instituti Catholici Galliae,* 21 sept. 1950, *A.A.S.* 1950, p. 736.

diorum introducat. Igitur studentes catholici occidentales et membra speciatim associationis iuvenilis uti « Pax Romana » amore affectuque christiano sese coniungant cum iuvenibus terrae Missionum eosque, ad recreationes comitentur, et spiritum caritatis christianae eis patefaciant. Ita sensum sine sensu isti iuvenes doctrinam, usum et spiritum Ecclesiae cognoscere possunt et a contagione pestiferae doctrinae atheisticae praeservari valent.

Conclusio igitur nostra haec est:

Ordinarii loci missionum uniuscuiusque nationis, compositis viribus collatisque mediis, opus praedicationis apud doctos maxime curent ita ut sedes centralis vel nationalis pro hoc opere instituatur.

DE COOPERATIONE LAICORUM IN OPERE MISSIONARIO EFFICACIORE REDDENDA

(G. B. Papali)

Quantum valeat Apostolatus Laicorum

Quam generosus quamque efficax fuerit apostolatus laicorum in primordiis Ecclesiae satis ex historia sacra constat. Ipse Redemptor suorum fidelium collaboratione adiuvari dignatus est. Illi « septuaginta duo » quos designavit Dominus ad praedicandum in omni loco quo erat ipse venturus (cf. *Luc.* X, 1) non erant sacerdotes nec probabilius ad sacerdotium vocati: possunt dici primi apostoli laici. Et plurimae nominantur mulieres piae, vere adiutrices Christi, quae sequebantur eum et ministrabant ei (*Luc.* VIII, 1-3), praesertim vero mulier samaritana quae statim post suam conversionem totam illam civitatem ad Dominum adduxit (*Io.* IV, 28-30). Sed et multi quos sanavit Iesus vel liberavit a daemoniis facti sunt praedicatores eius, ut pluries notant Evangelistae (*Mc.* I, 45; *Matth.* IX, 30-31). Casus caeci nati demonstrat quam strenui defensores Iesu aliqui eorum evaserint (*Io.* IX, 17, 25-34). Nonne fuerunt sanctae mulieres ad monumentum vigilantes primae nunciae, ab ipso Iesu missae, Resurrectionis eius Apostolis adhuc dubitantibus?

At Apostoli secuti sunt exemplum Magistri in aggregandis sibi fidelibus ad cooperandum in munere apostolico exequendo. In *Actibus* legimus de Apollo qui coepit praedicare antequam baptizaretur, et de Aquila et Priscilla qui instruxerunt eum (XVIII, 24-26). Apostolus in suis Epistolis plurimorum collaboratorum mentionem facit (cf. e. gr. Ep. *ad Rom.* sub finem). Cooperatio huiusmodi laicorum quantae utili-

tatis fuerit demonstrat Apostolus his verbis: « Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanae et Fortunati et Achaici: quoniam sunt primitiae Achaiae, et in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos: ut et vos subditi sitis eiusmodi, et omni cooperanti et laboranti. Gaudeo autem in praesentia Stephanae et Fortunati et Achaici: quoniam id quod vobis deerat, ipsi suppleverunt: refecerunt enim meum spiritum et vestrum. Cognoscite ergo qui huiusmodi sunt » (*1 Cor.* XVI, 15-18).

Persecutiones intensitatem simul et ambitum apostolatus laicorum auxerunt: « igitur qui dispersi erant pertransibant evangelizantes verbum Dei » (*Act.* VIII, 4). Hic zelus apostolicus christifidelium non modicum Ecclesiae incrementum attulit saeculis immediate subsequentibus tempora Apostolorum. Scribebat Pius XII in sua Encyclica *Evangelii Praecones*: « Parique modo omnibus exploratum est christiani doctrinam non solum ab Episcopis ac sacerdotibus, sed a magistratibus quoque, a militibus, a primatisque civibus per consulares vias propagatam fuisse. Christifideles ad milia bene multa, a catholica suscepta fide recentes, quorum hodie nomina ignorantur, cum studio novae provehendae religionis, quam amplexi erant, vehementissime flagrarent, evangelicae veritati iter sternere enisi sunt; quamobrem post circiter annos christianum nomen christianaque virtus iam ad principes omnes Romani Imperii urbes pervenerant » (*A.A.S.* 43, p. 511).

Specialis exigentia praesentis temporis

Tempora moderna in multis revocant illa primordia Ecclesiae: in terris missionum plerumque vigent eaedem fere conditiones ac in primis saeculis Ecclesiae, dum in nationibus iam evangelica luce perlustratis atheismus materialisticus peiores adhuc minatur afferre conditiones Apostolatus laicorum, semper quidem necessarius, omnino urgens evadit quando societas humana ita abalienata est ab Ecclesia ut apostolatus hierarchiae parum eam penetrare valeat. Talis fuit conditio mundi pagani primis saeculis Ecclesiae; talis est conditio magnae partis societatis modernae post revolutiones religiosam, intellectualem, industrialem et politicam trium horum ultimorum saeculorum. Soli laici fideles possunt, utpote pleno iure cives utriusque regni, coelestis scilicet et terrestris, inter utrumque nexum necessarium constituere, per quos, tamquam per venas capillares, influxus spiritualis Ecclesiae totum corpus humanae societatis penetrare valeat. « Videtis profecto in quae inciderimus tempora » lamentabatur Pius XI, « et quid ea a nobis velus clamando postulent. Hinc siquidem dolemus hominum esse consortionem christiano spiritu nimium saepe destitutam ac vulgo ethnicorum more

vitam traduci; in multorum animis languescere catholicae fidei lumen adeoque et paene restingui religionis sensum et morum integritatem sanctitudinemque deteriorem cotidie miserrime fieri. Illinc haud mediocrem haurimus aegritudinis causam, quod scilicet multifariam clerus nostrorum sit temporum necessitatibus impar, sive quia nimia alicubi exiguitate laboret, sive quia nonnullos civium ordines, ad quos beneficus eius intercipitur appulsus, neque momentis voce, neque evangelicae doctrinae praeceptis, attingere potest. Pernecesse igitur est nostra hac aetate omnes esse apostolos; pernecesse est non desidem vitam degere laicos homines, sed ad ecclesiasticae hierarchiae nutum praesto esse, eidem ita navare operam, ut praecando, se devovendo, actuoseque allaborando, ad catholicae fidei incrementum christianamque morum emendationem magnopere conferant » (*A.A.S.* 21, p. 668). Idem Pontifex scribens ad Episcopatum Mexicanum sic conquerebatur: « Verum quidem est, necessitatem huius laicorum catholicorum apostolatus non omnes plane perspectam habere, quamquam usque a primis Litteris Encyclicis *Ubi Arcano Dei* expresse ediximus Actionem Catholicam ad pastorale ministerium vitamque christianam omnino pertinere » (*A.A.S.* 29, p. 191).

Crisis moderna non patitur moram. « Ed ora è tempo, diletti figli » exclamavit Pius XII romanos exhortans, « è tempo di compiere gli altri definitivi passi; è tempo di scuotere il funesto letargo; è tempo che tutti i buoni, tutti i solleciti dei destini del mondo, si riconoscano e serrino le loro file; è tempo di ripetere con l'Apostolo: *Hora est iam nos de somno surgere* (*Rom.* XIII, 11); è ora che ci svegliamo dal sonno, poichè vicina è adesso la nostra salvezza. È tutto un mondo, che occorre rifare dalle fondamenta, che bisogna trasformare da selvatico in umano, da umano in divino, vale a dire secondo il cuore di Dio » (Allocut. 10-2-1952. *Discorsi e Radiomessaggi,* t. 13, pp. 470-471; cf. etiam Allocut. *Ad paroecianos S. Sabae, ibid.* t. 14, p. 453). « Sub hoc respectu, Venerabiles Fratres, fideles, adhuc praecisius, laici, stant in prima linea vitae Ecclesiae » dicebat idem Pontifex Cardinales alloquens, « illis Ecclesia est principium vitale societatis humanae. Ideo ipsi, ipsi praesertim, debent habere claram conscientiam non solum se pertinere ad Ecclesiam, sed esse Ecclesiam, id est communitatem fidelium super terram sub ductu communis Capitis, Papae, et Episcoporum in communione cum eo » (*A.A.S.* 38, p. 149).

Alia ratio quae apostolatum laicorum adhuc urgentiorem hodie reddit est insufficiens numerus sacerdotum ad ipsa munia pure sacerdotalia obeunda, et penuria vocationem ad sacerdotium. Iam in sua prima Encyclica Pius XII hanc penuriam conquerebatur his verbis: « Quando-

quidem, proh dolor, sacerdotes hodie numero pauciores sunt quam eorum munera expetunt, et in nostram quoque aetatem haec divini Salvatoris sententia convenit: *messis quidem multa, operarii autem pauci,* consociata illa laicorum hominum navitas, ecclesiasticae hierarchiae praestita, quae sit quotidie increbrescens ac nobili ardentique devovendi studio animata, auxiliares opes sacrorum administris praebet praetiosissimas, atque eiusmodi profectus spondet, qui optime sperare iubeat. Preces ab Ecclesia admotae ad Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam, ea ratione admissae videntur, qua peculiares temporum necessitates postulant; ita scilicet ut sacerdotum opera, impar saepenumero ac praepedita, feliciter substituatur atque compleatur » (*A.A.S.* 31, p. 443). Unde laici invitantur non solum ad apostolatum proprie suum exercendum sed plerumque etiam ad participandum in ipso munere pastorali, docendo religionem ex missione canonica, immo aliquam speciem curae animarum gerendo. Sic Pius XII ad Congressum Catholicum Magonxae: « I problemi della cura d'anime nel presente e nel futuro potranno difficilmente venir risolti, senza mettere a disposizione delle gerarchie dell'Apostolato, in grado ancora maggiore che per il passato, l'aiuto dei laici. Appunto le esperienze del ministero spirituale nelle situazioni aggrovigliate degli ultimi anni e spesse volte quasi senza via d'uscita, hanno dimostrato quanto prezioso sia tale aiuto, e quanto poco, talvolta, possa il sacerdote senza l'aiuto dei laici, non ostante tutta la migliore volontà » (*Il Laicato, Insegnamenti pontifici,* vol. IV, Roma 1958, pp. 497-498). Haec exigentia laicorum ad supplendum clerum in ipso munere pastorali maxime apparet in missionibus ubi catechista, a Superiore ecclesiastico rite constitutus, vices gerit pastoris in omnibus exceptis muneribus stricte sacerdotalibus; ipse baptizat, assistit matrimoniis, visitat infirmos et moribundos, funeralia ducit, diebus dominicis et festivis fidelibus in ecclesia convocatis legit Evangelium, facit exhortationem, preces communes dirigit, catechizat. De praesentia huius servitii catechistarum haec habet Pius XII: « Un mot de l'emploi des catéchistes. L'Asie et l'Afrique comptent, pour un milliard et demi d'habitants quelques 25 millions de catholiques, avec 20 a 25.000 prêtres et 74.000 catéchistes. Si l'on ajoute à ce nombre les enseignants, qui sont souvent les meilleurs catéchistes, on arrive à 160.000. Le catéchiste représente peut-être le cas classique de l'apostolat laïc par la nature même de sa profession et parce qu'il supplée au manque de prêtres. On estime, parmi les missionnaires d'Afrique du moins, qu'un missionnaire accompagné de 6 catéchistes obtient plus que 7 missionnaires » (*A.A.S.* 49, p. 537).

Fundamenta et ambitus Apostolatus Laicorum

Sed ex supradictis minime est concludendum apostolatum laicorum ad hoc solum inservire ut substituatur et compleatur apostolatus hierarchiae ubi hic impar vel impeditus existit. Apostolatus laicorum habet suum valorem proprium; est enim pars integralis apostolatus Ecclesiae, quae non potest substitui activitate clericorum etiamsi hi numero sufficientes essent. Est enim in Corpore Mystico, quod est Ecclesia, duplex activitas: una Christi Capitis per hierarchiam docentis, regentis et sanctificantis suum Corpus; altera membrorum Christi voluntaria et generosa cooperatione cum gratia « adimplentium ea quae desunt passionum Christi pro Corpore eius, quod est Ecclesia » (cf. *Col.* I, 24). Fundamentalis illa et divinae institutionis distinctio inter Pastores qui docent et regunt, et coetus fidelium qui docentur et reguntur, non est intelligenda ut divisio quaedam Ecclesiae in duas partes, unam activam et alteram passivam. Nullum membrum alicuius organismi vivi potest remanere mere passivum, sed debet, ut vivat, agere et sua activitate quodammodo pervadere totum corpus. Haec reciproca actio omnium membrorum et consequens circulatio vitae spiritualis per totum Corpus Mysticum vocatur Communio Sanctorum. In hac activitate interna Corporis Mystici, quodlibet membrum non solum recipit gratiam, sed fit, secundum cuiusque cooperationem cum ea, magis vel minus potens centrum intensificationis et distributionis gratiae. Sic quodlibet potest succurrere necessitatibus aliorum, maxime per orationem, immo membra apparenter humilia possunt esse revera sustentacula ipsarum columnarum Ecclesiae. De munere apostolico laicorum christifidelium haec scribebat Augustinus: « Cum... auditis, fratres, Dominum dicentem: *Ubi ego sum, ibi et minister meus erit,* nolite tantummodo bonos Episcopos et clericos cogitare. Etiam vos pro vestro ministrate Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque eius quibus potueritis praedicando, ut unusquisque etiam paterfamilias hoc nomine agnoscat paternum affectum suae familiae se debere. Pro Christo et pro vita aeterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam; ita in domo sua ecclesiasticum et quodammodo episcopale implebit officium, ministrandi Christo, ut in aeternum sit cum ipso » (*In Ev. Ioan.,* tract. 51, n. 13: citatum in *Summi Pontificatus, A.A.S.* 31, p. 444).

Hic supernaturalis dynamismus fidelium fundatur ante omnia in charactere sacramentali quo insigniti sunt. « Character importat quamdam potentiam spiritualem ordinatam ad ea quae sunt divini cultus » ait Angelicus (*Summa,* III, q. 63, a. I). Duo sacramenta characterem impri-

mentia, quae laicos spectant, sunt Baptismus et Confirmatio, ex quibus Baptismus facit hominem christianum, Confirmatio apostolum. Item S. Thomas: « Vitam spiritualem homo accipit per Baptismum qui est spiritualis regeneratio. In Confirmatione autem homo accipit quamdam aetatem perfectam spiritualis vitae... In hoc sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti ad robur spirituale, quod competit perfectae aetati. Homo autem cum ad perfectam aetatem pervenerit, *incipit iam communicare actionem suas ad alios;* antea vero quasi singulariter sibi ipsi vivit... Nam in Baptismo accipit potestatem ad ea agenda quae ad propriam pertinet salutem, prout secundum seipsum vivit: sed in Confirmatione accipit *potestatem ad agenda ea quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei* » (III. q. 72, aa. 1, 2, 5). Haec functio apostolica Confirmationis manifeste apparebat in primis diebus Ecclesiae quando ipsi simplices fideles non raro accipiebant, simul cum infusione Spiritus Sancti, charismata quae reddebant eos praedicatores et taumaturgos.

Aliud fundamentum apostolatus laicorum est illud *sacerdotium regale* de quo S. Petrus: « Et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, *sacerdotium sanctum* afferre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum » (*I Petr.* II, 5). Relatio huius sacerdotii ad apostolatum potest etiam erui ex verbis sequentibus: « Vos autem genus electum, *regale sacerdotium,* gens sancta, populus acquisitionis: *ut virtutes annuntietis* eius qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum » (*ibid.* 9). Hoc autem sacerdotium spirituale, omnibus fidelibus commune, non est confundendum cum illo sacerdotio quod per sacram ordinationem confertur, quodque proprie vocatur sacerdotium; verumtamen et realitas quaedam spiritualis fundata, secundum S. Thomam, in charactere sacramentali. « Totus autem ritus Christianae religionis derivatur a sacerdotio Christi. *Et ideo manifestum est quod character sacramentalis est character Christi, cuius sacerdotio configurantur fideles secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt quam quaedam participationes sacerdotii Christi, ab ipso Christo derivatae* » (*Summ.* III q. 63, a. 3). Qualis est functio huius sacerdotii spiritualis? Certe hoc non dat fidelibus potestatem gerendi personam Christi et offerendi sacrificium ipsius Christi sicut facit sacra ordinatio; dat tamen eis possibilitatem se adiungendi Christo co-offerentes et co-victimae, et sic collaborandi cum ipso in eius opere salvifico, vel, ut fortius exprimit Apostolatus, *adimplendi ea quae desunt passionum Christi, pro corpore eius quod est Ecclesia* (cf. *Col.* I, 24).

Est et aliud fundamentum extraordinarium activitatis apostolicae fidelium, dona scilicet charismatica, quae Deus impertit quando et cui

vult secundum necessitates Ecclesiae. In primis Ecclesiae temporibus profusiora fuisse huiusmodi dona ex Actibus constat (cf. e. gr. X, 44-46). S. Paulus varietates horum donorum in suis epistolis enumerat (*I Cor.* XII, 8-11). Haec charismata, secundum S. Thomam, proprie ordinantur ad apostolatum: « Sicut supra dictum est, gratia gratis data ordinatur ad hoc quod homo alteri cooperetur ut reducatur ad Deum » (I-II, q. III, a. 4). Sed cum huiusmodi dona Deus libere distribuat, quando et cui vult, nullus debet ea expectare vel in eorum anticipatione suas activitates apostolicas fundare. Numquam tamen deerunt in Ecclesia, ut notat Pius XII in *Mystici Corporis Christi.* At ubi dantur, quamquam charismata directe ex Deo veniant, non mediante hierarchia ecclesiastica, plene tamen subiacent iurisdictioni hierarchiae cuius est de eis iudicare et eorum exercitium publicum in Ecclesia regulare.

Ad ambitum apostolatus laicorum quod attinet, hoc imprimis notandum quod activitas hierarchiae non exhaurit totam activitatem Ecclesiae. Ut superius indicavimus, est in Ecclesia duplex activitas: Christi Capitis, quae per hierarchiam exercetur, et membrorum Christi quam christifideles adiuvante gratia exercent. Nunc vero haec activitas Ecclesiae comprehendit omnem obiectum Redemptionis. Primarium obiectum Redemptionis est salus animarum in quem finem Christus suam instituit Ecclesiam et dedit ei omnem potestatem necessariam proindeque Ecclesiae auctoritas et activitas se extendunt ad omnia non solum pure spiritualia, sed etiam materialia et temporalia in quantum aut media sunt ad finem supernaturalem, aut implicantur in eis principia religiosa vel moralia. Haec activitas Ecclesiae in ordine spirituali, auctoritative exercetur a hierarchia.

Hoc in campo christifideles etiam habent suam activitatem propriam apostolicam, quae coextensiva est cum activitate hierarchica, iis solum exceptis quae potestatem ordinis vel iurisdictionis exigunt. « Perlatus est actionis catholicae campus » scribebat S. Pius X, « quae ex sese nihil omnino excludit quod, quocumque modo, directe aut indirecte, ad divinam Ecclesiae missionem pertineat » (*Il Fermo Proposito, A.A.S.* 34, 744). Ambitus vero activitatis Ecclesiae, secundum Leonem XIII, hic est: « Quidquid igitur est in rebus humanis quoquo modo sacrum, quidquid ad salutem animorum cultumve Dei pertinet, sive tale illud sit natura sua, sive rursus tale intelligatur propter causam ad quam refertur, id est omne in potestate arbitrioque Ecclesiae » (*A.A.S.* 18, 167). In hoc immenso campo spirituali fideles possunt apostolatum exercere aut ex delegatione hierarchiae, quando agitur e. gr. de administratione sacramentorum, cura animarum, doctrina christiana publice tradenda, administratione bonorum Ecclesiae, etc.; aut ex man-

dato hierarchiae, quando agitur de apostolatu proprie laicorum quidem sed publice et quasi nomine Ecclesiae exercendo; aut tandem sua propria initiativa, et tunc agit nomine proprio.

Sed praeter hunc ordinem spiritualem qui correspondet ad obiectum primarium Redemptionis, adest etiam ordo temporalis qui non est omnino exclusus ab oeconomia Redemptionis; est enim obiectum secundarium Redemptionis. Christus incarnatus est non solum ad salvandas animas, sed etiam per animas salvatas rursus dirigere mundum materialem et ordinem temporalem versus Deum. Cum mundus materialis creatus sit propter hominem, dum homo elevatur ad ordinem supernaturalem, totus mundus ordinatur sursum per illum, et quando homo cadit, mundus materialis hanc « ordinationem » amittit. Sub hoc respectu mundus cecidit per hominem, et indiget redemptione. « Nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc » (*Rom.* VIII, 19-23). Creatura haec « frustrata » et « redimenda » non sunt res materiales ut tales, sed mundus materialis et ordo temporalis prout subiacet dominio et usui hominis. Homo utpote pontifex creationis debet creaturas irrationales positive dirigere versus Deum, et eas adhibendo ad gloriam Dei adimplere finem creationis earum; quod si homo non facit, creatio manet frustrata a suo fine. Indiget ergo quadam redemptione sensu quidem analogico, non mere metaphorico. Christus ergo est Redemptor non solum animarum, sed et totius creaturae; est Rex non solum regni spiritualis, sed et totius ordinis temporalis.

Hunc quoque finem secundarium redemptionis, scilicet mundum materialem reconciliandi Deo, Christus suae Ecclesiae proposuit, sed non eodem modo ac finem primarium. Nam Ecclesiae contulit omnem auctoritatem in regno suo spirituali, ut ipsa directe et auctoritative agat omne quod pertinet, ad salutem animarum. Sed respectu ad regnum temporale, Ecclesiae non contulit auctoritatem sicut et ipse non exercuit suum dominium temporale durante sua vita mortali. Ecclesia ergo debet hunc finem secundarium attingere non directe et auctoritative per suam hierarchiam, sed indirecte per suos fideles, via pacificae penetrationis. Hierarchia debet formare christianos, et christiani debent reformare mundum.

Hic apparet campus vastus apostolatus laicorum ubi ipsi soli sunt competentes. Omnis activitas humana sive sit politica, socialis, scientifica vel industrialis, omnis valor naturalis sunt obiecta huius apostolatus. Nihil humanum, nihil a Deo creatum debent christiani negligere sed omnia

Christo lucrifacere ad gloriam Dei et bonum animarum. Ut aiebat Pius XII operariis belgis: « sia che si tratti di problemi familiari, scolastici, sociali; ovvero si tratti di scienza o di arte, di letteratura o di stampa, di radio o di cinema; sia che si tratti infine, di campagne politiche per l'elezione dei corpi legislativi o per la determinazione dei loro poteri o delle loro attribuzioni costituzionali, *ovunque i laici cattolici trovano aperto, dinanzi a sè, un vasto e fertile campo d'azione* » (*Il Laicato,* p. 521).

Aliquae Quaestiones quae Missiones Spectant

Laici cooperatores in missionibus sunt duplicis categoriae: 1° qui veniunt ex Europa vel aliis nationibus catholicis sive ad exercendum apostolatum directum uti traditio doctrinae christianae, cooperatio in cura animarum etc.; sive ad apostolatum indirectum exercendum quales sunt magistri, medici, etc.; 2° catechistae qui debent assumi ex ipsis indigenis et formari in ipsa missione.

Utriusque huius categoriae necessitas non indiget probari. Ut superius iam exposuimus, unus missionarius cum sex catechistis plus valet forsan in missionibus quam septem missionarii sacerdotes. Sed nondum satis aestimatur valor cooperatorum in apostolatu indirecto, scilicet magistrorum, medicorum, etc. Missiones protestanticae ab his cooperatoribus maxime dependent et mirandum successum inde reportant. Multum in hac re ab eis nobis discendum est. In sua allocutione diei 5 octobris 1950, Pius XII clare illustravit quam fructuosus possit esse huiusmodi apostolatus, asserens non solum magistros et magistras sed cuiuslibet professionis viros ac mulieres optimum posse apostolatum exercere mediante sua professione; praesertim vero hodie medicos et machinatores ceterosque specialistas qui, adhaerentes organizationi internationali UNESCO dictae aliisve huic similibus, ad nationes minus evolutas adiuvandas accedunt (cf. *A.A.S.* 49, pp. 928-929).

Utrique supradictae categoriae cooperatorum necesse est providere: *a*) formationem religiosam et scientificam; *b*) missionem canonicam, et *c*) media sustentationis.

Pro formatione eorum, sive in Europa sive in missionibus, necesse est habere scholas specialiter ad hoc fundatas. « In terris missionum *tam necessariae sunt scholae catechistarum quam Seminaria* » scribebat Excellentissimus D.nus Iosé da Costa Nunes, tunc Patriarcha Indiarum Orientalium, « Habes Dioecesim cum Seminario clericis pleno sed absque schola catechistarum? Dico quod praeferrem Seminarium cum minori nu-

mero clericorum si ei adiungatur schola catechistarum cum magno numero alumnorum (*India,* April-may, 1950; cf. *Indian Missionary Bulletin,* vol. I, n. 2, p. 86). De scholis catechistarum multum se occuparunt Concilia et Synodi in Asia et Africa habita. Experimentum scholae catechistarum in variis missionibus iam est incoeptum et bonos fructus producit (cf. *Indian Missionary Bulletin,* March, 1953). Instituta ad formationem laicorum cooperatorum qui ex terris catholicis ad missiones proficiscuntur pauciores sunt et recentioris originis. Praeclarum exemplum est illud sub directione Mgr. Brouwers in Archidioecesi Los Angeles in Statibus Unitis exsistens. *Restat ut Sancta Sedes hos conatus individuos et sporadicos coordinet et compleat institutum hoc in sua legislatione generali includendo.*

Sustentatio catechistarum est problema gravissimum in missionibus. Ut scribebat S. Exc. Mgr. (postea Cardinalis) Mooney, tunc Delegatus Apostolicus in India, « Difficultas magna est hoc quod pecuniarum onus quod importat educatio et sustentatio horum cooperatorum in sufficienti numero gravius semper exsistit quam ab ulla missione toleretur. Tamen ex nulla alia activitate missionaria potest sperari — liceat uti expressione aliqua commerciali — reditus tam abundantes ». Circa hanc quaestionem variae dispositiones per diversa tempora factae sunt in missionibus. Sunt duae tendentiae: una eos bene remunerandi, exigendo laborem salario proportionatum; altera relinquendi eos liberos suum victum labore privato acquirere, concesso tamen aliquo stipendio pro servitio catechetico, ita ut in theoria labor catecheticus quasi voluntarie factus censeatur. Synodus Congo (1907) decrevit ut catechistae in magno honore habeantur et bene remunerentur. Superiores missionum in Iaponia, in suo Congressu mense oct. 1951 habito de hac quaestione decreverunt. In genere admittitur systema salarii, et salarii sat alti, ita ut viri educati et elevatioris conditionis socialis in munus catechistae adscribi valeant.

Conferentia Missiologorum anno 1953 habita in Universitate Fordan in Statibus Unitis, hanc etiam quaestionem tractavit, sed regulam universalem vel uniformem delineare noluit. Posuit tamen in clara luce principium et praxim S. Pauli in hac re: ipse vindicavit ius suum ad sustentationem, sed voluntarie cessit eo (*I Cor.* IX, 4-19; *Act.* XX, 33, 34). Sed notandum quod praxis S. Pauli non potest ex toto adoptari a catechistis. Ars quam exercebat ipse fuit omnino libera ab omni responsabilitate erga alios; potuit ergo ipse laborare quando et quomodo sibi conveniebat. Huiusmodi occupatio non omnibus praesto est. Insuper problema sustentationis qui simplicius erat pro S. Paulo quam pro ca-

techista qui, utpote paterfamilias, tenetur providere pro sua familia. Omnes ergo admittunt necessitatem sufficientis remunerationis catechistae; simul non potest negari maxima efficacia laboris omnino gratuiti. Quoddam compromissum potest proponi: habere aliquot semper catechistas bene remuneratos ad servitium habituale; et insuper melioris conditionis personas invitare ut hunc apostolatum gratuite exerceant. Ad hoc erit necessarium elevare aestimationem populi erga hoc munus eidem quamdam dignitatem et honorem externum concedendo.

VOTA

Optatur ut ambitus apostolatus laicorum clare definiatur tenore sequenti:

a) Christifideles omnes habent ius et officium non solum laborandi pro sua uniuscuiusque salute, sed etiam pro salute aliorum et dilatatione Regni Dei. Cuius iuris fundamentum est Baptismus quo membra Christi fiunt, eiusque efficacia et dignitas derivantur principaliter ex Confirmatione quae est sacramentum apostolatus per excellentiam, et ex illo sacerdotio spirituali de quo S. Petrus (III, 5, 2).

b) Christifideles laici non habent ius agendi auctoritative et publice in Ecclesia sed agunt nomine proprio et tamquam privata membra Ecclesiae; possunt tamen agere publice et nomine Ecclesiae si accedat mandatum vel delegatio hierarchiae.

c) Ambitus activitatis eorum in campo spirituali est coextensivus cum ambitu apostolatus hierarchiae, iis exceptis quae exigunt potestatem sive ordinis sive iurisdictionis.

d) In campo vero materiali et ordine temporali, activitas apostolica laicorum ad omnia se extendit quae activitas humana legitime attingere valet, etiam quo activitas hierarchiae non potest pervenire. Hic proinde invenitur aliquis campus apostolatus exclusive laicorum.

Ad efficaciorem reddendum cooperationem laicorum in opere missionario optatur: *ut*:

1° Scholae ad formationem laicorum missionariorum et catechistarum locum proprium obtineat in legislatione ecclesiastica sicut et Seminaria clericorum.

2° Huiusmodi scholae instituantur tum in terris catholicis unde missionarii cooperatores exeunt, tum in terris missionum ubi catechistae sunt educandi.

3° Candidati in his scholis educati et approbati insigniantur missione canonica non solum ad doctrinam catholicam publice tradendam, sed ad assistendum missionario et eum supplendum in omnibus muneribus curae animarum connexis quae potestatem ordinis vel iurisdictionis non exigunt.

4° Instituatur aliquod Pium Opus ad stipes colligendas unde provideatur educationi et sustentationi praedictorum missionariorum et catechistarum.

VOTA

a professoribus Pontificii Instituti Missionalis proposita

1. Optandum est ut in Ecclesia Codex reapse Oecumenicus habeatur, i. e. generalis applicationis pro Ecclesia Universali in statu normalis constitutionis posita, praeter varios Codices pro singulis Ecclesiarum sat homogenearum speciebus exaratos; pro missionibus omnibus autem, i. e. pro novellis Ecclesiis in via implantationis, *Codex Missionalis* exoptatur, qui, Codici Oecumenico proxime adhaerendo, de figura iuridica apostolatus missionalis ubique terrarum tractet, cum discretione tamen, ita ut Ordinarii Missionum vel Conferentiae Episcopales in territoriis missionalibus, sat ampla libertate sub ductu S. C. de Propaganda Fide gaudeant, in ordine ad requisitas adaptationes regionales consequendas in novis Ecclesiis particularibus reapse indigenis efformandis (Seumois).

2. De salute infidelium: quam clarissime hanc dogmaticam veritatem declarare (Lokuang).

3. Optandum ut illas circumscriptiones quae non amplius missionales dici possunt sensu theologico (ut sunt Australia et Nova Zelandia), a dependentia S. C. de Propaganda Fides auferentur; illae vero regiones omnes quae reapse in statu missionali versantur, ut sunt multae regiones Americae Latinae illaeque antiqui Patronatus Lusitaniae, sub iurisdictione S. C. de Propaganda Fide ponantur, exceptione facta forsitan pro territoriis missionalibus sub S. C. Orientali positis, si methodi missionales ultimorum saeculorum ad latinizationem et occidentalizationem tendentes vim adhuc habere perseverant (Seumois).

4. Optandum ut competentia S. C. de Propaganda Fide plena efficiatur relate ad rationem studiorum in Seminariis Missionum tam in territoriis missionalibus quam, etiam in illis Seminariis Universitariis qui gradus academicos conferre possunt: hoc ad meliorem formationem apostolicam futurorum missionariorum et forsitan ad breviorem quo-

que (saltem quando agitur de curriculo extra-academico), licet magis solidam et magis indicatam formationem ecclesiasticam generalem (SEUMOIS-ROMMERSKIRCHEN).

5. Optatur ut S. C. de Prop. Fide exclusivam competentiam habeat in elargienda Laurea in Missiologia ubique terrarum, utque gradus academici in aliis disciplinis ecclesiasticis ab ista S. Congregatione collati (cf. supra), distinctivum characterem habeant, mentionem nempe faciendo cum specializatione missionali (SEUMOIS).

6. Competentia maior in rebus canonicis exoptatur pro S. C. de Propaganda Fide, quae non amplius ligata sit ab aliquo Codice particulari (pro Ecclesia latina) pro regionibus antiquiter christianis (non missionalibus) delineato: (cf. n. 1) (SEUMOIS).

7. Optandum ut S. C. de Prop. Fide iurisdictione satis ampla in rebus liturgicis polleat, ita ut Ordinarii Missionum magna cum efficacitate novellas Ecclesias ad mentem Apostolorum plane indigenas etiam in liturgico implantare queant; hoc pariter valet relate ad legislationem canonicam in casu quo Codex Ecclesiarum Occidentalium iam diu constitutarum, pro territoriis Missionum simpliciter in vigorem remaneret (SEUMOIS).

Quaestiones Liturgiam sacram in terris missionum spectantes (*Desiderata Congressus Internationalis Nijmegen-Uden,* sept. 1959). Ut Concilium Oecumenicum non tantum sit « spettacolo di fratellanza, di unione e di concordia » (Card. Ruffini, *Oss. Rom.,* 4 nov. 1959, p. 3), et eo ipso invitet ecclesias dissidentes « a tornare all'universale ovile » (*ib.*) sed simul sit etiam spectaculum et signum magnanimitatis, concedendo Ecclesiis indigenis quam maximas libertates in quaestionibus liturgicis (v. g. usum linguae vernaculae, adaptationem rituum non essentialium in sacramentis conferendis usibus et ritibus indigenis, etc.) (METZLER-LOKUANG).

8. Optandum, ad solutionem quaestionis ex penuria missionariorum aut saltem ex difficultate rectae distributionis operariorum secundum criteria reapse apostolica derivantis, ut Ordines et Congregationes religiosae, ab omnibus privilegiis exemptionis spoliati, arctius sub directione effectiva Sanctae Sedis vel Ordinarii loci ponantur praesertim quod apostolatum (SEUMOIS).

9. Iubeatur ut in seminariis minoribus missionum formatio humanistica fiat secundum programmata scholae publicae ita ut seminaristae diploma a gubernio recognitum habere valeant. In seminariis vero maioribus formatio humanistica quoad litteraturas patriae magna cum diligentia ab omnibus alumnis fiat, ita ut sacerdotes novi bene scribere in propria lingua queant (LOKUANG).

10. Optandum ut candidati ad missiones melius praeparentur ac magis instruantur in rebus missionariis; ut in unoquoque seminario vel collegio cathedra et disciplina missionologica obligatoria pro omnibus alumnis stabiliatur; ut professores vel magistri Lauream in missionologia prius acquirant; pariter Directores Nationales et propagandistae Operum Missionalium, Lauream vel saltem Licentiam, possideant; ut in singulis missionibus maior sacerdotum numerus, quo possibilis sit, antea Missionum studio incumbant (Pio de Mondreganes-Metzler).

Desiderandum ut urgeatur studium missiologicum in Seminariis aliisque domibus studiorum ecclesiasticorum, praesertim Ordinum et Congregationum religiosarum partem in opere missionario habentium (Metzler).

11. Optandum est ut Ordinarii Missionum quam cito Episcopi residentiales fiant, secundum formam hierarchicam unicam quae ex divina institutione constat, non autem remaneant indefinite Vicarii aut Praefecti Apostolici. (Seumois).

12. In *C.I.C.,* praecipua, sin unica, recognoscitur forma operum missionariorum: systema commissionis; in missionibus clero locali commissionariorum exterorum plerumque urget: hucusque sub forma adiutorii, uti accidit in Ecclesiis iam formatis, quod tamen sufficiens non videtur necessitatibus missionum, vel sub forma regionis missionalis, quae adhuc est in via experimentali et applicatur solum in Iaponia. Accurate perpendantur variae formae variis phasibus seu gradibus missionum accomodatae ad eliminandum quidquid ineptum apparet atque ad proponendum quidquid opportunum videtur. Aequitas canonica statuitur in concretis legibus, cum, ad beneplacitum S. Sedis vel ad terminum in conventione stabilitum, de una ad alteram formam transire debeat opus missionariorum aut id plane cessare debeat ponendo finem statui missionis (Che).

13. Optandum ut dioecesibus cleri saeculuaris in terris catholicis, quae sufficientem sacerdotum numerum habeant, concredi possint territoria missionaria, simili modo quo fit cum Ordinibus et Institutis religiosis (Pio de Mondreganes).

14. Optandum ut Actio Catholica specialiter in missionibus reordinata sit, ita ut ordinationi territoriali ecclesiasticae perfecte adhaereat, cum una tantum associatione pro unaquaque paroecia, variis tamen cum sectionibus secundum sexum aetatemque quando conditiones locales hoc postulant. Directio dioecesana Actionis Catholicae unitariae huiusmodi cum Ordinario intime adlaborabit, sed organizatio centralis nationalis erit, vel secundum provincias ecclesiasticas constituetur, ita ut ope-

retur una cum Praeposito sectionis Apostolatus Laici ex Conferentia Episcopali. Directio centralis omnes directivas actionis generalis, praesertim pro apostolatu directo, exarabit, cum auxilio commissionum expertorum (bureaux spécialisés) in diversis sectoribus apostolatus, quae commissiones non tamen velut associationes speciales (mouvements spécialisés) habendae essent (SEUMOIS).

15. Optandum est ut sic dictus « habitus clericalis » variaque vestimenta religionum, extra caerimonias sacras aut domos paroeciales religiosasve non amplius appareant, vel saltem ad collare romanum (col romain) ad summum reducantur: secundum exemplum Apostolorum et Patrum priorum saeculorum qui nihil in hoc instituerunt et ad reddendum contactum apostolicum specialiter in missionibus magis humanum, suavem, efficacemque (SEUMOIS).

16. Optandum est ut liturgicae functiones in linguis vernaculis fiant; ut ordo divini Officii et S. Missae simpliciori forma reducantur; ut multae partes variantes fixis normis stabiliantur, et modo uniformi et constanti omnia peragantur (PIO DE MONDREGANES).

17. Relate ad apostolatum indirectum, ad actionem socialem, scholarem civilizatricemque, cautius sese teneant missionarii specialiter quando Status haec omnia aegre fert (sicut saepe saepius accidit nostris temporibus); et novae methodi minoris sumptus licet aequaliter aut forsitan magis efficaces proponantur in substitutione aliquarum formularum quae ut optimae considerabantur forte tempore anteacto, sed nonnisi cum maioribus semper difficultatibus sustineri nostris temporibus videntur, ut v. gr. illae sic dictae « scholae christianae » in missionibus (SEUMOIS).

18. Optandum est ut can. 1350 § 2 *C.I.C.* ita emendetur ut officium missionale omnium Episcoporum una cum Summo Pontifice clare appareat, et fraternitas Ecclesiarum particularium inter se et specialiter relate ad Ecclesias missionales recenter fundatas sanctionem iuridicam obtineat. Insuper titulus *C.I.C.* « De sacris missionibus » (can. 1349-1351) locum titulo: « De apostolatus universalis officio », et magis amplificetur et determinetur (SEUMAIS).

19. Optandum, ad fovendam conscientiam apostolicam cleri specialiter missionalis, ut ex Breviario Romano tollentur omnes imprecationes nationalisticae antiqui populi Iudaici, omnesque loci, spiritu particularistico ferventes, qui adversus Gentes aut inimicos diriguntur; pariter optandum ut multae lectiones scripturisticae et patristicae ac etiam orationes, melius eligantur, ita ut spiritualitas apostolica sacerdotum cibum solidum ex eis haurire possit (SEUMOIS).

20. Optandum, ad fovendam cooperationem missionalem sacerdotum fideliumque, ut missa menstrua (cum Gloria) « pro propagatione fidei » vel alia componenda « pro apostolatu universali » (missa votiva contra paganos auferenda esset), ab omnibus sacerdotibus celebretur die statuto ad libitum Ordinarii, in relatione cum intentione menstrua pontificali missionaria, quae promulgari melius deberet ab Operibus Pontificiis Missionalibus quam ab associatione pia « Apostolato della Preghiera » (SEUMOIS).

21. Optandum, ad cooperationem fidelium maxime fovendam, ut liturgia Missae, praesertim in lectionibus sacris orationibusque sicut et in « prece fidelium » imbuta sit propositis universalibus Ecclesiae, et ita cogitationes fidelium ad causam apostolatus missionalis saepe advocet, sicut fiebat in primis saeculis Ecclesiae. Insuper antiqua spiritualitas apostolica-pastoralis-oecumenica in devotione « Boni Pastoris » cumulata, resumatur, specialiter cum festivitate liturgica « Boni Pastoris » quotannis celebranda (SEUMOIS).

DE LABORE HUMANO FUNDAMENTALIA PRINCIPIA

(T. Piacentini - H. Viglino)

1. AUCTORITAS ECCLESIAE IN QUAESTIONIBUS LABOREM SPECTANTIBUS.

Ecclesia, e mandato divino omnes homines docendi ac dirigendi ut recte vivant, ius officiumque habet non solum interveniendi ne hodiernae quaestiones humanum laborem spectantes contra dictamina naturalis rationis ac divinae revelationis solvantur, sed etiam efficiendi suo magisterio ac pastorali cura, ut omnium conscientia ad recte laborem explendum dirigatur, atque ordo socialis constituatur quo labor humanus omnes fines sibi praestatutos a Deo Auctore naturae et gratiae adamussim adimpleat.

Hic Ecclesiae interventus non tantum vindicatur a Summis Pontificibus ut *inviolabilis praerogativa Ecclesiae,* sed etiam ab iisdem *omnino necessarius* ponitur, ut quaestiones de labore, praesertim opificum, solvi possint. « Illud tamen sine dubitatione affirmamus inania conata hominum futura, Ecclesia posthabita. Videlicet Ecclesia est, quae promit ex Evangelio doctrinas, quarum virtute aut plane componi certamen potest, aut certe fieri, detracta asperitate, mollius; eademque est, quae non instruere mentem tantummodo, sed regere vitam et mores singulorum

praeceptis suis contendit... » (LEO XIII, *Rerum Novarum,* n. 13). Quod Pius XI confirmavit, ostendens subordinationem rei oeconomicae praeceptis moralis disciplinae (*Quadragesimo Anno,* II, init.). Et Pius XII, totum ordinem socialem considerans: « La Chiesa, custode dell'ordinamento soprannaturale cristiano, in cui convergono natura e grazia, ha da formare le coscienze di coloro, che sono chiamati a trovare soluzioni per i problemi e i doveri imposti dalla vita sociale. Dalla forma data alla società, consona o no alle leggi divine, dipende e s'insinua anche il bene o il male nelle anime, vale a dire, se gli uomini chiamati tutti ad essere vivificati dalla grazia di Cristo nelle terrene contingenze del corso della vita respirino il sano e divino alito della verità e della virtù morale o il bacillo morboso e spesso letale dell'errore e della depravazione. Dinanzi a tale considerazione e previsione, come potrebbe essere lecito alla Chiesa, Madre tanto amorosa e sollecita del bene dei suoi figli, di rimanere indifferente spettatrice dei loro pericoli, tacere o fingere di non vedere e tollerare condizioni sociali che, volutamente o no, rendono ardua o praticamente impossibile una condotta di vita cristiana, conformata ai precetti del Sommo Legislatore? ».[1]

2. OPPORTUNA RATIO SOLLEMNIS DECLARATIONIS FUTURI CONCILII OECUMENICI DE LABORE.

Patet peculiare momentum quaestionis laboris in historia et societate hodierna. Nostra aetas iam denominatur « civilitas laboris » et « humanismus technicus ». Haud paucae Rerum Publicarum Constitutiones proclamant rem publicam fundatam esse in labore (cf. *Constitutio Italica,* art. 1). Problematica, olim principalis, de labore productivo opificum in relatione cum capitali, iam amplissime aucta est et dilatata citra fines oeconomiae et politicae. Etenim quaestiones hodiernae de labore totam

---

[1] (*Messaggio Pentecostale* 1941; *Discorsi,* III, p. 109). Similiter, quod integralis doctrina de labore solum in luce Evangelii habetur, affirmat Ioannes XXIII: « Nell'applicazione del Vangelo e nell'insegnamento sociale della Chiesa, è racchiusa la forza che sola può edificare, nella verità e nella carità, il mondo del lavoro cristiano » (*Discorso alle ACLI* nella Festa del « Primo maggio 1959 »). Problemata socialia laboris resolvuntur in spiritu Christianismi « che è fermezza, libertà, rispetto dell'uomo, ed al tempo stesso, carità, dolcezza pazienza » (*ibidem*). Cf. PIO XII, *Incontro con le ACLI nella solennità del 1° maggio 1958*: « ... la soluzione cristiana... accorda in armonia di verità, di bene comune, di genuina libertà, diritti e doveri, individuo e società, esigenze materiali e destino soprannaturale » (*Discorsi,* XX, p. 143).

vitam individualem et socialem spectant, non tantum apud excultas nationes sed etiam apud omnes ceteros populos. Illas respiciunt fere omnes scientiae hominem et societatem spectantes: psychologia, paedagogia, sociologia, oeconomia, politica, ethica, philosophia theoretica, ascetica, theologia.

Nostro tempore « labor », e processu et enucleatione historiae, melius pandit et discooperit suam *complexam densitatem humanam,* suam vim et efficaciam in vitam personalem, familiarem, socialem, politicam et religiosam. Iam in conscientia individuali et collectiva clariorem emergentiam attingunt tum universus eius valor positivus, tum complexae eius functiones in totius vitae humanae explicatione, tum eius iura, exigentiae, postulata.

Ecclesiae magisterium hanc hodiernam problematicam laboris vigilanti cura prosecutum est, errores et deviationes clare denuntians, christianae fidei et philosophiae principia declarans, practicas solutiones prospiciens et etiam promovens. Iam dum primum Vaticanum Concilium parabatur, necessitas patuit interventus Ecclesiae adversus doctrinas de labore a Socialismo prolatas. Inde autem a Leone XIII usque ad praesentem diem doctrina socialis Ecclesiae de labore admodum patefacta est plurimis documentis. Attamen praesertim modo organico agitur de labore operariorum; et quae spectant ceteras quaestiones hodiernas sparsa et implicita inveniuntur. Peropportunum exinde videtur quod proximum Oecumenicum Concilium sollemniter declaret *fundamentalia capita christianae doctrinae de labore,* unde omnes christifideles lumen ac directionem suscipiant, tum quod attinet ad perfectionem personalem per rectum laborem, tum quod spectat eorum actionem socialem ad perficiendam humanam societatem per laborem recte ordinatum.

Quae autem sollemnis declaratio maximi momenti apparet etiam ratione habita gentium infidelium quibus non soluta problemata laboris patens sunt accusatio contra conscientiam populorum christianorum. Plurimae gentes, quae nostro tempore libertate politica potitae sunt et actores futurae historiae humanae validissime sese adstruunt, prae oculis habent modernam vitam civilem in labore fundatam atque humanismum technicum celebrantem. Erroneae ideo de labore doctrinae, quae noxiae sunt populis christianismo imbutis, gravissime minantur illis gentibus et futurae historiae totius humanitatis. E contra perfecta notitia doctrinae christianae de labore erit illis vis validissima ad verum ordinem socialem statuendum et ad animos aperiendos vitae christianae.

3. Natura laboris

Erroneae doctrinae de labore, quae moderna aetate quam maxime vigent, fundantur in quodam *humanismo immanentistico* vel naturalistico et vitalistico, negante finem transcendentem divinum personae humanae. Inter quas aliae, nimis activismo et pragmatismo faventes, negant naturam instrumentalem laboris et hunc propugnant esse sibi ipsi finem; aliae vero, quodam materialismo affectae, laborem humanum habent totaliter directum ad bonum productivum oeconomicum vel ad bonum technicum. Concordant omnes in affirmatione absolutae autonomiae laboris vel boni oeconomici et technici ab omni subordinatione ordini morali.

Non omnis activitas habenda est labor. Tria enim videntur esse de ratione laboris: *ex parte obiecti* quod directe respiciat bonum utile; *ex parte operis* quod sit executio methodica secundum leges sibi intrinsecas; *ex parte operantis* quod sit diligens usus activus facultatum, virium atque instrumentorum quae ob ipsius operis perfectionem requiruntur.

Cum autem talis sit natura humana in hac vita, ut consequi nequeat suos fines debitos, quin labore persona sese applicet ad usum mediorum illis convenientium, dicendum est laborem esse fundamentum necessarium totius vitae humanae et explicationem perfectionis humanae.

Natura laboris simul est *individualis* et *socialis*. Est individualis, quia labor profluit e ratione et libera voluntate singulae personae, et est eius diversarum facultatum exercitium. Est etiam socialis, quia nulla persona a seipsa sola explere potest omnes labores exigitos a finibus debitis suae naturae, et quia quicumque labor cuiuscumque personae proxime vel remote multa supponit et exigit non tantum ex parte aliorum individuorum sed etiam totius vitae socialis et historicae humanitatis.

Consideratur labor in sua adaequata et universali acceptione, prout est activitas materialis aut spiritualis hominis ordinata ad aliquem finem utilem consequendum. Iuxta hanc acceptionem labor comprehendit omnem explicationem virium et facultatum hominis ad productionem bonorum, non tantum ordinis oeconomici, sed etiam spiritualis et supernaturalis. Labor est ipsa essentia et exsistentia humana, in sua historica et temporali actuatione operativa. Exinde tum *labor manualis* cuiusvis generis, tum *labor intellectualis* aut « *professionalis* » plene essentiae humanae cohaeret, utpote eiusdem necessaria explicatio in praesenti vita. Quatenus explicatio naturae spiritualis et liberae, labor quicumque imbibitur *transcendenti valore personae*. Modi et conditiones laboris mutant

et evolvuntur in historia, at non mutat essentia ipsa laboris. Labor permanet essentialiter applicatio valoris personae ad res creatas, sive homo impendat principaliter vires physico-musculares, sive vires intellectuales, ut cum machinam dirigit vel inquisitioni scientificae incumbit aut quemcumque intellectualem laborem exercet omnique vel modestissimo officio vacat quod a complexa ordinatione societatis postulatur. Animadvertere licet quod revera, ob substantialem unionem animae cum corpore, nullus datur labor quod sit exclusive manualis aut intellectualis: quaedam applicatio mentis requiritur in omni labore, et vicissim quemcumque laborem intellectus consequitur aliquod dispendium corporis et defatigatio physica.

4. Fines naturales laboris

Distinguere oportet inter *fines operantis* et *fines operis*. Fines naturales laboris *sub ratione ipsius operis* tot sunt specifice distincti, quot bona specifica diversa habentur, ad quorum acquisitionem necessarius est labor; dantur ideo fines oeconomici, technici, scientifici, aesthetici, culturales, paedagogici, medicales, civici, politici, religiosi, etc. Cum autem omnes isti fines per se ordinati sint ad bonum individui et totius societatis, haec plena perfectio humana habenda est finis ultimus omnium laborum. Quae autem obiectiva perfectio humanitatis characterem habet *historicitatis,* scilicet dynamici progressus perfectivi per opera diversarum generationum et cooperationem diversarum gentium, ita ut homo expleat in tempore suam naturalem exigentiam infiniti. Proindeque fines ultimus laboris est « civilitas », qua homines cooperantur ut verae causae secundae magis magisque perfectae, celebrantes mutuam solidarietatem amicalem, socialem et historicam atque suam humanitatem tendentem per finitum ad infinitum, et ita Deum Auctorem naturae humanae ac totius mundi glorificantes. Ut labor humanus explere possit hierarchicum ordinem suorum finium, servare debet leges insitas in sua ipsa natura. Hae leges duos characteres essentiales prae se ferunt, *libertatis* scilicet et *rationalitatis.* Labor humanus talis esse nequit, nisi sit liber, cum homo essentialiter causa libera sit: debet ideo esse a « libera inceptione privata ». Labor servilis repugnat naturae humanae, impedit perfectionem individui, privat communitatem valore operativo personae, negat veram Dei glorificationem. Haec libertas tamen rationalis esse debet, ut obiectivum ordinem naturalem finium omnino servet. Labor ideo humanus notam habet *ethicitatis,* et generali iustitia cum legali tum sociali regi debet.

Fines naturales laboris *sub ratione operantis* plurimi esse possunt et debent. Labor enim efficere debet, ut unusquisque per illum vivat et

bene vivat. Cum singula persona nisi minimum laborem ponere possit inter plurimos labores necessarios ad propriam perfectionem, necessarium est quod intendat per laborem assumptum consequi omnes fines sibi naturaliter debitos. Imprimis e suo labore, praescindendo ab eiusdem specifica natura, habere intendit omnia bona oeconomica, quae sibi suaeque familiae *necessaria sunt ad vitam servandam ac perficiendam*. Insuper oportet quod intendat ex eodem incrementum opportunum invenire suae vitae intellectualis, moralis, religiosae, necnon suae virtualitatis technicae et aestheticae. Denique suum laborem ita debet considerare, ut per eumdem *membrum activum* corporis socialis fiat ad bonum suum, familiae, totius societatis, et ad Dei glorificationem.

Attamen sub ratione operantis *finis laboris ultimus* non alius potest esse nisi ipsa quies a labore, scilicet *fruitio bonorum* ad quae labor ordinatur. Perfecta quies fruitionis in hac vita dari nequit; attamen saltem imperfecta omnino dari debet, et sub aspectu sociali exprimitur per pacem ac sub aspectu personali obtinetur per opportunum tempus dicatum gaudiis valorum individui, familiae, societatis, sistendo a labore. Progressus vitae civilis, qui hominem liberat a condicionibus vitae materialis, efficit ut personae magis magisque gaudeant sic dicto « tempore libero », quo frui possint Deo per orationem, relationibus familiaribus ac socialibus, omnibus bonis vitae civilis. Mandatum naturale ac divinum consecrandi quieti et publico honori divino dies festivos respondet huic ultimae finalitati laboris sub ratione operantis, et efficit ut etiam labor sub ratione operis semper sit ordinatus ad supremam perfectionem humanam et ad glorificationem divinam, scilicet ad regnum simul hominis et Dei. In huius mandati enunciatione oporteret vitare expressionem « opera servilia » et magis eius positivam significationem enucleare.

Labor est *actuatio* et *explicatio* exsistentiae et personae: ibi est eius significatio metaphysica fundamentalis. Exsistentia cuiusvis entis vix concipi potest sine actione; in viventibus autem esse et operatio invicem implicantur. At praeprimis humana exsistentia sine operatione et labore nec consistit nec attingit suam internam finalitatem expansionis, integrationis, perfectionis. Mediante labore potentiales energiae et vires personae, physicae, psychicae, spiritualis, educuntur in actum. Exinde significatio laboris non est solum in hoc quod labor est plerumque conditio necessaria pro comparandis mediis ad sustentationem vitae, lex dura exsistentiae, sed instrumentum quoque progressionis hominis, individualis et socialis, ad suam ontologicam perfectionem.[2] Sine labore, vita

[2] Labor « non è soltanto travaglio delle membra umane... Il lavoro è servizio di Dio, dono di Dio, vigore e pienezza della vita umana, merito di riposo eterno »

et persona privantur quodam necessario elemento propriae intrinsecae constitutionis, quam ingreditur dimensio temporalis et dynamica.

Ex hac fundamentali significatione humana laboris derivat eius *dignitas* et simul *ingens efficacia* in constructione personalitatis: labor est quodammodo pars hominis et exinde hominem interne et ontologice afficit. Nec profecto ulla conceptio philosophica aut theologica hominis integraliter est vera si laborem negligit. Quod conditiones oeconomicae laboris aliquatenus determinent structuram mentalem et spiritualem hominis, veritati consonat. Quamquam perperam Marx denegat originariam vim energiae spiritualis in mundo humano. Nam spiritus, libertas, ethica, religio, fides sunt expressiones fundamentales humanae naturae, quae ipsas leges oeconomiae modificare et interdum subvertere valent.

Accedit, idque imprimis praesenti tempore, quod labor est fundamentale coefficiens *realizationis socialis naturae humanae.* Ortus, progressio et immensa expansio civilizationis, in qua exprimitur actuatio finalitatis terrenae hominis, debetur labori. Labore, praesertim evolutae civitatis, attingitur vasta cooperatio individuorum et coetuum ad realizanda innumera bona quae cedunt in omnium utilitatem, ac densitatem texturae socialis magis magisque adaugent. Mediante labore universa societas concrescit et splendet in unitatem cuiusdam organismi viventis, quam omnes partes simul dynamice aedificant ab eaque servantur et complentur.[3]

Consideratio socialitatis laboris vertitur in affirmationem *humani valoris machinae,*[4] cuius dignitas non solum mensuratur ex eo quod machina sublevat fatigationem et onus omni labori plerumque connexum,

---

(Pio XII, *Radiomessaggio Natalizio* 24 dic. 1943; *Discorsi,* V, pp. 154-155). Cf. etiam eiusdem Pii XII *Omelia di Pasqua,* 9 apr. 1939: labor non est solum medium necessarium pro vita, sed instrumentum explicationis virium et facultatum personae (*Discorsi,* I, pag. 36). Eadem sententia in *Missione e responsabilità degli editori cattolici,* 7 nov. 1954: « a legge del lavoro è stata infatti imposta dal Creatore all'uomo per la sua perfezione » (*Discorsi,* XVI, p. 260); *ibid.* Pontifex refert ad laborem bene expletum parabolam talentorum. Cf. pariter *Tecnica e previdenza sociale nelle industrie chimiche,* 10 genn. 1958 (*Discorsi,* XIX, pp. 716-17).

[3] Valor socialis laboris pluries a Pio XII vindicatur: « le travail, tâche de la vie personnelle de tous... est capable, en raison de sa nature même, d'unir les hommes véritablement et intimement » (*Per la XXXIV Sett. Sociale di Francia,* 18 luglio 1947; *Discorsi,* IX, p. 590. Cf. *Natura, Famiglia, lavoro nella Esortazione ai Coltivatori diretti,* 15 nov. 1946: « Il lavoro unisce gli uomini in un medesimo sforzo per il proprio perfezionamento a onore del loro Creatore e Redentore » (*Discorsi,* VIII, p. 308).

[4] De valore positivo machinae et technicae Pius XII in *A un grandioso pellegrinaggio di lavoratori di Terni,* 18 nov. 1956 (*Discorsi,* XVIII, pp. 672-73); cf. quoque *Norme e indicazioni alla Unione Cristiana Imprenditori dirigenti,* 7 marzo 1957 (*Discorsi,* XIX, pp. 28-29).

sed etiam ex eius instrumentali efficientia ad valores socialitatis generandos, firmandos et universaliores efficiendos. Machina ex se apta est in clariorem conscientiam adducere sensum solidarietatis et communionis operativae hominum. Ex se tendit ad libertatem et liberationem, dum homini novas et pleniores structuras vivendi comparat. Non ex sua natura hominem depersonalizat et servum facit.

Adserta dignitas laboris nequaquam iustificat *absolutum optimismum laboristicum,* qui in labore ponit ultimam finalitatem vitae et personae, et in quamdam naturalisticam *mysticam laboris* desinit.[5] Finalitas ultima hominis in hac vita est perfectio integralis personae, attingenda per laborem, cuiusvis formae, in directionem transcendentiae supernaturalis vitae. Finis vero supremus laboris est gloria Dei Creatoris per actuationem perfectionis hominis et naturae. Labor ipse momenta quoque negativa induere potest, non quidem ex se, sed ex historica situatione in qua vivit homo. Sicut omnes valores humani, etiam labor, in praesenti historica conditione, suam habet antinomiam, in individuo et in societate. Quaedam formae laboris manualis (ut excavatio in fodinis, metallurgia) durissimae sunt, et nisi opportunis providentiis socialibus allevientur, integralem aedificationem hominis praepediunt. Unde necessitas quod praesertim huiusmodi laboris formae abbreviatione temporis, ceterisque mediis quae bene ordinata civitas comparare debet, humanizentur.

Labor igitur, ex se, non est, ut vult Marx, alienatio hominis extra semetipsum, sed vere medium ad realizationem sui, instrumentum interiorizationis spiritualis; et plena humanificatio laboris vertitur in eiusdem quamdam divinizationem, cum dimensio supernaturalis sit homini in praesenti statu quodammodo intrinseca.

5. Laboris professionalis significatio, officia et iura

Naturales aptitudines individuales, concretae circumstantiae ambientis socialis et vivae exigentiae vitae socialis efficiunt ut singula persona humana speciali ratione sese applicet ad unum determinatum laborem prae aliis, ut ad illum incumbat totis suis viribus et fere per integram vitam. Agitur de quadam « *personali vocatione terrena* », circa quam psychologia et sociologia hodierni temporis plurimum investigant, et quae particulare momentum obtinet cum in philosophia tum in theologia. Substantia autem humana individuatur ex materia signata quanti-

---

[5] Contra mysticam religiosam laboris productivi iam Pius XII in *Radiomessaggio Natalizio* 24 dic. 1955 (*Discorsi,* XVII, pp. 443-44); cf. quoque *Alla Conferenza intern. sulle relazioni umane nell'industria*: « *La productivité n'est pas une fin en soi* » (*Discorsi,* XVII, p. 510).

tate. Notae constitutivae huius individuationis sunt etiam illae aptitudines naturales, quae impellunt individuum ad quaedam genera laborum prae aliis, ita ut ipsum perficere seipsum nequeat nisi eas evolvendo et exercitando. Haec generica substantialis vocatio ulterius specificatur notis illis individuantibus, quae fluunt e concreta exsistentia in determinato ambiente sociali et in determinato momento vitae historicae et civilis. Per istam « personalem vocationem terrenam » persona individua humana assumit significatum sibi proprium, originarium, inalienabile, et non suppletivum in constructione historica civilitatis humanae et ideo glorificationis divinae. Theologia considerat hanc « personalem vocationem terrenam ad determinatum laborem » sub luce rationis Providentiae divinae, homines dirigentis ad finem ultimum creationis, et sub luce Gubernii divini, quocum homines vocati sunt ut cooperentur. Psychologia hodierna claram conscientiam habet illius personalis vocationis tamquam elementi fundamentalis efformationis perfectae personalitatis. Sociologia eamdem considerat ut conditionem sine qua non perfectae vitae consociatae.

Merito labor, ad quem impellit vocatio personalis, « *professionalis* » appellatur, cum per illum persona possit et debeat testimonium perhibere suae personalis perfectionis humanae et sui proprii muneris socialis, ut membrum activum totius corporis communitatis civilis. Distinctio habitualis inter « professiones » et « ministeria », fundata in divisione laborum secundum quod sint praevalenti ratione intellectuales ac directivi vel manuales ac exsecutivi, hodierno tempore magis magisque attenuatur ob progressum technicum excludentem possibilitatem laboris mere manualis ac exsecutivi.

Fundamentale problema laboris hodiernae aetatis est quod labor professionalis in concreto a persona assumptus correspondeat eiusdem personali vocationi terrenae: quod omnino requiritur tum a bono sociali tum a bono ipsius personae. Et si concretae situationes sociales impediunt ut hoc pro omnibus fiat, necessarium est quod persona per rectum usum liberi temporis possit quodammodo suam vocationem personalem explere.

Ex dictis iam patet unamquamque personam *officium morale* habere exercendi laborem professionalem, ut consequatur suam personalem perfectionem et cooperetur ad bonum civilitatis totius communitatis. Si situationes dantur, quae omnino impediunt exercitium huius officii (ut infirmitas) vel efficiunt ne labor assumptus sit omnino humanus vel respondeat vocationi personali, ipsum personale sacrificium esse potest instrumentum perfectionis moralis personae et ideo testimonium valorum spiritualium, quod maximi habendum est etiam pro bono totius communi-

tatis. Huic rationi officii, fundatae in exigentia morali perfectionis personalis et exercitii iustitiae generalis, accedit plerumque officium procurandi sibi et familiae bona oeconomica necessaria vitae, quorum labor professionalis est communis titulus acquisitionis.

His officiis correspondent *iura.* Quorum quattuor dantur genera: ius ad laborandum, ius ad eligendum laborem convenientem personali vocationi, ius liberi ac rationalis exercitii laboris professionalis in se et in omnibus relationibus socialibus considerati, ius debitae remunerationis oeconomicae.

Haec iura aliquando esse possunt obiectum strictae iustitiae commutativae; sed *per se respiciunt iustitiam socialem.*

6. Labor professionalis ut subiectum et obiectum iustitiae socialis.

Ius seu iustum sociale dicitur esse illa rectitudo ordinis vitae socialis, internae ac internationalis, quae in concreto efficiat ut omnes personae individuae et omnes coetus sociales exprimere possint sua propria munera socialia ad bonum suum et totius communitatis, et ita valeant participare bona omnia communia secundum dictamina iusti distributivi.

Hinc patet laborem professionalem esse simul subiectum et obiectum virtutis iustitiae socialis. Est imprimis *subiectum,* ex eo quod labor professionalis natura sua duplici modo tendit ad bonum commune; secundo, in quantum in concreto actuat naturales exigentias ethicas individuales et sociales, seipsum recte ordinando sub luce rectae ordinationis totius vitae socialis. Est etiam *obiectum* iustitiae socialis, ex eo quod tantum per actuationem perfectam positivam iusti socialis omnia iura spectantia laborem professionalem perfecte expleri possunt.

Ut labor professionalis sit revera causa iustitiae socialis, oportet quod exsuperet omnem limitem egoismi sic dicti professionalis, et sese socialiter affirmet non per violentam « pugnam classium », sed per *dynamicam cooperationem inter classes.* Ad hoc requiritur integralis efformatio humana omnium civium, secundum principia et methodum paedagogiae christianae. Problema exinde maximum ponitur hodiernae societatis, scilicet de *recta ratione educationis scholasticae.*

Ipsae sociales exigentiae inducunt ad id quod est ius naturale cuiuscumque personae: scilicet quod educatio scholastica pateat omnibus usque ad perfectam maturitatem humanam, et quod eadem talis sit ut omnes cognoscere ac evolvere possint suam personalem vocationem terrenam ad determinatum laborem professionalem. Et ideo haec recta ratio educationis scholasticae est unum ex praecipuis obiectis iustitiae socialis,

et requirit harmonicam cooperationem familiarum, Ecclesiae, Status, omnium virium socialium laboris, et praesertim eorum qui vocati sunt ad laborem professionalem magisterii.

Libera associatio inter homines est ex iure naturali, dummodo sit recta in se et in ordine ad publicum bonum. Liberae associationes professionales non tantum sunt ius, sed etiam officium e natura. Etenim labor professionalis, saltem in gradu perfectionis nostrae civilitatis, perfectus esse non potest tum ex parte operantis tum ex parte ipsius operis, si qui ad eundem laborem incumbunt non sese uniant ad triplicem finem: *primum* scilicet ut per mutuum adiutorium et per mutuam aemulationem sese magis magisque efforment ad rectam vitam humanam, ad perfectam ethicam professionalem, ad technicam perfectam sui laboris, ad relationes civicas, ad iustitiam socialem; *secundum,* ut per organicam unionem fiant vis socialis, quae rectificet in vita sociali suum laborem professionalem sive in se sive relate ad bonum commune; *tertium,* ut per solidalem unitatem, possint sua iura defendere.

Iam Leo XIII (*Immortale Dei, Rerum Novarum*) habet liberas associationes professionales unum e praecipuis elementis solutionis quaestionis socialis de labore. Quod Pius XI confirmavit et amplificavit usque ad prospiciendum ordinem socialem fundatum in liberis associationibus professionalibus (*Quadragesimo Anno*). Pius XII quam maxime habuit associationes professionales, ut elementa activa renovationis christianae totius societatis, ut ex innumeris Allocutionibus patet.

7. Fines supernaturales laboris

Ex luce Revelationis significatio philosophica laboris novis considerationibus integratur.[6] Labor iam clarius ostenditur ut *essentialis cooperatio hominis ad opus creationis.*[7]

[6] Labor authenticum valorem personalem consequitur, si *ipsa persona* aliquatenus *valorem absolutum* habet, non conclusum spatio et tempore. Igitur vera et plena dignitas laboris nullo modo servatur in quacumque conceptione mere materialistica vitae, sed solum in conceptione metaphysica hominis quae immortalitatem animae admittat. Ipsa philosophia graeca, quae immortalitatem animae vix cognoscit, authenticam naturam et dignitatem laboris non intellexit. Inde inhumanum institutum *servitutis;* inde denegatio partis activae, in constitutione et gubernatione Civitatis, laborantibus manu: « Sed nec agricultores esse convenit futuros cives: otium enim quum ad virtutem ingenerandam [virtus, iuxta graecam mentem, est *scire* et *contemplari*], tum a civilia munera obeunda requiritur » (Arist., *Polit.,* VII, cap. 89; « siquidem necesse est agricultores servos aut barbaros esse, aut accolas », *ibid.*).

[7] « Il lavoro... prosegue, in quanto produce, l'opera iniziata dal Creatore » (Pio XII, *Nobiltà e bellezza del lavoro artigiano*: *Discorsi,* XI, p. 29).

Creatio aeterna et immutabilis in Deo, in effectu intrinsecam dimensionem temporalem habet. Progressu temporis perficitur ut concrescens manifestatio infinitae sapientiae et amoris. Iamvero in hac progressione temporali creationis homo ingreditur propria vi physica, propria intelligentia, voluntate et amore, ut cooperator, per suum laborem, ad integrationem creationis.[8] Hinc incomparabilis excellentia laboris. Universa natura, plena divinis ideis et rationibus, caret tamen formali intelligentia et voluntate. Homo, qui, per corpus, pars est consubstantialis naturae, labore intellectuali et physico mundum ac naturam cognoscit et perscrutatur, eius vires et leges discooperit et easdem flectit, suis artefactis et machinis, in novam quamdam creationem. Hodiernae mirae effectiones laboris, vel in ordine physico, sese praebent quasi expansio in actu rationis humanae, eius expressio et extrinsecatio, fere eius ratio incarnata (sicut natura, sua stupenda vita et dynamismo est participata quaedam expressio rationis aeternae): urbes et domus modernae, tantopere labore humanizatae et rationalizatae, sunt ideae actu viventes in materia.

Hac ratione labor est quoque efficax medium quo homo apprehendit mirabilem veritatem naturae. Per suam « factionem » (operationem) homo profundius penetrat in miraculum creationis: labor fit *progressiva revelatio naturae*. Homo, per multiplices formas technicae, naturae dominatur, mysteria eius carpit, eius profundum verbum essentiale-operativum ad actum adducit. Humano labore, universus novam quamdam mensuram et essentialem emergentiam attingit. At simul labor fit *progressiva revelatio hominis*. Homo enim revelationem sui valoris tam in ordine physico quam spirituali unice consequitur explicatione activitatis: eius potentialitas ontologica manifestatur conscientiae per actum laboris. Revera immensa copia laboris humani, dum indesinenter efficit incrementum valoris in mundo, simul revelat inexhaustam vim creativam quae continetur in manu, intellectu et voluntate hominis, quasi splendens imago divinae mentis et rationis.[9]

Sensus christianus laboris praeterea est attendendus in ordine ascetico-religioso-supernaturali. Severus labor, cuiusvis generis, est semper quaedam disciplina, interdum dura et austera. Nisi excessiva quantitate et fatigatione aliisve incongruis conditionibus, inhumanus fiat, labor pa-

---

[8] Significatio laboris humani in oeconomia creationis iam panditur in *Gen.*, I, 26: « Et ait: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et *praesit* piscibus maris et volatilibus coeli et bestiis *universaeque terrae* ».

[9] « Come mezzo indispensabile al dominio del mondo, voluto da Dio per la sua gloria, ogni lavoro possiede una dignità inalienabile, e in pari tempo un intimo legame col perfezionamento della persona » (*Radiomessaggio Natal.* 24 dic. 1942; *Discorsi*, IV, p. 341).

rens est virtutis et sinceritatis vitae; vitia plurima praepedit et compescit; [10] favet educationi; sensum excitat practicitatis, veritatis; purum gaudium creationis confert. Labor, dum nobilem conscientiam praebet humanae potentiae in dominanda et dirigenda natura, sensum insuper fovet *humilitatis* et *oboedientiae erga* profundas leges rerum et creationis, et exinde erga intrinsecas leges ipsius laboris, quas homo ad libitum nec conficere nec immutare valet. Iam in hac interna veritate laboris, eius naturalis spiritualitas christiana continetur. Dum homo labori attendit, rationabili intentione et finalitate, servans ipsius laboris leges, « bene omnia operans », aliquid intrinsece spirituale efficit, propriam conferens partem perfectioni et pulchritudini mundi, communitatis, societatis.

Accedit insuper valor *spiritualitatis supernaturalis*. Labor enim, sacrificio et poena quam importat, virtute caritatis, fraternae et universalis cooperationis ad commune bonum, fit participatio ad opus gratiae et redemptionis, in supernaturali unitate Mystici Corporis. Amor in proximum, in quo summa praeceptorum Christi continetur, verus et sincerus non datur, nisi servitio et labore.[11] Exinde labor fit vere unicum argumentum et testimonium christianae sanctitatis. Labor, quando sub hac luce consideratur, ut generosa impensio propriae vitae in universalem caritatem, tunc vere fieri potest vis omnium potentissima christianae renovationis mundi.

Ac denique labor cuiusvis formae, nullo, vel minimo manuali labore excepto, summam dignitatem supernaturalem demonstrat, cum fit imitatio exempli et virtutis Christi (« Nonne hic est fabri filius? »: *Matth.* XV, 35).

Mutilatio significationis laboris apud proletariatum individualisticum et marxisticum debet superari in consideratione profunda et integrali laboris, secundum omnes suas dimensiones. Dialectica humana laboris evolvenda est in omnes suas intrinsecas implicationes. Quaestio est hodie capitalis pro Christo et Ecclesia. Saec. XIX labor, privatus sua naturali dignitate et integritate humana, Deum amisit et Christum. Suae integritati valoris humani, socialis, educativi, religiosi et supernaturalis restitutus, erit forte altior expressio authenticitatis Evangelii in vita, in societate, in historia.

---

[10] Huc spectat potissimum caput *Regulae S. Benedicti*: « Otiositas inimica est animae; et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum...; exeuntes a Prima laborabunt quod necessarium fuerit » (S. BENEDETTO, *La Regola,* cap. 48; a cura di Ans. Lentini, Montecassino 1947, pp. 392-94; cf. cap. 57 « Artifices si sint in monasterio, cum omni humilitate faciant ipsas artes », *ibid.,* p. 470).

[11] « Quid prodest, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, *opera* autem non habet?... Sic et fides, si non habet opera, mortua est in semetipsa » (*Iac.,* 2, 14-17).

SUMMARIUM

DE LABORE HUMANO FUNDAMENTALIA PRINCIPIA

1. AUCTORITAS ECCLESIAE IN QUAESTIONIBUS LABOREM SPECTANTIBUS.

Ecclesia sibi vindicat ius et officium interveniendi in quaestiones de labore: *primo,* quia labor humanus dirigendus est secundum rectum ordinem moralem ad perfectionem humanam et socialem, et ultimatim ad gloriam Dei; *secundo,* quia homines per laborem suam vitam christianam peragere debent; *tertio,* quia sine positivo interventu Ecclesiae praesertim ope educationis conscientiarum, quaestiones laboris solvi nequeunt.

2. OPPORTUNA RATIO SOLLEMNIS DECLARATIONIS FUTURI CONCILII OECUMENICI DE LABORE.

Peculiare momentum quaestionis laboris in vita individuali et sociali argumenta innumera praebet peropportunae rationis sollemnis declarationis proximi Concilii Oecumenici, quae praebeat *fundamentalia capita christianae doctrinae de labore,* unde omnes christifideles lumen ac directionem suscipiant, et populi infideles sentiant valorem christianismi ad rectam vitam civilem peragendam.

3. NATURA LABORIS

Contra erroneas doctrinas de labore, defenditur eius natura instrumentalis, subordinata legibus ethicis, et ordinata ad perfectionem individualem ac socialem hominis et ultimatim ad Deum transcendentem. Demonstratur laborem esse fundamentum necessarium totius vitae humanae, ac habere characterem simul individualem et socialem. Non omnis activitas habenda est labor. Tria enim videntur esse de ratione laboris: *ex parte obiecti* quod directe respiciat bonum utile; *ex parte operis* quod sit executio methodica secundum leges sibi intrinsecas; *ex parte operantis* quod sit diligens usus activus facultatum, virium atque instrumentorum quae ob ipsius operis perfectionem requiruntur.

4. FINES NATURALES LABORIS

Distinguuntur fines naturales laboris sub ratione *ipsius operis* et sub ratione *operantis*. Sub ratione ipsius operis, labor tendit ad omnia bona exigita a natura humana ut ad fines proximos, ad bonum commune

civilitatis ut ad finem ultimum relativum, ad glorificationem Dei ut ad finem absolute ultimum. Leges intrinsecae laboris characteres habent libertatis et rationalitatis, et ideo ethicitatis, qua servatur hierarchia finium. Sub ratione vero *operantis,* labor illos omnes fines habet, quibus persona possit vivere et bene vivere, participando bonum civilitatis et gloriam Dei formaliter procurando. Finis autem ultimus operantis alius esse nequit nisi quies in fruitione bonorum suorum, familiae, civilitatis et unionis cum Deo.

Significatio metaphysica laboris explicatur ut *actuatio et explicatio exsistentiae et personae.* Sine labore, vita et persona privantur quodam necessario elemento propriae intrinsecae constitutionis, quam ingreditur dimensio temporalis et dynamica. Ex hac fundamentali significatione humana laboris derivat eius dignitas et simul ingens efficacia in aedificatione personalitatis: labor est quodammodo pars hominis et exinde hominem interne et ontologice afficit.

5. Laboris professionalis significatio, officia et iura

Labor naturalis intime connectitur cum personali vocatione personae humanae in vita terrena. Eius significatio explicatur sub luce philosophiae, theologiae naturalis, psychologiae et sociologiae. *Officia* laboris professionalis ostenduntur adesse sub ratione officii ad perfectionem propriam et societatis, virtutis iustitiae generalis, legalis et socialis, nec non exigentiae parandi sibi familiaeque bona oeconomica. *Quattuor genera iuris laboris* professionalis explicantur; et eorum fundamentum invenitur in iusto commutativo, sed praesertim in iusto sociali.

6. Labor professionalis ut subiectum et obiectum iustitiae socialis.

Definito iusto sociali, ostenditur laborem professionalem rite peractum esse *fontem recti ordinis societatis,* secundum exigentias iusti socialis, atque dari non posse rectum ordinem socialem, quin quaestiones laboris solvantur secundum iura iustitiae socialis. Momentum maximum demonstratur *rectae educationis scholasticae* et *associationum professionalium* ut labor professionalis sit revera subiectum et obiectum iustitiae socialis.

7. Fines supernaturales laboris

Revelatio divina praebet principia theologica, quibus significatio attingitur laboris, qui est *cooperatio humana ad opus creationis divinae* et *restaurationis christianae hominis* post peccatum originale; elevat labo-

rem professionalem humanum ad exercitium virtutum moralium et supernaturalium et ad opus caritativum erga omnes homines ut fratres in vita Corporis Mystici Christi.

DE IUSTO SALARIO

(A. Marconi)

Ex lege Dei positiva et manifesto ordine Providentiae, homo tenetur, in hoc terrestri cursu, *labore* sibi acquirere media ad exsistendum et plerumque, attentis conditionibus oeconomiae contemporaneae, tali munere fungi non potest *nisi locando operam suam* pro pretio determinato.

Quaestio de legitimitate regiminis salarialis, in se spectati, non amplius ponitur inter catholicos, post doctrinam de eadem re explicite traditam a Magisterio ordinario. Sufficiat prae oculis habere verba Pii XI: « Ac primum quidem, qui operae conducendae locandaeque contractum vi sua iniustum esse pronuntiant, absona profecto dicunt et prave calumniantur Decessorem Nostrum, cuius Litterae Encyclicae *salariatum* non solum recipiunt, sed in eo ad normas iustitiae regendo diutius versantur » (*Quadragesimo anno*, n. 32).

Haec nemo vero intelligat quasi regimen salariale ut optimum proponatur: omnes enim concedunt agi de forma retributionis valde imperfecta, progressu temporis forma magis idonea substituenda, vel saltem contractu societatis temperanda (*Quadragesimo anno*, n. 30).

In determinatione iustae mercedis adhiberi debent criteria tum obiectiva tum subiectiva.

Primo quidem salarium aestimatur ex quantitate et qualitate operae praestitae, seu potius ex parte habita in productione fructuum. Theoria marxistica edicens totum incrementum valoris, merci impressum, soli opifici esse reddendum, merito recusatur quia opifex est tantum *una ex causis* cooperantibus in eundem effectum.

In labore, praeter aspectum oeconomicum, considerandus est etiam aspectus humanus: agitur enim de activitate *personae* viventis in *societate*. In qualibet opera, etsi humillima, conductori locata, persona impendit vires physicas et spirituales, ideoque ius habet trahendi ex fructu communi *salarium minimum vitale*, id scilicet quod requiritur ut easdem vires reficere valeat et profectum exsequi suae humanitatis.

Praeterea, nisi adspirante Dei gratia ad statum perfectiorem vocetur, homo sibi constituit familiam officioque adstringitur procurandi susten-

tationem uxori et liberis. Quod plerumque solis proventibus laboris praestare potest.

Ex dictis procedit salarium par esse debere necessitatibus non individui tantum, sed et domesticae societatis. De hac re in documentis Summorum Pontificum, praesertim recentioris aetatis, doctrina omnino clara exhibetur. Exstitit autem in eiusdem doctrinae formulatione aliqua evolutio quam iuvat breviter delineare.

Unio Friburgensis

In cursu decennii 1880-90 adhuc plurimorum favore gaudet thesis « liberalium » secundum quam unum requiritur et sufficit ut salarium sit iustum, nempe quod herus et opifex de eodem inter se libere convenerint. In hac conceptione labor ad instar mercis consideratur, obnoxius *legi oblati et quaesiti,* quolibet eius valore humano et spirituali penitus neglecto.

Id temporis Associationes pro iuribus opificum tuendis constitutae in variis Europae regionibus, liberalismo acriter refragari incipiunt atque enuntiant principia quae deinceps fient patrimonium commune doctrinae socialis catholicorum.[1]

Anno 1886 Unio Friburgensis, ex consortio Associationum orta de quibus modo mentionem fecimus, ponit explicite problema de criterio determinationis « mercedis minimae » opificibus reddendae sub poena violationis legum iustitiae; et approbat textum, redactum ab

---

[1] Anno 1882 in Gallia Associatio quaedam (Œuvre des Cercles) enunciat haec principia:

« Au nom de la justice, le contrat de travail doit procurer à l'ouvrier les moyens de satisfaire aux conditions d'une *vie honnête* selon son état.

Ces conditions sont:

La possibilité pour l'ouvrier de fonder et de posséder un foyer, et d'y élever sa famille selon son état;

L'ascension professionnelle dans son ordre;

La possibilité de l'épargne en vue des mauvais jours, chômage, accidents, maladie, etc.

Par là seront assurés aux classes laborieuses le bienfait de la paix, et à l'ouvrier la dignité de sa vie, les fruits de son travail, la sécurité de sa vieillesse ».

Anno 1883 easdem theses tuentur sociologi alemanni in urbe v. Haid:

« ... Le salaire doit assurer à l'ouvrier, pour une quantité de travail normale, sans dépense excessive de temps et de forces, tous les moyens d'existence désiderables (en tenant compte également d'un famille) et, en plus, une quotité plus ou moins grande d'épargne, en prévision des temps de chômage ».

insigni theologo P. Lehmkuhl, quo iam edicitur salarium par esse debere necessitatibus operarii eiusque familiae.[2]

Doctrina Leonis XIII

Documentum magisterii Leonis XIII, diu elaboratum, quod catholici omnes consalutaverunt ut « chartam socialem » novae aetatis, his praecipue absolvitur:

1. Defenditur ius proprietatis adversus theorias suadentes regimen collectivisticum, quod diiudicari debet in se oppressivum et ineptum praeterea ad proletarios de statu miserrimo ad humaniorem vitam educendos.

2. Recusatur, ut absona a conceptione christiana de labore deque dignitate hominis, thesis « liberalium » iuxta quam modus salari ita definitur libero consensu ut, pacta mercede persoluta, dominus rei nil unquam debere videatur.

Ratio vehementis improbationis ex eo deducitur quod labor in homine habet velut duas notas ab ipsa natura insertas, nimirum ut sit *personalis,* quia vis agens adhaeret subiecto, eius utilitati ordinata, deinde ut sit *necessarius* cum nonnisi labor, ex norma, media subsistentiae suppeditare queat.

Iamvero, si dumtaxat attendatur ad primam notam, pronum est posse hominem iuri suo renuntiare et mercedem acceptare debito tenuiorem. Longe aliter vero iudicandum si ratio personalitatis una simul cum ratione necessitatis, arctissime iuncta, inspicitur.

Tum enim, cum sibi gravissima obligatio incumbat vitam tuendi, rebus ex opere praestito quaesitis, homo stricte *tenetur* iustum salarium exigere. Opifex et herus destituuntur libertate definiendi mercedem modo arbitrario, siquidem exstat norma naturalis iustitiae qua salarium haud impar esse debet *alendo opifici frugi et bene morato.*

Quod si necessitate vel metu, operarius duriorem conditionem accipiat, *istud est vim subire* et contractus vitio nullitatis inficiatur. Regula igitur pro definitione salarii, secundum Documentum pontificium, non desumitur ex mera capacitate productiva laboris, sed ex necessitatibus vitalibus ipsius opificis.

---

[2] Comment peut-on fixer le minimum de salaire qu'il faut accorder au travailleur, sous peine de violer les lois de la justice?

... Le salaire minimum doit se régler d'après les besoins de l'ouvrier pour sa subsistence et ne doit pas demeurer au-dessous du taux nécessaire à l'ouvrier dans les circonstances ordinaires pour subvenir aux frais de son entretien et de celui de sa famille.

Confitendum quidem est in Litt. Encycl. *Rerum Novarum* doctrinam completam de iusta mercede non tradi, nam praescinditur a *statu* operarii — utrum sit coniugatus vel non — ideoque deesse affirmationem, saltem explicitam, *salarii familiaris*. Tamen principium ponitur, absolute recipiendum, ex quo, facili gressu, uberiores conclusiones trahi poterunt.

Doctrina Pii XI

Ex Litteris Leonianis initium suscepit vividus studiorum fervor et vera quaedam *disciplina socialis* ad quam fovendam adlaboraverunt eminentissimi viri, ecclesiastici et laici (Antoine, Cathrein, Toniolo, etc.) ut immutata Ecclesiae doctrina novis necessitatibus occurreret. Ita parata est via ad Documenta Pii XI, inter quae eminent Litt. Encyclicae *Quadragesimo anno.*

Laudibus Decessoris celebratis, Pius XI ostendit imprimis beneficia quae ex tanti Magistri institutione processerunt, ut dein transeat ad expositionem principiorum circa ius proprietatis et officium erogandi reditus superfluos. Quo munere, ponit problema de iusta mercede opificis, cuius solutionem tribus assertis perspicue compendiat:

1. Salarium eiusmodi debet esse mensurae quae tutam efficiat subsistentiam locatoris operae, uxoris, et liberorum: « Ac primum quidem merces operario suppeditanda est, quae ad illius eiusque familiae sustentationem par sit ... Omni igitur ope enitendum est ut mercedem patresfamilias percipiant satis amplam, quae communibus domesticis necessitatibus convenienter subveniat » (*Quadragesimo anno*, n. 32).

2. Salarium eiusmodi sit quod permittat ut operarius, parsimonia et sollertia aliquid sibi seponens, ad proprietatem accedere, necnon incrementum et cultum personae fovere valeat: etenim nonnisi hoc modo poterit superari *proletaria condicio* essentialiter consistens in miserando inopiae statu et in incertitudine futuri.

« Quare omni contentione enitendum est, ut saltem in posterum partae rerum copiae aequa proportione coacerventur apud eos qui opibus valent, satisque ample profundantur in eos qui operam conferunt, ut rem familiarem parsimonia augeant; auctam sapienter administrando facilius ac securius familiae onera sustineant; atque emersi ex incerta vitae sorte, cuius varietate iactantur proletarii, non solum vicissitudinibus vitae perferendis sint pares, sed etiam post huius vitae exitum iis, quos post se relinquunt, quodammodo provisum fore confidant » (*Quadragesimo anno,* n. 29).

Materialia bona, in ordine Providentiae, sunt instrumenta pro expansione personae ideoque eis nectitur profectus spiritualis et ipsum exerci-

tium virtutis: « Tum demum res oeconomico-socialis et vere constabit et suos fines obtinebit, si omnibus et singulis bona omnia suppedita fuerint, quae opibus et subsidiis naturae, arte technica, sociali rei oeconomicae constitutione praestari possunt; quae quidem tot esse debent, quot necessaria sunt et ad necessitatibus honestisque commodis satisfaciendum, et *ad homines provehendos ad feliciorem illum vitae cultum* qui, modo prudenter geratur, virtuti non solum non obest, sed magnopere prodest » (*Quadragesimo anno*, n. 34).

3. Opifex denique aliqua securitate muniatur oportet contra pericula aegritudinis et senectutis, necnon contra coactum otium et casus laboris.

Neminem fugit saepe fore ut normae a Summo Pontifice traditae sine effectu maneant, tum ob generalia rerum adiuncta, tum ob condiciones particularis officinae. Quae diffuse sciteque Pius XI considerans, edicit *iustitiam socialem* postulare ut rectores oeconomiae locorum et gentium eas immutationes quamprimum inducant, quibus, ratione etiam habita boni communis, cuivis adulto operario dicta salaria firmentur.

Doctrina Pii XII

Post magnas Litteras Encyclicas Pii XI, documenta pontificia circa mercedem opificibus reddendam, brevissima fiunt. Ratio est quia, rebus propter tot eventuum efficaciam penitus commutatis, determinatio salarii nunc fit vel a reipublicae moderatoribus vel mediante contractu, ut aiunt, collectivo. Quapropter fere superfluum videtur heros ad obligationes iustitiae circa salarium revocare.

Hierarchia Ecclesiae in eo potius incumbit ut iura personae humanae vindicet atque tueatur contra vim Leviathani, vel contra pressiones immanium potentatuum ordinem oeconomicum summo cum imperio regentium. Quo fit ut satis frequenter in documentis pontificiis socientur notiones *salarii* et *proprietatis*.

Apertissimis verbis Pius XII conclamat necessitatem salarii familiaris: « Chi conosce le grandi Encicliche dei nostri Predecessori e i nostri precedenti Messaggi non ignora che la Chiesa non esita a dedurre le conseguenze pratiche derivanti dalla nobiltà del lavoro, e ad appoggiarle con tutto il nome della sua autorità. Queste esigenze comprendono, oltre a un salario giusto, *sufficiente alle necessità dell'operario e della famiglia,* la conservazione e il perfezionamento di un ordine sociale che renda possibile una sicura, se pur modesta, proprietà privata a tutti i ceti del popolo, e favorisca una formazione superiore per i figli delle classi operaie particolarmente dotati d'intelligenza e di buon volere » (*Nuntium radiophonicum* in Festis Nativitatis, a. 1942, n. 26).

Similia recitat in Allocutione ad 25.000 operarios ex omni Italiae

regione ad obsequium communi Patri praestandum congregatos: « Certo voi non ignorate che la Chiesa intensamente vi ama e, non soltanto da oggi, con ardore ed affetto materno e con vivo senso della realtà delle cose, ha considerato le questioni che toccano voi più particolarmente; i Nostri Predecessori e Noi stessi con ripetuti insegnamenti non abbiamo tralasciato occasione alcuna di far comprendere i vostri bisogni e le vostre necessità personali e famigliari, proclamando come fondamentali esigenze di concordia sociale quelle aspirazioni che vi stanno tanto a cuore: *un salario che assicuri l'esistenza della famiglia,* tale da render possibile ai genitori l'adempimento del loro naturale dovere di crescere una prole sanamente nutrita e vestita; un'abitazione degna di persone umane; la possibilità di procurare ai figli una sufficiente istruzione e una conveniente educazione, di prevedere per i tempi di strettezze, di infermità e di vecchiaia. Queste condizioni di provvidenza sociale devono condursi a compimento, se si vuole che la società non sia ad ogni stagione scossa da torbidi fermenti e da sussulti pericolosi » (*Alloc.* 13 iunii 1943, n. 3).

Quo titulo debeatur opifici salarium familiare absolutum

Salarium familiare debetur opifici titulo iustitiae socialis vel etiam titulo iustitiae commutativae? Quaestio huiusmodi non est mere theorica, siquidem officia iustitiae commutativae, culpabiliter neglecta et violata, secum ferunt obligationem restitutionis et magis urgent conscientias. Tamen de re adhuc non datur doctrina univoca.

Omnes catholici tenent *hodie* conductori inesse obligationem reddendi operariis mercedem quae valeat necessitatibus domesticis satisfacere, idque saltem ex iustitia sociali. Constat forma non ambigua ex Documentis Summorum Pontificum (*Casti connubii,* n. 43; *Quadragesimo anno,* n. 32; *Divini Redemptoris,* n. 51-52).

Revera: tradita notione iustitiae socialis « cuius est id omne a singulis exigere, quod ad bonum commune necessarium sit », Pius XI pergit asseverans: « Neque satis sociali iustitiae factum erit, nisi opifices et sibimet ipsis et familiae cuiusque suae victum tuta ratione ex accepta, rei consentanea, mercede praebere poterunt » (*Divini Redempt.* n. 52). Procul dubio periclitaretur commune bonum (propagatio et sanitas prolis, pax domestica et civilis) nisi ex fructibus laboris suppeditarentur media ad familiam sustentandam.

Nil vetat tamen quominus ulterius investigatio procedat. Multi Auctores haud obscuri nominis, iam ab exeunte saeculo XIX, contendunt *salarium familiare absolutum* deberi opifici ex iustitia commutativa,

saltem quousque alia membra societatis domesticae ad communem sustentationem auxilium ferre non valeant.

Hanc sententiam, cui videtur favere textus Litt. Encycl. *Divini Redemptoris,* magis in dies tuentur theologi et philosophi, hac argumentatione innixi: iustitia commutativa exigit ut stricte servetur proportio inter *valorem intrinsecum laboris* et *pretium.* Atqui valor intrinsecus laboris humani determinatur *ex fine suo providentiali,* et est ut permittat operario honesto, in communiter contingentibus, sustentationem suam et familiae, ratione habita propriae condicionis.

DE OBLIGATIONE EROGANDI REDITUS SUPERFLUOS

(A. Marconi - I. Visser)

1. In Litteris Encyclicis *Rerum Novarum, Quadragesimo anno* et *Divini Redemptoris,* sicut in Magisterio Pii XII, locuples traditur doctrina de iure proprietatis, qua duplex error recusatur Collectivismi et Individualismi.

Adversus Collectivismum docet Auctoritas Ecclesiae ius proprietatis *sequi hominis naturam,* quatenus bona materialia sunt instrumentum necessarium expansionis personae eiusque praesidium. Revera, translatis omnino rebus ad Rempublicam, fatali quadam lege oritur *regimen oppressivum,* sicut cruenta quorumdam populorum historia abunde clamat.

Individualismus vero in hoc reprehenditur quod munera socialia et publica, bonorum dominio inhaerentia, plane ignorat. Quae conceptio, in praxim deducta, quavis aetate exstitit causa perturbationum et « in duas civium classes divisit urbes, immenso inter utramque discrimine interiecto » (*Rerum Novarum*).

Doctrina socialis catholicorum, media via incedens, duplicem exigentiam conciliare satagit.

2. Ab ipsa natura derivat homini ius sibi appropriandi res consumptivas et productivas. Ille enim *tenetur* vitam physicam servare, potentias spirituales evolvere et libertatem tueri; quod profecto nequit praestare nisi quibusdam materialibus bonis stabiliter et ad arbitrium fruatur.

De re dilucide ait Pius XII: « Il diritto originario sull'uso dei beni materiali, per essere in intima connessione con la dignità e con gli altri diritti della persona umana, offre ad essa con le forme sopra indicate una base materiale sicura, di somma importanza per elevarsi al compimento dei suoi doveri morali. La tutela di questo diritto assicurerà la dignità personale dell'uomo, e gli agevolerà l'attendere e il soddisfare in

giusta libertà a quella somma di stabili obbligazioni di cui è direttamente responsabile verso il Creatore » (*In quinquagesimo anniversario Encycl. Rerum Novarum,* n. 8).

3. Ex altera parte autem, cum *incrementum personalitatis* sit munus, non huius vel illius individui tantum, sed hominis prout talis, sedulas oportet impendere curas ut omnibus pateat accessus ad bona necessaria eaque diffundantur usque ad ultimas venarum fibras totius corporis socialis.

Quod apertissimis verbis inculcatur in Nuntio radiophonico modo citato: « L'Encyclica *Rerum Novarum* espone sulla proprietà e sul sostentamento dell'uomo principi, i quali col tempo nulla hanno perduto del nativo loro vigore e, oggi dopo cinquant'anni, conservano ancora e profondono vivificante la loro intima fecondità. Sopra il loro punto fondamentale Noi stessi abbiamo richiamato l'attenzione comune nella nostra Encyclica *Sertum laetitiae*: punto fondamentale che consiste, come dicemmo, nell'affermazione della inderogabile esigenza « che i beni, da Dio creati per tutti gli uomini, *egualmente affluiscano a tutti,* secondo i principi della giustizia e della carità » (n. 7).

Aliud igitur est possessio, aliud usus (*S. Thom.* II 2, q. 66, art. 2); et numquam satis proclamabitur character vel functio socialis proprietatis quae, in ordine providentiali, addicitur servitio, non privilegiarii coetus, sed totius communitatis humanae.

4. Obligatio distributioni bonorum respicit potissimum reditus superfluos. Nomine *superflui* ea omnia intelliguntur quae manent postquam provisum est necessitatibus sive *vitae* sive *status* individui et familiae, ratione quoque habita alicuius certitudinis firmandae pro futuro.

Officium subveniendi miseris ab omnibus sine difficultate agnoscitur; dissensio vero extat de *titulo* quo erogatio redituum liberorum fieri debeat: estne obligatio solius caritatis, vel etiam iustitiae? Nostra hac aetate, suadentibus rerum adiunctis, de argumento scite disputatum est: iuvat propositas solutiones recensere.[1]

5. *Theoria caritatis.*

Praecepto caritatis homines adstringi erga indigentes, tum Libri Sacri, tum constans traditio Ecclesiae, tum etiam consensus theologorum luculenter demonstrant. Quoad S. Scripturam, sufficiat revocare textum classicum Ioannis: « Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo? » (*I Io.* 3, 17).

---

[1] Notitiae et valida theoriae defensio habentur in prolusione P. Hugo Bren, *De sociali ligatione superflui, Antonianum,* 1947.

Et scimus ex *Matth.* 25, 34. 41. 45 in finali sententia omnes esse rationem reddituros de lata vel negata ope Christo esurienti et sitienti. Eaedem inculcationes et comminationes ubique resonant per opera Patrum: Dominus enim dicitur in paupere vestiendus, et clamare ad ostium in suis membris, et timendum esse « ne cui ne dederimus, ipse sit Christus ».

Profecto hoc modo loquitur caritas, non iustitia.

Et hucusque asserta, sua altissima auctoritate, confirmant Summi Pontifices, praesertim Leo XIII et Pius XI qui officium subveniendi indigentibus adscribunt virtutibus caritatis christianae, liberalitatis et magnificentiae.

6. Tamen ex dictis nondum sequitur *solo* titulo caritatis superflua esse eroganda. Obstant, ut alia nunc omittam, textus SS. Patrum, quos non licet praeterire vel omni auctoritate privare, causa illata quod duriora onera imponant humeris nostris.

Recolendum illud S. Basilii: « Esurientis est panis quem tu detines, nudi est pallium quod tu in arca servas, discalceati calceus qui apud te putrescit, indigentis argentum quod defossum habes. Quare quot hominibus dare potes, tot infers iniuriam » (*Hom. in Luc., PG.* 31, col. 278). Similia habet S. Ambrosius: « Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnium usum datum tu solus usurpas. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum » (*De Nabuth Isr.*, cap. 12, n. 53, *PL.* 14, col. 747). S. Augustinus denique proclamat: « Superflua divitum necessaria sunt pauperum. Res alienae possidentur, cum superflua possidentur » (*In Ps.* 147, n. 12, *PL.* 37, col. 1922).

Profecto in his textibus, et in aliis permultis eiusdem exempli, continetur vehemens adhortatio ad liberalitatem; tamen ita non loquitur *sola* charitas. Quare I. Vermeersch, qui primum extiterat strenuus defensor theoriae caritatis, confessus est citata verba (quae passim in *Summa Theologica* S. Thomas interpretatur ad litteram) explicari non posse, nisi admissa in SS. Patribus persuasione de exsistentia « inchoati cuiusdam iuris » massae indigentium ad superflua.[2]

7. *Theoria iustitiae.*

Est doctrina *communistarum* superflua deberi communitati proletariorum ex stricta iustitia. Hoc perfecte componitur cum placitis eorum ideologiae, secundum quam superfluum, mutato nomine, est *bonum furtivum,* ex indebita appropriatione vel ex iniqua laboris solutione cumulatum.

---

[2] P. VERMEERSCH pluries tractavit quaestionem de superfluo, speciatim vero in *Soziale Krise und Reformtheorien,* p. 701 sqq.

Hinc clamores et odium implacabile contra Ecclesiam quasi ipsa, partes praedivitum amplexata, quaestiones sociales velit solvere sola caritate, neglectis principiis iustitiae. Quod est *debitum,* aiunt, non potest dari et accipi ut gratuitum beneficium.

8. Ad socialistas accedunt nonnulli catholici *Scholae austriacae.* Vestigia SS. Patrum presse secuti, hi proponunt doctrinam quae quibusdam videtur, nescio utrum merito vel non, singularis omnino et erronea, quaeque duobus absolvitur: 1) *Sensu stricto* proprietarius habet dominium super bona tantum quae requiruntur ad satisfaciendum necessitatibus et decoro sui et familiae; 2) *quoad bona superflua* vero, ille est potius administrator *nomine aliorum* nempe communitatis pauperum.

Nemo non videt quomodo in hac theoria, proprietarius teneatur, ex vera iustitia, reditus liberos iis tradere quorum vices in administratione gerit, ita ut violenter retineat nisi communicet [3]

9. *Theoria iustitiae et caritatis.*

Erogatio superflui esse sub precepto solius caritatis videtur definitive firmatum auctoritate Leonis XIII. « Non iustitiae, excepto in rebus extremis, officia ista sunt, sed caritatis christianae, quam profecto lege agendo petere ius non est » (*Rerum Novarum, A.S.S.* vol. XXIII, p. 651).

Rem vero non esse pacificam, ex eo iam elucet quod, post editam Encyclicam, Moralistae, et praesertim Sociologi, inquisitiones prosecuti, ad doctrinam pervenerunt qua, una cum caritate, etiam iustitia proponitur ut titulus exigitivus elargitionis superflui.

Verba leoniana unice impedunt placita communistarum, iuxta quae reditus liberi distribuendi sunt ex iustitia commutativa, ita ut ius suum indigentes mediis iuridicis vindicare queant. Non autem excluditur id fieri debere *ex iustitia sociali.*

Haec theoria non est recentis inventionis, utpote iam tradita a Doctoribus medioevalibus, licet eorum modus loquendi in quibusdam differat a terminologia nostri temporis.

10. Legendi sunt omnino textus S. Thomae, cuius doctrina, ad argumentum nostrum quod attinet, breviter in conspectu ponitur:

— Homini, ad imaginem Dei facto, competit dominium participatum rerum temporalium, in ea mensura quae par sit necessitatibus vitae, tum biologicae tum spiritualis, etiam aliorum quorum curam gerit (*IV Sent. Dist.* 15, 2, a. I, q. 4).

— Non impeditur legitime acquirere bona quae hunc finem excedunt; horum vero, utique superfluorum, habet exclusivum dominium radicale, non autem exclusivum dominium utile (II 2 q. 32 art. 5, ad 2).

[3] Cf. *Philosopiha moralis,* I. GONZALES MORAL, n. 943.

— « Aliquis tenetur ex debito legali bona sua pauperibus erogare, vel propter periculum necessitatis, vel etiam propter superfluitatem habitorum. Propter periculum necessitatis hoc facere tenetur ex misericordia. *Propter superfluitatem bonorum vero ex iustitia generali, vel legali,* si illam auctoritas publica accuratius determinaverat » (II 2 q. 118, art. 4, ad 2).

Hanc doctrinam S. Thomas declarat fuisse tunc temporis *communem;* id vero scimus, praeterquam ex eius testimonio, etiam ex eruditis explorationibus nuperrime effectis.

11. Anno 1957 P. Hermenegildus Lio edidit volumen cui titulus: « Estne obligatio iustitiae subvenire miseris? — Quaestionis positio et evolutio a Petro Lombardo ad S. Thomam ex tribus S. Augustini textibus ». Post examen diligens valde et acutum multorum textuum, in quibus continuo fit mentio S. Augustini, Auctor doctrinam Mediae Aetatis de officio iuvandi pauperes, compendiat hoc modo: 1) Obligatio subveniendi indigentibus *de solo necessario* pertinet ad misericordiam; 2) Obligatio subveniendi *de superfluo* per se, seu obiective, pertinet ad iustitiam; 3) Caritas calefacit iustitiam et illam exsuperat.

12.Acris controversia exarsit postquam theoria iustitiae et caritatis apparuit, sed crescit in dies numerus theologorum et sociologorum qui eam tuentur. Placet referre textus conspicuos ex quibus inspicitur evolutio doctrinae post Encyclicam « Rerum Novarum ».

Merkelbach: « Licet quis stricte satisfecerit praecepto eleemosynae erga pauperes, semper tamen ipsi manet obligatio de reliquis bonis superfluis bene et utiliter utendi, quod pertinet ad virtutes liberalitatis et magnificentiae, vel etiam *ad iustitiam legalem* intuitu boni communis » (*Summa Theol. mor.*, ed. 2, vol. I, n. 931).

Pruemmer: « Obligatio igitur dandi elemosynam proprie est obligatio caritatis et *iustitiae generalis,* non autem iustitiae commutativae » (*Manuale Theol. mor.*, ed. 6-7, vol. I, n. 589).

Damen: « Quamvis, uti ex supradictis patet, non cuncta superflua in elemosyna impendenda sint ita ut in indigentium dominium transeant, nihilominus attento charactere etiam sociali dominii privati, non tantum ex caritate, verum etiam *ex iustitia sociali* aliquo modo in aliorum utilitatem cedere debent. Domino enim iam nullo modo vere utilia esse possunt utpote ei superflua; dum per eorum cumulationem disproportio illa socialis obfirmatur quam, testante etiam Encyclica « Quadragesimo anno », ingens multitudo proletariorum ex una, quorumdam praedivitum ingentissimae opes ex altera parte, aperte demonstrant » (*Theologia Moralis* t. I, n. 364).

Dizionario di Teologia morale: « Il motivo della erogazione del su-

perfluo è basato sulla *giustizia* e precisamente sulla giustizia legale, quando si tratta di sovvenire il prossimo nella necessità comune ed anche grave; nella giustizia commutativa quando si tratta di sovvenire alla necessità estrema, perchè allora i beni diventano comuni » (p. 1335).

13. Argumenta pro asserta thesi ad duo praecipue reducuntur. Primo quidem, secundum notionem traditam a Pio XI, munus iustitiae socialis est id omne a singulis exigere quod ad commune bonum apparet necessarium. In copiosa vero superfluorum erogatione, rationem necessitatis inveniri pro pace et securitate servanda, infitiari nemo poterit umquam. Sat enim est exploratum et omnibus pervium, ex inaequalitate distributionis bonorum procedere dissidia classium et vehementes animorum perturbationes et pericula eversionis cuiusque ordinis, sive civilis sive religiosi; ad quae cavenda summis viribus enitendum est ut contrahatur discrimen inter coetus sociales interiectum.

Cui considerationi altera succedat oportet. Fere unanimis sententia admittit legitimitatem proprietatis bonorum, quae necessitates individuales et familiares excedunt. Unica autem ratio iustificans est eiusdem proprietatis functio seu character socialis, siquidem melius consulitur communi utilitati per possessionem et gestionem privatam, quam per collectivam et publicam.

Ea vero deficeret omnino a munere suo, nisi reditus liberi diffluenrent in corpus sociale cui sunt *essentialiter ordinati.*

14. *De iustitia sociali* disputant Auctores, et fortasse nimia subtilitate, utrum sit specie diversa a formis classicis, vel cum aliqua ex illis identificetur. In tanta varietate opinionum, plures assentiuntur iis qui autumant iustitiam socialem esse idem ac *iustitiam generalem* vel legalem Scholasticorum.

Iustitia generalis ea est quae inclinat membra ad reddendum debitum societati qua tali: complectitur actus omnium aliarum virtutum, quatenus illos dirigit in bonum commune. Hoc autem imprimis fit *lege,* unde dicitur etiam iustitia legalis.

Est, ait Damen, tam in Superiore quam in subditis: in Superiore consistit praesertim in eo quod ferantur leges opportunae et ordo socialis defendatur; in subdito vero consistit in observantia legum, quae in bonum commune latae sint.

« Iustitia socialis quoad rem ad iustitiam generalem seu legalem reduci videtur quia, sicut haec, respicit bonum commune societatis, ita tamen ut aspectum specialem huius iustitiae exprimat. Iustitia sc. socialis est iustitia generalis in quantum haec sese extendit ad campum vitae oeconomico-socialis; imperando propter bonum commune iustam bonorum materialium distributionem et restitutione ordinis et cooperatio-

nis inter diversas societatis classes atque exigendo ut etiam in materia oeconomico-sociali congruae leges condantur » (Aertnys-Damen, *op. cit.* t. I, n. 290).

15. *Conclusio.*

Ex caritate et iustitia sociali fieri debet erogatio superflui. Caritas neque opponitur iustitiae, neque cum ipsa confunditur, sed adest inter utramque cognationis relatio. Caritas, mediante iustitia, dat quod debet, et ex proprio superaddit quod non debet « quia non est vicaria iustitiae, bene vero generosior iustitia » (Bren).

DE AEQUALITATE IN VITA SOCIALI

(F. Nigro)

S. Thomas in 2, 2, qu. 57, 1, scribit: « iustitiae proprium est inter alias virtutes ut ordinet hominem in ea quae sunt ad alterum. Importat enim aequalitatem quamdam, ut ipsum nomen demonstrat: dicuntur enim vulgariter ea quae adaequantur, iustari; aequalitas autem ad alterum est ».

Officium igitur iustitiae est disponere ordinate vitam hominum, idest efficere ut unusquisque teneat locum suum ad ordinem essentialem servandum, quo possit societas humana consistere et progredi.

Stabilitas ordinata cuiusque societatis quiescit in aequalitate membrorum, dum omnis exturbatio ordinis socialis fere semper originem trahit ab inaequalitatibus, quae iustitiam laedunt. Neminem fugit, praesertim nostris temporibus, momentum, pro pace societatis et individuorum, quam habet solutio quaestionis de aequalitate, si non perfecta, saltem maiori, instauranda in humano consortio, ut innatus sensus iustitiae possit acquiescere et motiva invidiae et odii, quae hominum vitam conturbant, tandem aliquando sileant.

Scimus non esse Ecclesiae officium indicare practicas solutiones, seu media technica adhibenda a societate civili in aequalitate instauranda, tamen ut saepe affirmatur a SS. PP. Leone XIII, Pio XI et Pio XII in propriis documentis socialibus, mutationes quae debent introduci pro eliminandis inaequalitatibus conformitatem habere debent cum principiis iuris naturalis et ordinis ethici. Haec est ratio, cur quaestio de aequalitate sociali possit constituere materiam attentae considerationis ex parte futuri Concilii Oecumenici; nam pseudo-solutiones quae a nonnullis proponuntur, sapiunt utopiam aut sentimentalismum et praeiudicium grave possunt afferre ad pacificam et ordinatam hominum conviventiam. Hoc

magis necessarium videtur, cum problema aequalitatis inter homines, est valde complexum et difficilis solutionis, si non theoretice, certo practice.

Finis nostri brevis studii, non est exponere longe et late quaestionem de aequalitate, sed tantum movere animum PP. RR. futuri Concilii Oecumenici, ut si ipsi utile et bonum putant, possint se convertere ad eius considerationem et indicare principia rectae solutionis iuxta rationem et fidem.

Nostra expositio, etiam si non semper confortatur cum transcriptione litterali, ratione brevitatis, tamen prae manibus et oculis habet Documenta Pontificia, quae si non habent tractationem systematicam vel si non omnia accurate exponant, tamen nobis suppeditant elementa sufficientia et tuta.

Status quaestionis

Iam fuit delibatum, hic accuratius et brevius proponitur, problema.

Quaeritur utrum possibile sit instaurare in conviventia humana perfectam aequalitatem, an potius admittendae sint inaequalitates, quae praeseferunt indolem necessitatis et quarum praesentia compossibilis sit cum iustitia sociali. Ita procedimus:

Primo exponimus fundamentum aequalitatis eiusque consectaria; secundo examen instituimus de inaequalitatibus eorumque motivis; tertio adiungimus aestimationem ethicam, utrum idest conformitatem habeant vel minus cum criteriis iustitiae, an possint et debeant removeri.

Aequalitatis fundamentum et consectaria

Principium fundamentale humanae conviventiae est exhibere reverentiam erga proprios similes, quatenus homines habent communem naturam, eundem finem, idem ius ad eius consecutionem. Haec aequalitas, fundata in hominum natura et fine, obligationem cuique imponit ut agat cum aliis considerando eos ut sibi aequales, immo eadem obligatio est societatis, quae debet propria membra ut aequalia habere, ipsis agnoscendo idem ius ad proprium finem, ad propriam perfectionem, ad proprium locum in aedificatione generali humanae societatis.

Aequalitas naturalis accipit confirmationem ex ordine supernaturali, in quo agnoscitur omnibus hominibus facultas filiationis divinae, iuxta verba S. Ioh. 1, 12: « Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri » (cf. S. Paulus ad *Col.* 3, 10-11).

Documenta Pontificia expresse affirmant hanc fundamentalem aequalitatem inter homines; hic sufficit tantum aliquos textus transcribere. Leo XIII in Epistola *In plurimis* haec habet: « Iam nunc per Adamum

novum, qui est Christus, communionem fraternam et hominis cum homine et gentis cum gente intercedere: ipsis, sicut unam eamdemque, intra naturae finem, originem, sic, supra naturam, originem unam eamdemque esse salutis et fidei: omnes aequabiliter unius Dei et Patris accitos, quippe quos eodem ipse pretio magno, redemerit; eiusdem corporis membra omnes, omnesque eiusdem participes mensae divinae: omnibus gratiae munera, omnibus item munera vitae immortalis patere ». Et in Encyclica *Rerum novarum*: « Sentient enim et intelligent omnes plane homines a communi parente Deo procreatos: omnes ad eundem finem bonorum tendere, qui Deus est ipse, qui afficere beatitudine perfecta homines et Angelos unus potest: singulos item pariter esse Iesu Christi beneficio redemptos et in dignitatem filiorum Dei vindicatos, ut plane necessitudine fraterna cum inter se, tum etiam cum Christo Domino, primogenito in multis fratribus, contineantur ». (Pariter quaestio aequalitatis sive in ordine naturali quam supernaturali fusius tractatur a Pio XII in Encyclica *Summi Pontificatus,* in Sermone habito die 31 ianuarii 1952 et supponitur a nuntio radiophonico habito die 24 decembris 1944: simul potest conferri Encyclica Benedicti XV *Ad Beatissimi Apostolorum Principis*). In allatis textibus simul proponitur aequalitas naturalis; haec adducitur ad firmandam illam et ad maiorem dignitatem conferendam.

Consectaria quae sequuntur sunt: negare aequalitatem hominum esse contra ius naturale et simul contra principia fraternitatis christianae hausta a divina revelatione.

Quamvis sit facile theoretice admittere principium aequalitatis, eius applicatio gravibus difficultatibus non caret, attenta praesertim hominum natura, quae post peccatum afficitur cupiditate sui et desideriis dominii et potentiae, ut notatur passim in Documentis Pontificiis: nam homines proclives sunt ad seipsos considerandos tamquam habentes valorem absolutum obliviscendo communis naturae et eiusdem finalitatis. Dignitas quae faciliter admittitur pro seipsis, saepe ignoratur in aliis et attentio quin convertatur ad ea quae uniunt, divertitur ad ea quae distinguunt et dividunt homines.

Principia igitur christianae fraternitatis strenue in mente ab Ecclesia sunt revocanda, sicut faciunt RR. PP., ut baptizati semper prae oculis habeant monitum S. Pauli: « implete enim gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum » (*Ad Phil.,* 2, 2-4).

Organizatio vitae socialis inspirationem debet sumere ab hac fundamentali aequalitate et officium commune hominum est adlaborare humiliter et absque cupiditate ad removendas inaequalitates.

Inaequalitates earumque motiva

Dum attenta natura specifica hominum invenitur in ipsis ratio aequalitatis, attenta e contra determinatione individuali plures inaequalitates necesse est admittere. Nam sicut homines aequales sunt in natura specifica (habent omnes intellectum, voluntatem, corpus cum respectivis membris etc.) simul sunt inaequales in natura individuali, cum unusquisque, ut individuus huius naturae specificae, habeat notas individuales distinguentes ipsum ab aliis individuis eiusdem naturae. Ex istis notis invidualibus originem habent quasdam inaequalitates, sicut: sexus, aetas, sanitas, stirps, indoles, etc., quae ex ipsa nativitate consequuntur et merito naturales appellari debent.

Sed neque tantum adsunt istae inaequalitates personales, sed aliae admittendae sunt ex diversitate officiorum seu functionum quae inveniuntur in vita humana praesertim sociali. Istae inaequalitates dicuntur functionales et vere princeps debet considerari illa quae fundatur in principio auctoritatis. Ratione naturae specificae parentes et filii, magistri et discipuli, superiores et subditi, domini et servi, opifices et datores laboris, aequales sunt, sed ratione functionis inaequalitas est admittenda: immo possumus habere casum, in quo qui sunt inferiores relate ad functionem possunt esse superiores relate ad valorem personalem, quin tamen haec ultima consideratio possit auferre vel mutare inaequalitatem provenientem ex functione: unde quidquid sit de valore personali filiorum relate ad parentes, subditorum relate ad superiores, etc. (qui aliquando maior potest esse), semper firmum manet, illi teneri ad oboediendum istis.

Tandem adsunt inaequalitates quae neque a valore personali habito a nativitate neque a diversitate functionum pendent sed a libera activitate humana constituuntur. Istae inaequalitates dicuntur acquisitae. Ita inveniuntur, inter homines, qui magnis divitiis pollent et qui egestate laborant, qui scientiam possident et qui ignorantia affliguntur, etc.

Certo in hac ultima consideratione inaequalitas est consequens conditionem naturalem individualem et tamquam motivum praevalens habet liberam activitatem hominum; negare tamen non possumus saepe hanc diversitatem habere suas radices in inaequalitate personali: immo etiam circumstantiae externae possunt concurrere, cum, iuxta regiones, familias, stirpes, potest quis habere maiorem vel minorem possibilitatem ad

procuranda sibi illa bona producentia inaequalitatem oeconomicam aut culturalem. De istis variis speciebus inaequalitatis expresse fit sermo in citatis Documentis Pontificiis; sufficit hic adducere tantum aliquem textum.

Leo XIII in citata Encyclica *Rerum novarum* ita loquitur: « Illud itaque statuatur primo loco, ferendam esse conditionem humanam: ima summis paria fieri in civili societate non posse. Agitant id quidem Socialistae: sed omnis est contra rerum naturam vana contentio. Sunt enim in hominibus maximae plurimaeque natura dissimilitudines: non omnium paria ingenia sunt, non sollertia, non valetudo, non vires: quarum rerum necessarium discrimen sua sponte sequitur fortuna dispar. Idque plane ad usus cum privatorum tum communitatis accommodatae; indiget enim varia ad res gerendas facultate diversisque muneribus vita communis; ad quae fungenda munera potissimum impelluntur homines differentia rei cuiusque familiaris. Et ad corporis laborem quod attinet, in ipso statu innocentiae non iners erat homo futurus: at vero quod ad animi delectationem tunc libere optavisset voluntas, idem postea in expiationem culpae subire non sine molestiae sensu coegit necessitas...

Itaque pati et perpeti humanum est, et ut homines experiantur ac teneant omnia istiusmodi incommoda evellere ab humano convictu penitus nulla vi, nulla arte poterunt. Si qui id se profiteantur posse, si miserae plebi vitam polliceantur omni dolore molestiaque vacantem, et refertam quiete ac perpetuis voluptatibus, ne illi populo imponunt, fraudemque struunt, in mala aliquando erupturum maiora praesentibus. Optimum factu res humanas, ut se habent, ita contueri, simulque opportunum incommodis levamentum, ut diximus, aliunde petere » (cf. *Summi Pontificatus* et *Nuntium Radiophonicum* in vigilia nativitatis a. 1944, Pii XII, etc.).

Veniam petimus de longa citatione, sed in ipsa omnia elementa pro variis inaequalitatibus distinguendis et admittendis inveniuntur. Immo sequitur aliquas inaequalitates, sicut naturales, personales et functionales esse necessarias et inevitabiles; innuitur etiam inaequalitates quaesitae totaliter vitari non posse, cum fundamentum habeant in qualitatibus personalibus et in variis circumstantiis quae non semper est in potestate hominum removere.

Unde Pontifex confugit in motiva ordinis supernaturalis, considerando tales inaequalitates ut consectarium peccati originalis, admittendo ineluctabilem necessitatem pro hominibus ferendi incommoda connexa cum propria vita.

Haec conditio inaequalitatis confirmationem accipit ex modo agendi Dei in ordine supernaturali, cum diversitas in donis Dei admittenda sit

(cf. parabola talentorum) simul diversitas functionum, sicut saepe docetur in revelatione (cf. S. Paulus), necnon scimus ex fidelitate ad gratiam sequi incrementum bonorum spiritualium quae mensura diversa inveniuntur in baptizatis.

Quamvis non sint ista argumenta apodictica, tamen valorem confirmationis habent, sive quia ordo supernaturalis non contradicit naturali, sive quia in Documentis Pontificiis saepe talis comparatio invenitur et frequenter fit transitus ab uno ad alium ordinem.

Utile est notare homines maiorem propensionem habere in admittendis inaequalitatibus personalibus, naturalibus vel functionalibus, cum minus generent invidiam et odium, dum difficilius admittunt acquisita, praesertim relate ad rem culturalem et oeconomicam, nam diversitas conditionum relate ad talia bona magis movet animum et excitant discidia gravissima inter homines.

Appretiatio ethica

Statuta doctrina de aequalitate et inaequalitate simul, inter homines, nunc venimus ad aspectum moralem quaestionis. Examen in primis instituimus sub aspectu theorico dein sub aspectu practico.

Vidimus supra exsistere inter homines inaequalitates et omnes debent convenire impossibile esse singulis hominibus consequi plenitudinem perfectionis naturae humanae in se spectatae; igitur aliquae diversitates sunt metaphysice necessariae, sicut sexus, stirps, intelligentia, indoles, sanitas, etc. In hac diversitate exprimuntur innumerabiles divitiae naturae humanae. Unde debet admitti simul aequalitas hominum in natura specifica et inaequalitas in natura personali. Optandum est homines acquiescere hac diversitate gaudentes, eodem modo de bonis quae in mensura diversa inveniuntur in seipsis et in aliis, sed hoc in vita concreta difficile est.

Simul debemus affirmare inaequalitates sub aspectu sociali magnam afferre utilitatem, cum vita socialis exigat diversitatem munerum pro recta sua ordinatione. Unusquisque in humano consortio debet locum tenere respondentem ad valorem personalem et ad functionem ab ipso exercenda, in conformitate, ut dicit Pius XII, « con la sua natura, i suoi caratteri, le sue attitudini fisiche, intellettuali e morali » (in sermone habito mulieribus Actionis Catholicae die 21 oct. 1945).

Reprobanda igitur est opinio eorum qui considerant inaequalitates naturales et functionales ut impedimentum ad bonum humanae vitae consequendum. Nam idem Pius XII, ita nos docet: « In un popolo degno di tale nome, tutte le ineguaglianze, di cultura, di averi, di posizione so-

ciale, senza pregiudizio, beninteso, della giustizia e della mutua carità, derivano, non dall'arbitrio, ma dalla natura stessa delle cose; non sono affatto un ostacolo all'esistenza e al predominio di un autentico spirito di comunità e di fratellanza, che anzi, lungi dal ledere in alcun modo l'uguaglianza civile, le conferiscono il suo legittimo significato, che cioè di fronte allo Stato, ciascuno ha il diritto di vivere onestamente la propria vita personale, nel posto e nelle condizioni in cui i disegni e le disposizioni della Provvidenza l'hanno collocato » (cf. *loc. cit.*).

In allato textu, affirmatur inaequalitates cuiuscumque speciei, non exclusis acquisitis, nullimode impedire spiritum communitarium et humanam fraternitatem, nec laedere aequalitatem civilem, si homines intelligant humanum consortium ut mutuum servitium. Discidia et odia saepe originem ducunt ex errata consideratione servitii socialis, cum in ipso tantum considerari solet idea inferioritatis et satisfactionis aliorum necessitatum, dum e contra diversitas aptitudinalis hominum praetermittitur; nam unusquisque servitium praestat iuxta suas personales aptitudines et magis dives prae aliis debet reputari, cum ipse aliquid sui donat aliis indigentibus. Hoc servitium est possibile in omni classi personarum, quaecumque sit earum conditio, valor aut dignitas (nam suprema dignitas et auctoritas in terris, Summus Pontifex, se appellat « Servus Servorum Dei »), immo quo divites et inaequales sunt homines in propriis aptitudinibus, eo maior est eorum idoneitas ad mutua servitia sibi praestanda, ex quibus vera fraternitas augetur et vita socialis solidatur.

Quae dicta sunt non eximunt tamen, iuxta nostrum humile iudicium, ab officio adlaborandi, ut quantum fieri potest, progressive, aliquas inaequalitates, quae, ut supra notavimus, magis movent animum et conturbant hominum vitam, removeantur. Non loquimur tantum de illis quae sapiunt privilegium aut arbitrium, sed etiam quae fundantur ex parte in diversitate naturali aut functionali sed simul et quidem pro maiori parte pendent a libera activitate humana, ut acquisita debent considerari. Est certo utopisticum sperare eas omnino e medio tolli posse, sed sub influxu iustitiae et christianae fraternitatis possunt et debent minui.

Si a theoria ad concretam vitam hominum attendimus, tunc, proh dolor! cupiditatem individualem et collectivam videbimus movere homines, et velut febrim devorantem excitare ipsos ad pugnam acerbissimam, quae non potest cessare nisi aliquae inaequalitates e medio tollantur. Certo, pro christianis, patientia adhibenda est contra iniustas inaequalitates, neque ipsi debent vim adhibere ad illas profligandas, tamen

severe sunt reprobandae et fortiter oppugnandae omnibus mediis pacificis.

Hodie nonnulli fideles sibi persuasum habent Ecclesiam non habere sollicitudinem aut saltem non persentire sufficienter urgentiam de vitanda inaequalitate circa bona oeconomica et culturalia; scimus hoc immerito affirmari, cum non sit officium Ecclesiae solutiones concretas invenire ad tales inaequalitates, dum principia valde clara proposita inveniuntur in Documentis Pontificiis, prout supra vidimus.

Opportunum tamen videtur ut futurum Concilium Oecumenicum occasionem arripiat, modo sollemni affirmandi urgentem necessitatem et gravissimum officium liberandi homines ab inaequalitatibus, quae sunt contra iustitiam et caritatem, ut omnibus hominibus pateat accessus ad bona oeconomica et culturalia, non tantum in ambitu nationali sed etiam internationali. Igitur monendi sunt severe omnes catholici, qui praetextu defendendi ius proprietatis privatae aut servandi ordinem socialem impediunt aequam distributionem talium bonorum.

Homines non amplius acquiescunt criterio eleemosynae et piae adsistentiae, sed volunt et quidem, nostro humili iudicio, merito, agnitionem proprii iuris accedendi ad bona oeconomica et ad congruam instructionem recipiendam.

Inaequalitatem possunt acceptari, si sunt iustae, idest si omnibus hominibus eadem regula applicatur. Aliis verbis id quod uni conceditur, alteri non potest et non debet negari, si adest paritas conditionis.

Inaequalitas quae potest sibi vindicare indolem iustitiae est tantum illa quae servat eandem mensuram inter homines.

Conclusio

Ut initio diximus, finis fuit ponere problema de aequalitate, quantum fieri potest, instauranda inter homines, nec intentionem habuimus funditus evolvere tractationem. Quae diximus hic breviter resumimus:

Principia aequalitatis sunt melius expolienda et urgenda, cum « sensibilitate », quam conditio praesens exigit, removendo pericula incumbentia ex parte inimicorum recti ordinis socialis, qui nolunt aequalitatem veram sed conantur concutere fundamenta humanae societatis.

Sic dictus proletariatus instruendus est ut acceptet ideam inaequalitatis et non substitutionis unius classis socialis cum alia.

Monendi sunt catholici, qui actionem politicam agunt, ne acuant demagogice sensibilitatem proletariatus ex exaltatione malorum quae patitur, sed potius educent ad pacificam pugnam pro eliminandis tantum

iniustis inaequalitatibus, ideam simul ingerendo de necessitate, pro ipso bono proletariatus, acceptandi inaequalitates necessarias et iustas.

Simul persuasio ingerenda est in iis qui gaudent bonis oeconomicis et culturalibus, eorum conditionem potius quam privilegia dare, onera imponere.

Eorum conditio vitae non acquirit ipsis iura ad subiectionem aliorum, potius imponit gravissimam obligationem utendi propria conditione, ut alii possint eandem consequi, cum vita socialis exigat mutuum servitium, aliquod accipiendo, sed etiam aliquid retribuendo.

Persuasio classium superiorum secundum quam alias classes haberent naturam inferiorem, est strenue oppugnanda; nam si relationes inter homines privatos aut inter societates fundantur in persuasione superioritatis, faciliter sequitur inaequalitas iurium et consequenter conditionum vitae, sicut gravissima exempla contemporanea immo actualia demonstrant.

Vindicatio aequalitatis non potest fundari in « interessi personali », quia secus criterium iustitiae et iniustitiae reducitur ad satisfaciendas proprias necessitates aut utilitates personales.

Inaequalitates iniuste nequeunt efficaciter oppugnari, nisi sensu iustitiae, complendus caritate, penetret mentes et corda omnium hominum.

Quaestionis agitatae medulla ita potest exprimi: *Meritis aequalibus, valoribus aequalibus, laboribus aequalibus, eadem consideratio facienda est.*

Aliis verbis: inaequalitates quae possunt et debent haberi ut iustae, fundari debent in diversitatem meriti, valoris et laboris personalis: omnes aliae e contra sunt reiciendae ut iniustae.

INDEX

PAGG.

PONTIFICIUM ATHENAEUM URBANIANUM « DE PROPAGANDA FIDE »